CLARI BONARSCII AMPHITHEATRUM HONORIS IN QUO CALUINISTARUM IN SOCIETATEM...

Charles Scribani




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
10
4 L
32

CLARI BONARSCII
AMPHITHEATRVM HONORIS

in quo

Caluiniſtarum in SOCIETATEM IESV criminationes iugulatæ.

EDITIO ALTERA IV. *libro auctior.*











PALÆOPOLI ADVATICORVM
APVD ALEXANDRVM VERHEYDEN.
M. DCVI.

II

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS CONSVLIBVS SENATORIBVS ANTVERPIENSIBVS.





PROVOCOR in arenam furentis Circi, lasciuientis Scenæ; sed furentis a rostris Paschasinis, lasciuientis ab Arnaldino podio. Venit tamen hic furor, a Nouiodunensi theatro masculo; lasciuia, a Gebennensi sipario Candido. ex hoc trunco luxuriantes in orchestra pampini: ex hac radice pullulat illa silua. quam ego dum cædo, dum excaudico Afra securi, vos diribitores MAGNI VERI delegi. Vnum moneo; non exspectate dictionem mollem, fluidam, de triuiis

compotabilibus mutuatam; non mellis, non interſparſo rariore pipere leporis plenam. ardua res toroſos, ac quaſi maſculos lacertos exigit; qui non ad laſciuientis oculi veneres picturata iacula, ſed ſolida mittant robora. Procul ergo delinifica, & illa ſuada facundia, quæ vulneri cicatricem mentitur; inducenda eſt ferro & igne. procul illa ſcitiſſimis clauſulis erotundata, totaque ductilis; quæ per aurium traduces, inſtar digiti per cryſtallinas aut onychinas cruſtas, non impacto vngue, perlabitur; vt quam nulla rimoſis obicibus fractura remoretur. veteris monetæ ſpectatores volo. Nec eo tamen hæc dico, quod exſpectare vos velim VV. AA. neſcio cuius ieiunantis calami crepitantem ſtipulam. neque explicabit ſe interim. & fors non denegata amplitudo. ſed vt equi potentis animoſitas, ſi inter teſqua vel confragoſa frenorum lege

tenea-

teneatur, campum teſtatur deeſſe, non curſum; ita mihi inter effuſa maledicentiæ venena, & ambuſta liuentium ingeniorum gradienti, ſæpe pedem ſiſtere, curſum frangere, ſcelerato maledicorum inſidioſo machinatu, neceſſarium fuit. Nec eo forte gloria minor. nam vt illorum magna laus fuerit, qui nobilem ſtilum, quaſi quendam fecundi pectoris vomerem, fixerunt, vbi materiæ ſterilis argumentum, velut arida ceſpitis macri gleba, ieiunauerat; nonnulla eorum erit, qui generoſiore calamo, conculcata ſuſurronum viroſa fæce, per venenatorum obloquiorum Scyllas, infameſque latratus, explicatis ad inuidiam fidentiæ velis, Veritatis campos retexerunt. Quod an aſſecutus fuerim, vos Iudices volo. Et aduerſariam quidem dexteram, per diffuſum maleuolentiæ virus permaceratam, compoſitis ad venuſtatem verbis,

tamquam conchyliato tapetio, aut Campanico picto peristromate, tectam videbitis; vt sub hac iures latitare mella, quæ sentias venena cautius emissa omni araneo Cretico. Iam si vernantem dictionem, plenoque luxuriantem Gallicano succo intuearis; an non iures probissimæ notæ? At tu memento Gomorrhæi pomi fuliginem, intrinsecus fauillaceam, ambitione extimæ cutis cohiberi; quæ vel leui pressa tactu fumum exhalat, & fatiscit in vagum pulverem. ita plane omnis illa ostentabunda in SOCIETATEM IESV Caluinistica criminatio, si retegatur, teterrimo pædore auctores suos prodit; abitque in fauillas, quæ rupes mentiebatur: & minitabunda cælo saxa, nix, plumæ, bullæ repercutiunt. Vera me dixisse res docebit. tantum date veniam, si verbis inuerecundis aurium publicarum reuerentiam incessantes Caluinistas robustiore

buſtiore falce demeto. Erit hoc ad reliqua beneuolentiæ in me veſtræ auctarium non ignobile: cui ne conabor quidem gratias referre. maior Virtus veſtra eſt, quam vt velit mutuum lactari: virilior, quam quæ deſideret, tamquam in inertiæ quodam colludio, æqua lance cenſeri. Sed & præconia virtutum veſtrarum preſſa manu reſtringam; vicinarum gentium tacitæ conſcientiæ relinquens, quam laudem mereamini, cum veſtro ductu Reſpublica non ſemel lapſabunda ſteterit, inter nequidquam infrendentes Caluiniſtarum barbaras minas: dum Belgium ipſum, in abrupto deraſi præcipitij ſui, ſummæ rei vertiginem paſſum, ab omni prope ſpe, tamquam a nauſeantis melioris fortunæ vomitu expunctum, decidiſſet; decolorato tot fortium, non inulto licet, ſanguine nimium fidenti nimium citato Flandrico ſolo, prœlio-

rum

rum properata replicatione monſtrabili. Adde his coronas Liranas querneas, gramineas, aureas. Quis mihi hic Deus dictionem materiæ parem? Vt enim primum Antuerpiæ triſte illud inſonuerat, *Liranos hoſtis habet muros*, (i Fama; nulla tam ingrata poſteritas ſileat) properabat nobile agmen ſine ſenſu laſſitudinis; fluebant ſudoris riui per audentia colla; & inter honorium illum puluerem, barbas capilloſque onerantem, ſplendebant animi per radiantia ſupra ſidereos ignes lumina. Cuius hic non vox oppreſſa miraculi magnitudine? Iam hoſtis mœnia occupauerat, vrbem inſederat, ſuam fecerat, ſpolia legebat: at Vos, memores auitæ gloriæ, inluſtris portio clariſſimi retro Aduatici ſanguinis, in tam plane fractis rebus infractos animos oſtendiſtis; hoſti prædam, vrbem, victoriam eripuiſtis, ciuibus reddidiſtis; raraque memo-

randa

randa felicitate, victorem hostilem exercitum intra ipsa captæ vrbis mœnia sepeliuistis. Non ero prolixior, neque reliqua virtutum vestrarum, verborum blanditiis, aut nobiliori sermonis purpura vestiam, neque enim desideratis alieni calami vestem, vestra contenti. Ita cochleas, si nihil illis aeris de cælo illiquitur, succo suo victitare tradunt; vos Virtutis apud vos natæ meliori succo, auersati auxilium commendationis alienæ. Et quis nesciat ibi esse Honoris præmia, vbi merita sunt Virtutis? vt bene Romani Honoris & Virtutis ædes gemellas iunctim locarint. perpetuant enim Virtus & Honor. ac licet Corporis & Fortunæ decoramenta currentis æui profectu defectuque labascant; Virtutis cum ætate crescunt, crescunt & Honoris. quæ licet sustuleris; ipsa tamen Virtus

—pretium sibi, solaque late
Fortuna secura nitet, nec fascibus vllis

** *Eri-*

Erigitur, plausuque petit clarescere vulgi:
Nil opis externa cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Sperabitis hic forte beneficiorum in me vestrorum memoriam? nullam dabo. ita vsu venit; dum cumulata munificentia stilum vincit, silentio magnitudinem profitemur. Nam quid hic ego? Infantiam calamus publicabit, in tanta spe exspectatæ vsuræ, cui tam exiguum litterarum fenus credidi? aut tanto melle paginam oblinam, vt quantacumque inimica manus, liuens oculus, tamquam lethæo poculo mergatur? Nihil ago. mergor Oceano: nec sileo tamen. Agrum vnum cogitate. vno anno, non nisi vno felici partu dominum suum beauit. Neque enim quisquam in eadem nouali, æstate vna, vltra quam semel messuit: nec vlli vno autumno, vnoque vineto, triplex vindemia fluxit. vna certe vnius

est

eſt hiemis oliuitas. At in veſtris beneficiis miraculo caret multiplicata fecunditas. quam ego dum nulla dictione aſſequor, non ſpargam fruſtra ieiunam verborum viciſſitudinem. in abdito pectoris recondam: ibi habitabit memoria veſtri. & videte, an non referam probatiſſimo ſpeculo omnem illam munificentiæ veſtræ amplitudinem. Ignoſcite: creſcet error in hoc mari magno, ſi pergo. ergo ſeco, & finio.



IN
AMPHITHEATRVM
HONORIS
Clari Bonarſcij.



AN inſolentis turba licentiæ
Comœdiarum fabricat aggeres,
Vt omnibus ſpurcet theatris
Socratici documenta cœtus?
Ergone nullus celſior emicat
Vindex honoris? Ergone vapulat
Impune fama innoxiorum,
Eumenidum lacerata linguis?
Impune in omnes gymnaſium Spori
Emaſculatis calcibus arietet?
Impune Calui ſtirps cinædi
Perpluat immeritos aceto?
Exſurge tandem, tu cui Palladis
Mentem Bonarſci ſpiritus entheat:
Exſurge, & atra ſterne monſtra
Roboreis validus lacertis.
Non in remotis hoſpita rupibus,
Aut ſaltuoſis clauſa cubilibus,
Non inuido ſemota Ponto,
Aut Stygiis perimas in antris.
Producta ſpectent amphitheatrica
Oſtenta arenæ: qualia Romuli

Non

Non vidit ætas, aut nepotum
Impauido iugulata Mauro.
Cernin' vt atrox Cerberus, Italis
Emerſus oris, aera toxicans
Ad Veritatis ructet aſtrum
Battauicis aconita terris?
Et Sphinx Lemani rupibus incola
Aenigma texat, ſanguineam æſtuans
Ingurgitare Bezæ faucem,
Amphibio rabidus calore!
Quid cuncta prodam nata Acherontico
Portenta limo? Iam furialibus
Rubiginat cælum venenis:
Iam piceas meditatur vmbras.
Tu prœlianti fortior Hercule,
Pennata victor ſpicula fulminans,
Stymphalidum triſtes procellas
In medio exanimes Olympo:
Ne Veritatis conſpicuus dies,
Dum nubit error ſidus Apollinis,
Lurore tetro conſtupretur
Perpetuo carioſus imbre.
Tu vincis ipſum Perſea robore.
Orci recuſas caßide protegi:
Sed propriis, Marti inuidendus,
Bella moues animata neruis.
Vt fibræ inardent! anguicomam pede
Calumniarum Gorgona proteris.

Iam dente ſibilat retuſo
Vipera, iam cohibet venenum.
Macte, o BONARSCI, *poſteritas leget;*
Et obſtupeſcet tot Latij deos
Poſt te relictos, bellicoſam
Dum ſuperas animo Mineruam.
Clareſcet illo, CLARE, *tibi decus,*
Procella quod non proruat impotens:
Iam vindicem ſuæ ſalutis
Te ſocij indigetant IESV.
Te Marte dignus, dignus Apolline
(Cum muſculoſam tendit arundinem)
Loricat ardor dictionis;
Mollicies procul hinc ſpadonum.
Tori eminentes condecorant viros;
Quales leonum pectora maſculant.
Non picta fuco, non doloſis
Arma placent ſaturata ſuccis.
Fugere ad antrum Battauici canes,
Et monſtra, quotquot perfidia educat.
Io triumphe! Veritatis
Iam feritas patitur lupatum.

N. S. S. J.

SPECTA-

SAcrilegos vultus, & Monſtra inimica PVDORI,
Putentes animas, & hiantia morſibus ora
Cerbereis, tetrumque orbi ſtillantia virus,
Inſpice quiſquis ades: nouus hic mouet arma Typhœus,
Et freni impatiens ſemuſtum attollere corpus
Enceladus, Cæloque iterum, Superiſque minari
Audet, & exſangues renouare ad prælia vires.
Errat inexpleto circum præſepia rictu,
Ingluuiemque acuens Agnorum in cæde Lycaon
Battauicus vlulat: titulos Murrhanus auitos
Iactat, & ore Dares tantum pugnante duellat.
Naſcuntur Bauij; laudiſque Heroſtratus optat
Amphitheatrali e buſto ſibi ſurgere nomen.
Salmoneus rapit arma, Iouiſque tonitrua fingit;
Criſpat Hiarbitæ liuentia ſpicula dextra;
Et nouus ingreditur per caſtra hoſtilia Drances.
In clypeum aſſurgat quantus vide! vt aſperat iras!
Et galeæ indignatus apex quæ fulgura mittit!
Inconcuſſa manet Virtutis Regia, nullus
Soluitur in lacrymas, cum verberat ariete muros,
Et late imbellis figit tentoria miles.
Nam neque in Ætnæis gemuit lorica caminis
Stigmaticos velans humeros; non gæſa Pyracmon
Condidit; aut Brontis parmæ, vel tela Cyclopum
Laſſauere manus: tepidi de fornicis antro,
Idaliiſque rogis Erycina extraxit, & omnem
Militiam balano Iuuenis Cythereius vnxit.
Num cladem metuas ſi te Sybarita laceſſat?
Rege ſub Aſſyrio ſi belli buccina clangat,

Atque

Atque olidis leno numeret stipendia mœchis?
O quoties reducis creuerunt cornua Phœbes,
Et lassis Titan lustrauit sidera bigis!
Pone tamen carecta latens se Battauus infans
Sepit, & elato toties exsibilat ore
Fastum animi; vitat campos, & pulueris vmbram.
Longa dies studium, calamos nox sera fatigat,
Vt claudum extrudat quandoque in prœlia carmen,
Et secum educat secum moritura Palæmon
Agmina Doctorum: at primo ne concidat æuo
Flos hominum, nonum tiro exercetur in annum.
Eia Theagenides, fumos & verba popello
Vende; nec irati pugnent in vertice coni,
Nulla phalanx intret Circum, nulla ære coruscet,
Quam prius ad furuas Hecaten placaueris aras.
Quod si LENA palam vetitis BEZANA rebellet
Insidiis, iubeat raucum latrare Lyciscas
BVRDO, acies rudat ante suas Germanus ASELLVS,
Aut Magni soboles bellum meditetur ABRAMI,
Si scribat, cogatque nouos ad signa Chorœbos
STENIVS, aut quisquam MISENI sanguine cretus
Buccinet, vt demens vocet in certamina DIVOS,
Palladiasque æquare manus contendat Arachne:
Tunc nouus INACHIDES mihi, BELLEROPHONque sub armis
Stabit atrox, vindexque tui, BONARSCE, THEATRI,
Spumantes rabiem Drusos extendet arena,
Exosasque astris Pestes damnabit Auerno.

I. R. S. I.

LECTORI
BENEVOLO.



IRABERIS *fors, & ſcire voles, quis dictionem hanc, verecundiſſima in hoc ætatis ſeptam cuſtodia, totamque virginem, in pulverem, tamquam e militari tabernaculo deduxerit. Nihil celo. Caluiniſtæ, duabus Erebi Furiis, Mendacio & Impudentia ſtipati, incurrerant in* SOCIETATIS *Ieſu propugnatores; nec defuerant illis in ſubſidium e Chriſtiano nemore monſtra, pabulo, & inimicorum* SOCIETATIS *glande corrupta. quid facerem? continerem adultam diutius, & ab inſequentium impetu prohiberem? laxanda putaui vincula. ergo Neceſſitate & Veritate comite dimiſi illam in hanc iudiciorum arenam. In qua hoc edico, & te ſcire Lector volo, grauiſſimos eſſe morſus irritatæ Neceſſitatis, certiſſima tela prouocatæ Veritatis, ſæuiſſimam ſecurim nimium lentatæ Patientiæ, potentiſſimos enſes violentatæ Innocentiæ. Hac ego exſanguem & ferream Caluinianam frontem (qua pueros talis, viros audaci mendaciorum ſtrue, periurio firmata, iactant circumueniri oportere) quamquam nequidquam medentibus conuulnerem Notis: tamen*

*** *ne*

ne silentio probare me barbaram quiduis obiectandi licentiam arbitrarentur, decurri ad arma. quibus si rusticatim tangam, cum vrbanatim in hoc Amphitheatrico puluere dedeceat, ne mireris. opus enim pugno τῷ ἀπ' ἀρότρου, ad excussos hos e Veritatis aratro vomeres indendos pristinæ immissioni.

Nec insolens tibi videatur, si videris dexteram hanc, consciam SOCIETATIS *innocentiæ, ire in vltorem calamum; crudoque cæstu, pugillatoriis lacertis, descendere in campum. equidem dedocendi Caluinistæ erant innocentum famam inuidentiæ flammis amburere, fastu calcare modestiam. quæ vbi verecundiæ suæ littora, alieno Aeolio flatu, transilierit, næ illa lacrymis se vindicabit femineis armis.*

At SOCIETATIS *erat ferre, & pati; secari, & gratias agere; lancinari, & mercede beneuolentiam testari. Procul ab illa auerruncetur hæc amentia, vbi de honoris integritate, animarum salute res agitur. Etenim protracta lentitudo contemptum parit, odia prouocat, linguas venenat. ferri hoc poterat: maioris boni, melioris rei omnem spem tollit. St: supra decus hoc viri boni est. alienis impeti criminibus, & tacere? dentes concuti in certam famæ pestem, nec mordere? tandem & in funestis Batauiæ busticetis cremari, nec sentire? Quid? Gebennici, Caluini prima de mendacio, de maliloquentia portio, suis* SOCIETATEM *sceleribus tamquam rupibus integant; Gomorrhæis*

rhais versibus tamquam decumanis fluctibus mergant; nouisque indies, crescente cum ætate furore ac licentia, facinoribus vestiant: & ego in æterno pigritiæ stupore, ignarum lenociniј calamum, solisque fecundum oculis, inter pudoris vincula coarctabo? nec euertam ea, quæ illi Charonticis acti stimulis ignominiosissimis concinnauerunt fabulis? Quæ hæc est feritas? quæ tam carnifex proteruitas, bella non modo indicere nihil de te merito, sed & opprobriis lancinare, maledictionibus scindere, stili inuerecundia lacerare? Non dictum vere?

— grauia quisquis vulnera
Patiente, & æquo immotus animo pertulit,
Referre potuit.

Tuli, & refero, retundoque immerite concutientes; enubiloque quæ a liuentium nidoribus, ad SOCIETATIS *aerem purum infuscandum, Cerbereo excussa sunt rictu. Iam fabulæ illæ atque ementita commenta a nautica turba mendicata, immo & illis ipsis mendiciora; ac, non a nescio quo Merlino, aut Equite Gallo defrustata, sed a plebeia rustica beta, e bicubitali casa depaleata, non fuerant cum auctoribus suis retegenda? Nullum probri genus, nullum scelus tam inenodabile verbis, tam fœdum rebus, quod nocentes hæ linguæ in* SOCIETATEM *metuerint conferre, cuius nullam partem maledictionibus inuulneratam transierunt: & ego æternum firmabo hanc manum?*

Tardassent illas suarum partium crimina, nec suorum delicta aliorum ceruicibus vindicarent: scelera sub Gebennicis stragulis nata, non adnecterent verecundo SOCIETATIS *femori: purulentiis, quibus illis inequitare nimis quam gloriosum, non respergerent* SOCIETATIS *castum viduumque thalamum.*

At iam, si Dis placet, SOCIETAS *apud eos omnis publicæ cladis, omnis est popularis incommodi caussa. Nusquam flumen stetit, nusquam lapides pluit, nusquam grando sata corrupit, sine* SOCIETATIS *pollice.*

Alibi non ab vno pluuio Lemanico Ioue vniuersa SOCIETAS *nefando perpluitur imbre; vt mirum sit non nouo post Sodomam igne decineratos hos Gomorrhaos, Charmerij, Paschasij, Lermæj, Douzæ calamos. quos si aut pudor, aut tantarum fœditatum caperet verecundia, non prostituerent in tam fœdo sterquilinio dexteras. Et quis credat, ni illi prodidissent, in Gallicam, Germanicam, Batauicam chartam tota Neroniana migrasse lupanaria! Natura corpora per extremos tramites auersabili fœditate deonerat; illis quidquid immundiciarum omnibus retro annis Sathanæ impulsu migrauit in orbem, omnium oculis vtraque facundia publicare placuit. Ego tamen a monstruosissimi sceleris huius parte maxima consilio deflexi, ne dum refellere conor singula, redargutionis ipsius contaminationibus polluerer.*

Neque

Neque his Petronianis & Apuleianis ſtabulis contenti, exſurgunt, neſcio impudentius an ſtolidius, Beza & Burdius, qui noui Pythagorici SOCIETATIS *homines refingunt, non iam in coturnices, aut anguillas; ſed in* poſtremas beſtiarum; in ſtipites, laruas, ſtupores plumbeos, quiſquilias, fungos, lutum ſtercore macratum; in retrimentum, excrementum, ſtercus inſcitiæ & Diaboli. *Hæc cum decantantur Gebennicis & Leidanis calamis, cum ſtolidiſſimæ opinionis immanitas mittitur per ſæcula in æuorum perennitatem, ſecundo aduerſariorum & imperitorum plauſu; quænam iſta inhumanitas, quæ crudelitas, ſilentium ſperare in tam prodiga omnium ſordium effuſione; nec permitti mihi frenare effera hæc ingenia proborum vitæ, famæ, ſanguini inſultantium? Si ſtolidi audirent, ego illos in fatuitate ſua volutantes ſolo riſu vindicarem: nunc, cum à non nemine habeantur prudentiæ non poſtremæ, tacerem lapis? Non putaui tamen ſtercus ſtercore diſpungendum. Quis enim paullo pudentior non exhorreat inter hos ſtercoris vtres ſtilum verſare? ſilentio interim nec volui, nec debui in hoc ſterquilinio ſepeliri. Quid? in tot innoxiæ bonitatis viros, & ad ſummos modeſtiæ & grauitatis apices inſtitutos, iudiciique per omnia perpenſi; in tot millia litteratorum, Philoſophorum, Theologorum, non dicam orbe primorum, hoc dicam non infimorum, tam impudenti*


ausu, duos syllabarum triumphatores dignißimas Patroclianis sellis sordes deuomere; nec quisquam meliori spongia deuerrat has feces matulis probandas? Sol & sydera, vbi estis? per hos centones sterco-reos, *per hac* plaustra temulentarum Furiarum, *per tot* sterquilinia *radios mittitis, nec erubescitis? Ad conscientiam tuam Lector decurro. potuine salua fide, quam post Deum, Diuamque Virginem Matrem, melioris vita auctoribus debeo, tot sordibus indormire? & quisquam erit tam impudenti ore, qui redarguat refellentem? qui molliore spongia volet has detersas sordes? merebanturne aliam, aut mitiorem illa, quam Caluinus, tantorum portentorum parens, retulit a Nouiodunensi theatro masculo? apage hanc insanam clementiam; hanc mititatem in Domini caput casuram.*

Verum & dictio hac mea, (credo ne excluderer contubernio proborum) quantis lasciuientium ingeniorum telis petita? quot concinnatis faberrime calumniis persperſa? Hic strigosam, alius voluit barbarismis tamquam spinis intertextam. Quibus ego quid respondeam? pompa dictionis seruetur illis, qui omne suum studium, rebus caßi, in verborum lumina contulerunt. nescio, fateor, luculentibus loqui: ferire didici, non mulcere: armatam hostilem dexteram nemo me docuit osculis venerari: hirsutam vero hanc asperitatem promere a Veritatis penu

didici

didici. Nec negauero, numquam pedem in gynæceum intuli, e quo muliebrem cultum, pigmenta, & fucum educerem. intexant ſane dictionem acu & byſſo puellarum manus; virorum, trabalibus mutuo clauis inſerta, æneas dabunt nexiones. Neque ego auditori meo per molles verborum cunas ſomnum volo inrepere; nolo illius aures infractis delinire vocibus; nolo pectus incaleſcere femineo pumice: tubæ, & tympana, & perpetuus tormentorum fragor erectum illum mihi ſtatuent. Sed neque grauitatis rigorem purpura volo intexi: marceſcit enim animus mollitudine, illaqueaturque inſidiis oſtentatione ridentis genæ. clypeo & haſta ſeria aguntur. Quin & fides pigmentis derogatur: & colores non tam verum, quam veri vmbram proſpectandam dabunt. Non diffiteor tamen ineſſe illis aliquid, quod prima poſitum fronte perſtringat aures oculoſque, ac veritatis ſimilitudine circumueniat. introſpicias: cunarum fuerunt crepitacula, ſono non inſuauia, vt iures baſia; ſed rebus inania, pondere vacua, neruis & ſanguine vidua. Atque interim fluidum illud dictionis genus quem non rapiat? a quo non exprimat admirationis voces, bene, eleganter, ad miraculum? Ita eſt; ab imperita plebe, quæ a ſuperficie cenſuram vibrat. at quibus eſt mens altior, oſſa tentant & medullas, intima perſcrutantur; ibi diſquirunt, cortici reſpondeant ſublatentia, an mentitus color fuerit. quem numquam ama-

amabunt muliebrem; virilis ſit, qui plauſum mereatur, ad quem omnium exſurgant lætabunda doctorum ſubſellia..& ego iam non ſemel profeſſus ſum numquam amaſſe me hunc malaciæ fluxum: torrentes placent ſalebroſi, & per rupeum ſolum aquam colantes, eo nitidiorem, & interni palatus ariditatem certius temperaturam, quo maiore fragore, & quodam quaſi murmure excuſsit nocitura. Quibus aliud placet, ne ſedeant in hoc Amphitheatro, in quo a denſatis valide rebus, non a purpuriſſa & ſtibio corona ſperanda venit.



AMPHI-

AMPHITHEATRI HONORIS

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Caluinista. SOCIETATIS IESV *nomen superbum.*

SOCIETAS *quid sit.*



DE SOCIETATIS instituto, Paschasius, Arnaldus, Caluinistæ omnes, Galli, Bataui, multa inconsultas aures verberantia. Ego quid dicam?

I. RVPES est. in quam hæreticus, æquore sibi fauentiore, rostratas suas impulit; retulit quod assolet temeritas:

——laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.

II. SCOPVLVS est. in quem hæreticus, tumidiore Oceano, iratos incussit fluctus. at ille tot verberatus annis, ne vestigia quidem ostendit sæuitiæ. & franguntur hi, irasque fremitusque suos in se vertunt;

——Vt præceps cumulo salit vnda minantes
In scopulos, & fracta redit.

III. SAXVM INGENS est. in quod hæreticus fre-

mentium ex diuerſo ventorum murmura ingereret. repercuſſa potentius in ſua ſæuierunt viſcera,

—— *totumque a ſedibus imis*

Paſchaſium & Arnaldum agunt, exempla improuidi auſus. quos cum fera ſcabies depaſcatur, ſperant aliquas pulcherrimi corporis verrucas in oculos omnium ſe poſſe deducere. Diſcingite: nec illas quidem reperietis; niſi fors innatas cicatricibus à manu veſtra. honeſtant hæ, non turpant: non magis, quam aduerſo in Romano pectore vulnera. Sed neque cicatricem reperietis: vulneris illa confeſſio eſt.

IV. ADAMAS eſt. cuius duritia, incurrens a Caluiniana incude ferrũ retundit. in molliorem magiſq; cedentem materiam ſi ſtilum infixiſſent, ſperare aliquid poterant.

V. CLYPEVS eſt. quid refert, quam multa in illum contorqueantur tela; cum nulli ſit, etiam veneno remixto, penetrabilis? ingruant ergo, ſuſtinebit, ne gradu quidem motus.

VI. GALEA eſt. contumelias, probra, omnemq; muliebris linguæ laſciuiam, ceteraque verborum dehoneſtamenta, tamquam ſaxa ſine vulnere circa caput crepitantia, tamquam barbarorum inconditos ſine ſanguine fremitus circumſonantes, ridet: ac ne conuiciari quidem illos, vagire putat.

VII. AVRVM eſt MELIORIS ÆVI. quod nec a Caluini fornace circumfuſum flamma, de rigore habituque ſuo quidquam remittet: nec edax & alienis ſemper inimica proceſſibus Inuidia æruginabit. exerceat infelicem calamum bonorum conuicio, inſtet, mordeat; dentes franget, non imprimet.

IIX.

IIX. SOL est. nubeculam forte huic aliquam offundet Caluinianus furor: vt ille, qui multitudine telorum diem visus subducere. at nulla sagitta in Solem cadit.

Mirabitur aliquis, in vnum corpus omnes illas Caluinisticæ scenæ linguas venenatos sales suos effundere. Desinet mirari, si cogitet, quamdiu hic est hoc corpus, nauigare mare alternis æstibus reciprocũ: in quo modo proborum alleuatur fauentia, tamquam certis incrementis; modo assidua Caluinistici flatus iactatione concutitur; numquã naufragium facit. Et sane illustrabitur SOCIETATIS virtus per ea ipsa, per quæ petitur. nec vllis hoc elucescet magis, quam his linguis. ita silicis duritia nulli magis, quam ferienti, nota. Paullum modo state, prospicio tempestates his imminentes, non multo post nimbum suum rupturas. Nam licet superioribus annis, secundiore successu, cursum suum tenuerit hæc Caluiniana classis: tamen, vt alia deficiant, cladis caussas non semel nimia sibi felicitas inuenit; tranquillitasque æstiuis maior, in subitas desiit hibernisq; maiores tempestates. Ita fit. inter placidissima terror oritur: ruuntque, nullo etiam impellente, & ad humiles deducuntur arenas, altissimi vertices; ipsaque vbi lusere nauigia, sorbentur.

CAPVT II.

Caluinista. SOCIETAS *Iuuentutem perdit exemplo.*

SOCIETAS *de occursu vitia deruderat.*

QVISQVIS Iuuentutis institutionem scire voles, arborem cogita, illam quę posito surgit de semine.

ſemen eſt ergo primo, inde frutex oritur, poſt arbuſcula, cui & rami & frondes inualeſcunt; ac demum totius arboris nomen expanditur: ſuccedit germinans tumor, & flos de germine; de quo fructus: qui paullatim in ætatem progreſſus, eruditur in maturitatem ſaporis. Ita inſtitutio primo informibus inhæret virtutum rudimentis; dehinc ſerpit ad eius quaſi infantiam; excipit hanc per duriora iuuentus; ac tandem aſſiduo vſu componitur in maturitatem, ac virile robur. fit hoc conſuetudine in primis ac præceptis, tamquam rore ac Sole, vbere & manuductione. Et ſane conſuetudo quid nō poteſt? Nam ſi occurſus probatiſſimorum iuuat, ſitque aliquid, quod vel ex magnis viris tacentibus proficias; quid faciet conſuetudo, ac quaſi contubernium? indubie non peruolabit, deſcendet in pectora: non ludet circum præcordia, occupabit illa, totumque iuuenem ſuum faciet: vt ante in excelſo pedem figat, quam plana ſe reliquiſſe ſciat; miretur q; faſtigia ſui, qui præcipitia non ſenſerit. Continet enim prior illa rudis ætas (numquam ante a virtutis aut vitij manu ſubacta. totaque virgo) honeſtarum rerum ſemina: quæ bonorum conſuetudine, tamquam obiectu ſpeculi, prouocentur ſimilitudine ſui; licet in illum diem inlatentia, & quaſi emortua; & porro in illo torpore permanſura, niſi aliena manu in herbam ac florem ſeſe induerint. Quod ſi manus hæc tardior acceſſerit, & primæ ætatis ſolum molle, tenerum, & flecti patiens, mora, & tempore ſuo, per exercitata iam vitia, & vſu vitioſa, lapideſcere cœperit; toto licet impetu magna Doctoris manus connixa fuerit, diutina tamen mora, tamquam inter adnata ſaxa, enectum probitatis ſemen

ægre

ægre excitabit. Admoueat licet raſtra, & falcem; dura imperia, & ferrum; vt aper dente, tergo leo, excutiet adoleſcens ceruice duriore ſalubres conatus, exſurdatus ſuis vitiis, maxime vbi quæ fuerant vitia, cum ætate iam mores ſunt. tunc enim effricanda illa inſeſſa rubigo, potentibus & non ſecundum vnum ſudorem euntibus conatibus. Nec ideo tamen indurata deſperabit, aut relinquet in inerti ſua terra. pertinax opera, intenta ac diligens cura quid non vincant? robora in rectum, quamuis flexa, reuocabis: curuatas trabes calor explicat. Eriget ergo aliquo aſſiduo molimine, ſi non in pedes, in genua. & Medicus, in inſanabilibus morbis, ſi non poteſt in omnem mali fugam, adhibet quãto niſu poteſt medicamina in leuamentum. ita noſter morum Medicus vires omnes ſuas aduocat; ſi non in vniuerſam erectionem, aut plenum excitamentum; in non temnendum tamen superſæuientis Fortunæ fulcimentum, etiam trabali telo impetentis. qui ſi perſtet, malignitatem naturæ, per vitia in tranſuerſum actæ, vincet; non minimum meritus: vt qui fundamenta non modo in alte lapſabundam fluidamq; demiſerit humum, quouſque perueniret ad ſolidum; ſed cui excidendum non in vertice, Hannibalis more, ſed ad radicem ingens illud ſaxum fuerit, tanta coalitum mora, denſaque vitiorum ſuper ſe inuicem ſtrue, tamquam rupes rupi immiſſæ. Fiet hoc non tam præceptis, quam exemplo eorum qui vita docent. quos prius videas faciendo probare, quam magna verba ſpargere. quæ vbi à labris veniunt, nec vltra; tangunt animos leui verramento, non tranſadigunt. Ergo SOCIETAS non tam laborat, vt, qui Iuuentuti ſibi creditæ pręſunt, ad exemplar

verborum suorum viuant; sed vt ad exemplar factorum suorum dicant: vt ante fortia faciant, quam loquantur: ante ponant in medio res, quam verba humanis altiora tempestatibus: ante crebris exercitationibus in illum locum mẽtem deducant, ad quem non dolori, non timori sit aditus; quam nescio quibus facundię solatiis aures pascant: ante arduum vitiorum cliuum virtutis gradu frangant, quam magnis verbis ad dura prouocent: denique ante se Fortunæ subducant, vt nulla huius nebula serenum animi turbet; quam fortibus dictis suos accendant, ne quidquam extra se sui ponant. Atque hinc enascitur, vt, si postmodum Fortuna accedat propius, manumque conserat, fere humanis altius pectus videas prodire a talibus Magistris. Incurrant mala. fluent forte lacrymæ: sed quas virtus, à tam viridi exemplo, & bibat, & siccet, ne honesti limites transsiliant. Nec hoc tamen volo, omnes prodire tales. quod vbi fit, imprudentis est, culpam arguere docentis,

—— quod læua in parte mamilla
Nil salit Arcadico iuueni.

nam licet animarum semen vniforme sit; fetu tamen multiforme est. ita in frugum seminibus alia meliora respondent; alia degenerant, pro condicione mutati cæli & soli; pro ratione post accrescentis operæ & curæ; pro neglectu ipsius areæ, casuumque licentia. Et sane non vnus labor, nec solitaria cura est, in ingeniorum agro fecundando. in illis recentibus adhuc scrobibus, stipitibus, surculis, priusquam folia nascens ætas formauerit, germina inflauerit, flores inornauerit, perpetuos necesse est Ductor oculos manusque admoueat, dum coalescunt

& coa-

& coadulescunt robori suo, dumque partibus omnibus suis grandescunt. Et vt omnis labor iuerit iam sine numero in orbem, eoque deducta ingenij hæc arbor aut herba fuerit, vt de suo ingenio ac robore magis, quam de alieno, videatur secura: tamen præfidentiæ voragines metuendæ, cauendumque ne cui ex lubrico innitaris; ne vna ruina duo consepeliantur. Hoc volo. ne, vbi in Societatis scholis necdum in omnem partem adoleuerit ingenium, septum quaqua tutis receptui ac tuitioni propugnaculis; à Caluiniana subdola peste (dum virium necdum per omnem modum coalitarum fiduciæ nititur, & ignauescit ad irrepentem latenter vafriciem) aliorsum destinatis mollibus etiam tum fulcimentis, de diuortio auxiliatricis manus serius ingemiscat. Inde, positis animum à veteri institutione mordicantibus, irrumpit in apertum ab oppanso vitiorum. Redit tamen facilius ad saniora, dum vetera illa viua monitoria exempla, cum hac frustratoria & ludibriosa Caluiniana fiducia confert.

CAPVT III.

Caluinista. SOCIETAS *Iuuentutem noxiis præceptis instruit.*

Melior Gallicana Iuuentus est, ex quo illam Societas vestire cœpit suo nomine, tamquã pallio: sub cuius recogitatu improbi mores erubescunt.

QVOD si sola consuetudo tantum adferat momenti, dum

— *prima nouis adolescit frondibus ætas*;

quid

quid fiet, si addideris præcepta; regasque docta manu, putando, premendo, occulendo, stringendo, tundendo, compescendo, frondes, comas, brachia, ramos, luxuriantes palmites; dum se læti spargere occipiunt, & extendere in auras vitæ liberioris, dum hic trahunt in prauum sodalium greges; quibus vt placeas, similem te illis facias oportet. conciliari enim nisi turpi ratione amor turpium non potest. ibi insani inhortatores, noxio inuicem cœtu, inuicemque in virtutem obstantium, celso probitatis fastigio retroagunt. alibi diuellit a recto bonoque æqualium turba. ingerunt vitia; sed & imprimunt vulnera, quæ in vlcus suppurantia videas: quod &

—— viuescit, & inueterascit alendo.
Inque dies gliscit furor, atque ærumna grauescit;
Si non prima nouis conturbes vulnera plagis.

Necesse proinde est habere ad manum, & quasi ab auribus dependentem, Monitorem quempiam serium, integrique pectoris; qui salubria insusurret verba; qui doceat nullam sub fascibus, sub purpura, sub comitatu longa serie seruorum, tranquillitatem; nullum in his aduentitiis gaudium solidum. persusorium est, fundamento caret. Felix ille, qui de suo gaudet; seipso nimirum, & optima parte sui. Et sane in nudo latere, incomitata lectica, vacuo atrio, minus periculorum, plus gaudij; quia plus libertatis. quam, qui in aliena potestate posuit, semper incertus est sui. contra qui submotis illis externis, domi suæ, in imo scilicet pectoris, illam sibi natam habet, implet hominem suum totum, quem numquam deseret. quod enim nō dedit Fortuna, quomodo eripiet? Quid ergo? qui Fortunæ parauit arcam, vitiis atria, non gau-

gaudebit? qui fatigatus vino, libidinibus, opibus, honoribus, non gaudebit? Non magis, quam prædam nacti leones. & omnes illos oblectamēta decipiūt fallacia. sicut ebrietas, quæ vnius horæ hilarem insaniam lōgi tempori tædio pensat. Solidum proinde gaudium, & æqualis ille animi tenor, erecti, & placentis sibi, e sola virtute est; & apud huius cultores. Ex hoc numero plures a SOCIETATI schola comperies, quibus vera virtus perpetuum securumq; gaudium, tamquam perennem diem, præstat; quē nullæ nubes vincunt: non dico, non intercurrent; sed infra ferentur. semper erit illa mens altior (Solem cogita) despectabitq; has subterlabentes tenebras, mollia radiorum obstacula. quod si illam etiam in vltimas expuleris terras, aut in aliquem barbariȩ angulū; patriam agnoscet omnis anguli ciuis; & ridebit cogitationes hominum qui magnum malum immisisse se credent, cum ad loci mutationem coegerint. quæ illi non potest non esse iucunda; vt quæ ad patriam ciuem suum transmittat, quam illi virtus fecit suam. sed nec grauis aut molesta hȩc mutatio: cum nullum onus circumferat; vt qui ante vitia exuerit, virtutē inseuerit, cuius fructus nullus excludet locus. in angustū Fors coget. splendorem minuet, numquā tollet: & virtus sibi satis magnus cāpus est ad sui ostētationem.

Doleant illi e Caluini scena, quoties mutanda habitatio est; cum nullum ante excusserint pondus, quod ipsa iactatione incommodius fit. vt in naui onera, in quam partem incubuerint, mergunt. si saluam vis ruentibus fluctibus, excutienda sunt quæ pondere suo premunt. Numquam hoc fiet è Caluini pulpito; nisi simul illum exuat, Christum induat.

In omni ergo hac Iuuentutis institutione opus serio Monitore, qui doceat, plus illi inesse generosioris animi, qui se, qui in prauum protrudentes affectus represserit ab illo impotenti subsultu, quam qui per sæcula tuta prostrauit; qui paruam manum, tantorum millium cæde perfudit, vt hauriri absorberique illa potuerit ab his sanguinum fluminibus, tam late vada clementiæ omnisque humanitatis transsilientibus, vt cum Oceano certarent spatiis, vincerent feritate. Nam post occisarum gentium generosa scelera, cum insultarent aliis, cum tot ætatibus inexpugnabilia æquarent solo, cum tot nationes conciderent, cum orbem ipsum concuterent, à cupiditate victi, agebantur furore. cuius instinctu, immo & flatu, cum turbinum more cuncta conuoluerent, sæpius ipsi voluebantur; semper in isto inuidioso fastigio attoniti, trementesque: quæ aliis videbantur excelsa, ipsis prærupta; quæ firma, ipsis lubrica. cumque despicerent in illud magnitudinis suæ præceps, exanimati trepidabant ad magnorum retro casus, Fortunæque lusus. Hos Monitores reperies in scholis SOCIETATIS: qui Iuuentutem sibi creditam non instruent militari robore; sed præceptis à meliori Dei manu, contra mortis metum. in qua, præter ipsum, nihil reperies formidandum, nihil terribile: cum quotidie moriamur, ipsamque quam agimus horam cum morte diuidamus. sit illa media, sit extrema, quid magnum est quod verearis? Clepsydram non extrema aqua exhausit; sed quidquid ante defluxit. ita quæ claudit hora, non sola mortem facit, si sola consummat; sed quæ fluxerunt singulæ, tesseram contulerunt in hoc diffugium.

CAPVT

CAPVT IV.

Caluinista. SOCIETAS *sola orbi exempla dedit languida & ignaua.*

SOCIETAS *quid dederit, exempla docent.*

QVOS vis a SOCIETATE dari? Mucios? spectatores distillantis in foculo dexteræ, pœnas irriti nescio cuius conatus a se exigentium? Catones? post Libycas Syrtes ludibria serpentium, eiicientes non emittentes spiritus? An Porciam, non parenti, non coniugi degenerem, cum negasset Fortuna ferrum, carbone vitam extrudentem? Vis post Antonij, pace an bello, secundo an aduerso cursu, ciuibus, hostibus, infidum ferrum, soloque Domini sanguine piandum; Cleopatræ crinalem acum, hostilis triumphi diffugium? Vicerunt hi quidem illud momentum efflandæ animæ: sed eos aut indignatio vicit infelicioris euentus; aut alienæ potentiæ liuor, aut maioris mali metus excussit. Deerant animi ad multas mortes in longa seruitute, exsilio, paupertate. Vna manu viam occluserunt ad illa; sibi strauerunt ad minora; hosti eripuerunt, ne sæuire diutius posset. ergo ludibriis se exuerunt; mitius sua, quam Tyranni, quam tortoris manu casuri. Hoc non est fortem esse, deligere minora, mansuetiusque malum. non magis quam si propositis ignibus, lento duroque ferro, venam præbeas secandam; languentis solamen animi, neque satis per se stantis. nec magis quam qui, vt ruentia fugiat mala, minore dolore se deducit quasi in tutum; dum se vna manu tot mortibus eripit, quot lubuit alienis & inimicis oculis. Hoc non

eſt ſe hortari aduerſus terribilia: eſt illa fugere. Alium longe vera virtus SOCIETATIS inſtitutione dabit; qui paratior ſit ad ſubeunda tormẽta, quam crudelitas ad irroganda: qui nõ ſubducet ſe, ſua aut amici manu; ſed qui ſecurus inimici minas audiet; & feret, etiam dum furenter ſęuiunt: qui mala ſua non præſcindet morte; latiores campos poſcet, quibus ſe oſtentet. mille excarnificandi tormenta, mille dolorum machinamenta, lacerationes, igneſque tardos, in illa frementium maioraque minitantium carnificum turba, cogitet ſæuitia; & poſt longas commentationes exſerat vires ſuas, cum virtute certet: ſi non manus laſſa dabit, ſi non victam ſe fateatur, (fremat licet infrendatque) non erit illa virtus, vmbra fuit, & vox corporis ſui nuda. Hanc virtutem tam alte firmatam, quæ non curret ad mortem tædio vitæ; nec quæret illam, vt effugium mali, ſed vt adytũ boni melioris, amplexabitur totis brachiis; ſi modo ſe immiſerit, aut Tyranni, aut hæretici manu, E Patrum SOCIETATIS IESV ſchola non vnus tamquam vnius ſæculi miraculum, ſed annis non multis plurimi; qui in vltima illa hora, an loqui fortia, an facere didiciſſent, docuerunt. vt facile videas non à Comœdis, aut Mimis, decantata contra Fortunam, in his ſcholis, verba fortia: nec excepta aſpectatoribus ſcenicis, ſolo plauſu; cum ſciamus eos hilariori oculo ſuum profudiſſe, quam ſæuiore Barbari, quam Caluiniſtæ alienum ſanguinem ſparſerint. nobilis lucta; quæ impleat calamos, fatiget; certare efferam illam Chriſtiani ſanguinis ſitim cum promptiore in elargiendo prodigendoque hilaritudine. An non habes, quiſquis es, ſat magnum experimentum veri profectus? an non
hi

hi ſatis tibi compoſiti fuerunt in illum diem, quo, remotis ſtrophis ac fucis, orbi documenta dederunt, quid intereſſet inter eruditum in Caluini ſchola, & illum qui creuit ſub docta SOCIETATIS manu? qui mori didicit ante vitiis mortuus? Non ſpargam hic emortua verba, Caluiniano more; res dabo, etiam nunc de recenti vulnere, de viua virtute ſpirantes. Vide Lector, an aliquid vlla memoria repereris ad exemplar veræ virtutis expreſſius.

Quæ bello ſic tela volant? quæ nubila cælo?
Amnibus hybernis minor eſt, minor impetus igni.
Tardius aſtra cadunt, glomerantur tardius ignes,

atque hæc ſupra omnes rupes ſolidæ virtutis decora. quinimmo —*gelida non crebrior exſilit Arcto*
Grando, nec Oleniis manant tot cornibus imbres,

quot hic preſſa denſitate, mutuoque ſe fatigantia generoſiorum factorum maria, tamquam à nouo cęlis Oceano, non minore portento quam venuſtate videas decurrentia.

Inuitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.

de illo nimirum Gebennico, omnis celſioris animi adroſore. at

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroë craſſo maiorem infante mamillam?

minus etiam in Caluiniano ore, colubri linguas, viperæ dentes. Spargant ergo venena, mordeant; ſæuient in ſuorum capita, aliena neſcient.

GENEROSIORIS ANIMI EXEMPLA.

FRANCISCVS XAVERIVS.



ASSVRGE calame, tu DIVE manum porrige, quem video creuiſſe ſupra id omne, ad quod Fortuna manum porrigit. Faueat illa ſecundiore curſu, per aduerſa ducat, in malacia vehat; an per minantes ſcopulos, ſæuientes fluctus, æqualem paremque ſibi, nec alium Fauonio, alium Aquilonio flatu virum dabit. Quid quæris Fortuna? interritum periculis, in aduerſis felicem, in tempeſtatibus placidum, ſemperque ex ſuperiore loco humana proſpectantem, ex illa altiore mente? tolle oculos, XAVERIVM intuere, & vel ipſo Liuore iudice fateare te victam. rumpatur Inuidia, videat modo grandines, niues, torrentes ſalebroſos, glacie rigentes, tamquam minora tranſeuntem. ardentes vſtulent arenæ, ſaxa, ſpinæ fodicent, & quidquid homines timemus; ille cæleſtia cogitat, ridet. Noſti radios illos Solis? terram percutiunt, & corpori ſuo inhærent. ita diuinus hic animus inter aduerſantia protruditur, ſed hæret origini ſuæ, Deo; illuc ſpectat, ac nititur. inſurgat clamor, & late ſonet repercuſſus ager; accedant barbaræ minæ, ſed & verbera: ille tranſit altior his cinctus tamquam ſiluam vento verberatam, tamquam ſegetem ſine intellectu ſonantem. poſt

quæ

quæ omnia cum ſucceſſerit ſomnus, animus vigilat; & inter crebra lætabunda ſuſpiria teſtatur vigilias, & ſuum IESVM: vt nec ſuſpicari poſſis indormiſſe. Quid agis Fortuna? videſne per omnia aſpera iactatum, inuictum fame & paupertate, per medias Orientis ſolitudines, per arentes colles, per tot flumina ex ignoto cadentia, ſuperata temporum locorumque difficultate, agentem corpus? At vis maior agebat intus, amor IESV; ſui, proximorumque ſalus. Aude modo, & quę potes infeſtiſſima, quæ pertinaciſſima deprome iacula. experire quid vterque poſſit. mitte ad ignota maria; ſuperabit. transfer ad mundi clauſtra; perrumpet. Maiora refero. ille ſub trita lacerna, & nullius non iam anguli, ſed calcei dominus, poſt Indos & Iapones, etiā Sinenſem inhoſpitam terram, colla ſubdere Chriſto meditatur. Quo, quo Fortuna? ſola non potes? adde crudelitatem comitem; egere vires; explica carceres, catenas, equuleos, cruces, ferrum, ignes, ferarum turbam; & omnem ſæuitiæ apparatum capiti, pectori minitare. cunarum hæc terriculamenta ridet XAVERIVS. Quid, inquit, mihi febris, an hoſtis manum iugulo admoueat? bilis, tabes, an ignis viſcera torreat? adactus per medium hominem ſtipes, an præcordiorum dolor intima depaſcat? ceruicem gladio, an vlceri præbeam? pedes manuſque catena, an obrigeſcentes ac ſine ſenſu iacentes nerui ſtringant? Perge Fortuna, perge crudelitas. conuoca ſenatum roboris tui. ſagittis fundiſque petis? tam minuta iacularis? leonem ſubula, aprum ariſta, taurum digito excipis? nec molaribus frangitur. excute rupes; ſi non in eodem colore videas, eadem oculorum firmitudine, ſpera te quidquam poſſe. Vinceris, & fa-

& fateris. & nouiſſimum tamen telum mittis; paupertinam caſulam, furcis fultam labantibus, raris rectam ramalibus. latera frondes & ſtipula claudunt, cœnoſo oblita luto; & illam extra ſolis terræque vias. Nihil agis imbellis manus. excludis terris? cælum recipiet; & e contubernio carnis educto, diſcuſſa caligine, diuinā lucem, vndique claram, totamque dabit. quæ nunc per anguſtiſſima emiſſaria, ac receptacula oculorum, tantum ſtuporis procul & obſcure intuentibus incutit; quid faciet cum illam ſuo loco videbimus, reductis velis: vbi nulla ſerenum vmbra turbabit, vbi nullæ nubes obſtacula intercurrent? Beata dies, tot votis optata! dum per has æui moras illi præluditur; tot lacrymis tamquam irriguo amne madidata; tot ſuſpiriis tamquam illicibus amoris flammis prouocata. & hactenus quidem acto per occulta curſu; nunc veſtigia implicata crebris anfractibus, nunc vmbram ſui, nunc ludibundum oſtentauit ex interuallo radium: at tunc integre magnitudini ſuæ reddetur. Et vt Ægypti illud decus, æſtiuo incremento tumēs, clauſtra laxat & oſtia, fecundatque anhelos campos, votiſque feſſos: ita hæc dies, cum mixtum hoc diuini humanique ſecreuerit, totam ſe diffundet in partem ſui; rapietque ad ſe, graui terrenoque ſolutam; quod tamen nos illi aptauit, & per tot acies dedolauit, in feliciorem partum vitæ melioris. ita nos tenuit maternus vterus, parauit non ſibi, ſed illi loco in quem videmur emitti.

Vis ſcire, an meliore nunc vita viuat XAVERIVS? rem intuere, ipſa loquitur. Defuncti corpus, magna vi viuæ calcis obrutum, terræ mādatur. quarto ab ea humatione menſe, nulla tabe, liuore nullo tactum deprehenditur.

Olim

Olim magnum fuit, Ionam incolumem exſpui; cum illud triduum concoquendæ carni ceto ſuffeciſſet: magnum, Iſraelis calceamenta & veſtes poſt annos XL. indetritas & inobſoletas perſtitiſſe; & Babylonios ignes, trium fratrum nec Sarabaras Iudæis alienas læſiſſe. An minus erit, XAVERII carnem poſt quartum menſem requietæ & reconditæ calcariæ ſepulturæ, ſucci plenam, colore viuidam permanſiſſe? & veſtimenta e viua calce excuſſa, etiam colorem tenuiſſe?

Delatum exinde corpus Malacam, cuius ciues graui per id tempus cum morbo conflictabantur; Deo illorum duritiam, & in XAVERIVM dum in Sinas ſolueret animos inæquiores edomante, & rudem illorum ad obſequia mentem operoſis exercitationibus dedolante. atque hic, menſe iam poſt mortem quinto, & ſanguis profluit, & redeuntibus incolarum obſequiis, eodem quo XAVERIO parentatum eſt die, omnis illa infeſtior ægritudo, tamquam fulmine de cælo icta, periit.

Goam tandem corpus deuehitur, naui carina debili, ac tantum non dehiſcente; ita vt rei nauticæ peritiſſimus quiſque denuntiaret fore, vt, laxatis in medio curſu compagibus, mergeretur: tenuit tamen portum. & vt omnes intelligerent, præſidio illam ſuo tutatum fuiſſe XAVERIVM inter ſaxa & fluctus; eo ipſo momento, quo creditum ſibi corpus Goanis tradidit, mercibuſque leuata eſt, eodem quo ſteterat loco, in ſumma malacia, nulla alienę manus acceſſione, demergitur. Cogita nunc, quiſquis es, XAVERII corpus, & virgam Moyſis. hanc imperantem mari rubro, vt funditus proſciſſum, ſicco Iſraelem pede inteſtino itinere tranſmitteret; rurſuſque ſub

eiuſdem virgæ nutu redeunte natura, Ægyptium exercitum vndarum cõcordia obrueret: XAVERIVM verò, & Auſtrinos reprimẽtem flatus, ne toto hoc curſu ſæuirent; & ſcopulis imperantem, vt dimitterent ſaluam, quam implexam iam tenebant; & carinæ, ne aquam acciperet; & aquæ, ne illam occuparet; & naui, ne diutius ſtaret; & mari, vt illam placide dimitteret, eodem momento, quo onere leuatam ſenſiſſet. Atque hic menſe poſt mortem nono ita omni parte ſibi corpus conſtare repertum, vt arbitrarentur plerique, amica vi ſoporis eliſum, blandaq; magis quietis neceſſitate proſtratum, quam emiſſa anima iacere. illam enim carnem, quam interibilem ſcimus, multa ibi hominum millia, etiam ad explendam omnem curioſitatis auiditatem oculis ac manibus pertentantes, tamquam de vita recentem, de anima calentem comprobarunt: vt iam tum viderent æternitatis illam felicioris candidatam. Acceſſit aliud, aduerſus ſæculi huius incredulitatis & peruerſitatis ingenia, prouidentiſſima Dei benignitate: quo fidem, in non paucis laborantem, in veræ fidei ſectatoris corpore animaret; &, tamquam manifeſtis luminibus, ab omni ambiguitatis obſcuritate depurgaret. Iuſſu Proregis Indiæ, Medicus propius veritatem tentaturus, ventrem ſecare aggreſſus, recentiſſimo promanante ſanguine territus, & veneratione ſimul animum pulſante, deſtitit. inſeruit tamen in vulnus digitos, comperitque nullo tetro odore grauia, inteſtina integra; vt crederes ipſo illo momento animam efflaſſe.

Quid dicis Arnalde? non hic oſſa durant, aut dentes perennant, tamquam ſemina fructificaturi corporis in reſur-

resurrectione:caro & sanguis post nonum mensem,post reconditoriũ illud viuæ calcis,intacta permanent.an non vides tamquam in medio Sóle(scio lippientibus omnem lucernam grauem esse) ad quæ loca euolarit anima,quæ carnem, quæ sanguinem,nonum post mensem,præbuit tamquam a somno recentem? Negabis, sat scio; nec tot millibus testium horum prodigiorum, quibus caussa nulla fuit mentiendi, credes; non Clero, non Proregi, non vniuersæ nobilitati populoque; conaberisque cum tuo Miseno,pari,aut superiore etiam maleuolentia,facta deprimere. Nosti hederas? quantum velis premas ad suprema tamen conantur;& nullo præeunte,parietibus inuehuntur textili silua,ne humi volũtaria iniuria terantur. XAVERII gloriam quo mendaciore dente momorderis, exsurget magis,&ipso sanguine liuentis malignitatis tuæ lacunas reteget. Redeo ad hederas;quibus si de ædificio male est,crescendo recedunt;vt refugium sentias, ramos aliorsum destinatos,de diuortio parietis quærere. XAVERIVS male linitos, male coagmentatos parietes Gebennenses fugit, vt ruinæ prænuntios,vt fauillas æstiuæ areæ, vt ignis æterni pabulum; & melioribus veræ fidei innixus,ea etiam post mortem(ne putes ignauescere corpora Sanctorum) patrat miracula, quæ sola satis forent, ad sepeliendum Caluinum in aliquo capulo perpetuæ rupis. Nam & cæcos perluminat,dæmoniacos expiat,leprosos emaculat, mortuos vitæ reddit; procellas & freta componens, tutum nauigantibus iter præbet. Fidem inter Indos & Iaponios, iam inde ab Apostolis quasi per manus traditam,sartam,tectam,ac ne vestigio quidem degenerem, verus hæres Apostolorum, sicut hi testamento

cauerant,ita disseminat, non minore gloria, quam animo. At ille magnus Arnaldo Propheta, Galliæ læta pascua delegit;in quibus rudes animas,& plerasque in ventum Christianas, nouitatis suæ gratiositate percuteret. ita plane renouauit Gebennensibus nouamen nouum: mirum si non & circumcidit Deo suo, nouis semper mendaciis siluescens, deque populi illius simplicitate & noxia libertate fructificans.

Sed rogo te tanti parentis non vltima egeries, ante illam Gomorrhæam Nouiodunensem scenam, vbi erat Caluino decantata fides? dices latuisse. at quæ illam latebrarum obumbrarunt antra, sæculis omnibus ignota maioribus, annis nimirum M. D. XX? male sit illis antris. Sed quis aut illa, aut latitantem in iis fidem, Caluino prodidit? aut quænam insana vates effero bacchata corde,

—— rupe sub ima
Fata canens, foliisque notas & nomina mandans,
Præscia venturi, hæc, rapidis ludibria ventis,

Caluino in aurem cecinit? Erythræa fors, an Cumæa? ni mauis Samiam, Ægyptiam, Sardianam, monstrorum decantatrices. An verius ille sibi eam commentatus est, vt Romulus Consum, Tacitus Cloacinam, Hostilius Pauorem? nam si de suo non suxit, à quo hausit? a quo missus in Euangelij propagationem? cuius auctoritate Galliæ sacros transuertit fontes, totque sæculorum limites commouit? ostendat antecessorem suum; ita vt illum per succiduam successionem deducat ad Apostolos, aut horum Discipulos. Faciemus hoc nos in singulis Ecclesiis; designabimusque Apostolici seminis traduces. Confingat tale Caluinus in nouitate sua. Sed volo te in ipsa Gallia

Gallia iugulare. Dic mihi Arnalde: quod lac a Diuo Dionysio Parisienses hauserunt? ad quam regulam a Diuo Remigio Remēses, Gallique sunt recorrecti? quam fidem edocti Lugdunenses, Arausicani, Viennenses, Pictauienses a Diuis Irenæo, Eutropio, Crescente, Hilario, tot sæculis virginem tenuerunt, septam Apostolica custodia? quibus Euangelium Diui Aignanus, Martialis, Trophimus, nisi Aurelianensibus, Lemouicensibus, Arelatensibus, sanguine suo firmatum reliquerunt? Taceo Turonenses, Burdigalenses, Bituricenses, Aquenses, Massilienses, reliquasque nobilissimi regni Ecclesias, in quibus omnibus ordo Episcoporum ad originem recensus, in Apostolos stabit auctores. quę omnes de societate doctrinæ confœderatæ, vsque ad Caluini manum ponticam, adulterio hæretico taminatam, eadem docuerunt, tenuerunt. Nega, si audes, Arnalde. quid enim tibi, post tot blasphemias spurco ore ructatas, illicitum est?



Addam, & finiam. Ante natam secundam Nouioduni in Caluino Sodomam, an non in Gallia omnium vna fides fuit, omni historia teste? vt hinc iure destinari debeat hæreticus, qui, deserto quod prius fuerat, id sibi elegerit, quod retro nemo viderat, docuerat. nemo enim illorum, quos recensui, Caluinianam hæresim professus est: sed quod ab Apostolis, Apostolicisque viris, a primordio acceperant, fide integra tradiderunt, parique ad posteros fide transmiserunt. Nec ante æmula facta est Gebennensis & Rupellana doctrina illi, quam ab Apostolorum successoribus, Domini ante vestigiis complanatam, Galli acceperant; quam Nouiodunensium insignitus lilidemia, sæculorum scorpius, virus intimauit

ſuum, quod properaret in incauta viſcera; quo & priſtini Apoſtolici ſenſus retorpeſcerent, & illud diuite Maiorum vbere propinatum lac gelaſceret; fideſque Apoſtolorum hæreditaria, ingeminatis ſauciata plagis, blaſphemiiſque lancinata, vel in hæreſim, vel in diuinorum contemptum exſpueretur. Hinc illi apud has ſimplices animas, & ſolum columbas in errorem pronas, nomen magnum: quale Aratus Perſea, Cephea, Erigonen, Ariadnen inter ſidera delineando dedit. adlegere enim hunc magnis cælo terraque nominibus, Euangeliſtis quatuor, blaſphemo & calamo & ore nõ ſemel aggreſſi. cui mirum? Euangelium namque interpolando, & ab oneribus expediendo, ſuum fecit, interſparſo hinc inde modico, ſed noxio fermento, quo totam fidei maſſam hæretico acore decepit; propinans ſub dulcoris libamento tot prope venena, quot verba; tot pernicies, quot ſententias: quibus verberati Gebennenſes, mirum quanto ſupercilio ſtuporem ſuum ædificent, quod Euangelium nouum acceperint; tamquam eos veteris pudeat. Inſoleſcunt & aliquando in æmulas ſuas mulierculæ, cum prægnantes ſibi videantur, aut ſanguinis tributo, aut inualetudine quapiam tenſæ; at redeunte lege, aut valetudine meliore, inanem gloriam latiſſimo multarum riſu vapulant. Figo hic gradum. pleniore enim aliquando & opportuniore loco, ex ipſo Euangelio, fidem hanc nouam retundam, impudentiam ſuffundam: vt tandem de cæcitate ſua, deque hac Caluiniana ſpongia, Gebennenſes (ſi qua illis frons, ſi qua mens, ſi quod veſtigium hominis erubeſcant.

GASPAR

GASPAR BERZEVS BELGA.

DABO te tuo penicillo, inluſtre Belgij decus: nec quidquam extra te,alieni coloris. Cum per vicina cælo iuga,perque illa, ſaxa, an montes, ſed & duriorem ſaxis niuium gelidatam denſitatem, animarum igne ſuccenſus, euolas alacer; teque tuoſque animans exemplo Chriſti,ſpe futurorum O qualem virum Orienti dedit Belgica! ſæuiunt maria;calcat vt torrentes.minitantur prolabentes totis radicibus niuei montes; ridet vt plumas.circumſtrepit Barbarorum fremitus, ipſo crudelior ferro;folia huic ſunt Auſtrinis acta flatibus.ita maior humanis temnit hæc fortuita magnus Chriſti miles. pluat, ningat,grandinet,fulminet,tonet, cælumque terramque miſceri videat, pectus illius altius omni nubilo in perpetuo ſereno eſt. Quid miraris? certam ſibi in eo ſedem fixerat magnus ille Sol IESVS, cuius radios nulla nubes flexit,nulla tenebrauit: ſed & ab huius recogitatu, perpetua cordi & ori fluunt mella. Arborem cogita, cuius mediale autumni tempore ſuccino lacrymat: Agrigentinum agrum cogita, ſolo numquam deficiente, æterna reiectatione terrā vomentem. at IESV nomen perpetua largitione mella fundit;alternataque numquam immoritura ſerie,nunc mētem paſcit cæleſti dape,nunc pectus rorat nectario ſucco, nunc labra mellit, adipatque. Ex his hauriebat noſter illa ſalubria monita, quibus exſucca Gentilitia pectora,& Chriſtianorum maciem,tamquam myſtico adipe & ſpiritali aruina diſtendebat.

Olim

Olim Cretensibus Minos, Persis Zoroastres, Ægyptiis Menas, Spartanis Lycurgus, Atheniensibus Solon, Romanis Decem-viri leges dederunt: at illæ nihil ad has, quas Orienti Orbique nouo GASPAR BELGA dedit.

I. Deum venerare, propitiare. illi, sicubi peccatum est, profuturas lacrymas mitte. solidæ cadunt, dum stat hæc vita: nam post eam ruunt nil profuturæ.

II. Virtutem cole, qua sola distinguimur. nam, si ortum spectes, pares nascimur, nec sericata mater nitidius partum fudit: nec minore lympha Regiam prolem abluit docta manus, quam pauperis casæ. Nec vna tamen contentus viue. nam neq; solitaria mentem explet, & virtus aliam trahit. quarum seriem si totam imbibes, nulla te temporum, nulla ingeniorum malignitas e recto bonoque dimouebit. Vide insulas illas herbidas, quæ innatant suis fluminibus, arundine & iunco textas; perstant in ætates, derasum licet ostentent marginem, dum terunt, teruntur que litoribus illisæ. ita fiet in illo virtutum perpetuo nexu, innatabunt animæ suæ, tamquam Oceano; perque secunda & aduersa adrasæ, colorem tamen suum seruabunt, habitumque.

III. Sed & vis procul a metu vitam ducere, septus firmiore Sicula manu? nulla certior custodia Innocentia. Est enim inexpugnabile munimentum, munimento non egere. & frustra se terrore cinxerit, quem odia circumstant suorum, alienorum.

IV. Innocentiam sequitur constans mentis linguæque concordia: cum nullam mentiendi caussam habeat, quæ fere timorem, aut alieni auidum pectus sequitur. seruile enim vitiũ est mendacium: vnde fit, vt magnitudinem

dinem dignitatis suæ Christianus, qui mentitur, ignoret.

v. Sed & qui bonus esse volet, rectique tenax, implacabilem se præbeat sibi, exorabilẽ aliis. ille pessimus est, qui dare veniam nisi sibi nescit. prior ille ita peccatis abstinet, tamquam nemini ignoscat; ita ignoscit aliis, tamquam ipse quotidie peccet. posterior ita alienis irascitur, tamquam si ipse numquam labatur; ita labitur, tamquam si perpetua venia cum indigeat, tũ solus ea dignissimus sit.

vi. Numquam formæ fidas, non opibus, non obsequentibus, non blande trahentibus. impellunt enim hæc ad lubrica; ad non leue præcipitium. at nos in sicco, in plano, parum firmiter stamus.

Insidias & campus habet nec fossa, nec agger,
Nec sint laxa licet fallere plana solent.

sed & ista Fortunæ viscata beneficia habent possessores suos, non habentur: in quibus semper senties plus aranei veneni, quam apei mellis.

vii. Magis etiam infelicis luxuriæ tormenta fuge. nam & Temperantia animum meliore dextera, quam ventrem ornabit aut onerabit luxuriæ manus. & nescio, an non magna pars libertatis sit bene moratus venter; nec aliud desiderans, quam foueri. nam & victimæ ad supplicium saginantur; & hostiæ ad pœnam coronantur: raro ferri contumeliam sensit strigosum animal.

iix. Nec minus semifumantes adhuc à proximo incendio dignitates deuita. Cogita flammam. remota illuminat, admota comburit. Sed & volue historias; & vide illos, quos supra spem vulgi, supra natalium suorum modum, in altum Fortuna misit,

—— *vnde altior esset*

 Casus,

Casus, & impulsa praeceps immane ruina.

& vero in humili rarior lapsus est: sed & ipsa altitudo attonita habet summa; & illud honorum fastigium ad praecipitia cursus est. Vis animum ab his immunem? meliore Dei flamma pectus incende. ita nulla te Fortunę iacula dehonestabunt. decolorabunt fortè, & supremam cutem tangent; vulnera, sanguinem nescient. Et vis scire, quam parum fida sede, quam infido fulcimento nitaris? circumfer oculos, & vide, quam volubili orbe circumagamur. maior etiam rerum vicissitudo est. quam si intuearis, vitam hanc æuum putabis. & tamen, si annos computes, vix iam tempus est.

IX. Fuge susurrones perpetui secreti. Christiano enim si non aperto pectore officia pura miscentur, si cuniculis mens occulatur, plus habet vrbicæ quam Euangelicæ virtutis. sed & nullis magis quã audientibus insidiantur hi susurri; quos aut adulatio vestit, aut sanguis proximi.

X. Fuge quos senties spes suas in rerum motibus habere, & amare tempora dubia. numquam erunt illi amici tibi; commodis suis erunt, vbicumque ea fuerint. Fuge quos videris ad omnem spem dolosi nummi vela dantes; & tamquam in magno mari, plurimis ad illum ventis vehi, non dicam omnibus; pari felicitate, an perfidia; pari dexteritate, an astu; bono suo, an fallaci in perniciem tuam dissimulamento. numquam illi rebus tuis consulent, nisi viderint eas coniunctas cum augmento rerum suarum. seca hanc spem, & illi vela vertent in portum spei suæ, vbi vbi fuerit. nil amica fides, nil mutuæ dexteræ, nil iusiurandum, nil sanguis, nil religio, nil Deus ipse. nam illis hæc omnia in vna Fortuna secundiore auri

& di-

& dignitatis, tamquam in ſummo bono, ſita ſunt.

XI. Amabis vero & amplexaberis toto niſu, ſi quæ aduerſa inciderint: ſecunda metues. illa tibi viam ſternent ad beatas ſedes: hæc deſternent. in illis, ad purum decoctus, diſces ſuſpirioſis vlulatibus Chriſtum quærere, & inuenies: in his, mente ſordidus, purpura fulgens, æternum vſturas flammas nolles, & reperies.

XII. Sed cum nullo non tempore, magis tamen aduerſantibus rebus, amicos cole. nec imiteris illos, quos vides iis vti tamquam floribus, tamdiu gratis, quamdiu recētibus, quamdiu aliquid adflant odoris grati. at tu eo amicius, eo ſuauius ſtringes; quo facilius liuent & marceſcunt, incurrentibus aſperis. quo tempore ad omnem doloris ſenſum argutiſſimos reperies.

An non tibi hæc monita ab altiore quam ab humana mente? & ego tamen paucula de innumeris prope delibaui. Nunc addam vnum, quod mihi ſemper magnum. tu, quiſquis hæc leges, vide an fallar; & ſimul diſpice, miraculi magnitudine vincat an vincatur natura. Fontes memorant Veteres portentoſos, qui ocularias diſſipant ægritudines, coarguendiſque valent furibus: in quibus quiſquis ſacramento raptum negat, ſi periurium nullum eſt, videt clarius; ſin falſum iurauerit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admiſſum tenebris fatetur. GASPAREM noſtrum quiſquis adit crimine grauiore irretitus, lacrymis diffluit, & melior iam abit: quod ſi obſtinauerit in ſcelere, vix dies pauculos tranſit inultos. Finem faciam; ne quis me putet imitari balbutientes, quos videmus affectare copiam pudore defectus. Longe hoc à me, qui, ſi velim vel ſumma peruolare capitum

fortium factorum dictorumq; ab hac diua Mente, menses lassabit integros. nimis enim diffusa meritorum illius laus, quam vt stringam tam angusto spatio, aut manu.

ANTONIVS CRIMINALIS.

AVOCOR. & hoc pace tua magne GASPAR. Non inferiore passu CRIMINALIS meus magnum virum Orienti dedit, Orbi dedit. vt reliqua taceam, illustria & multa, & tot prope miracula, quot vitæ dies: nouissima illa hora, quantum virum dabit! Potest se in tutum recipere, corpus ferro subducere. Nihil agis blanda Suadela, sub tegmine Pietatis. CRIMINALIS noster, immo meus, negat, quos Christo sacrarat tenellos palmites, sæuum vrentibus relicturum flatibus. Ferro traderet, qui spiritum trahere, in aperto durare à genitali lauacro, tamquam à matris vtero molliori, recentes primum didicerant? durioris tactus manum refugit, quidquid noue mater excussit sinu, & arma feret barbara? Apage sæuitia. CRIMINALIS meus ostentat vbera; ferrum nescit, ne in alieno quidem. ergo mater est; coactisque suis ad certiora, solus exspectat hos miluos, coruos, aquilas, a quibus circumsessus, non ora mutat. Miraris? tot ante annos per confragosa, per aspera, prærupta, deuexa, dura, quid posset in hac hora (quæ sola virum ostendit) didicerat: vt nihil illi iam inopinatum, nihil non exspectatum accideret; nec mors ipsa. quæ vt venit, credo sperabat tironem, incidit in veteranum; & stupuit ad repercussa iacula. nouũ orbi prodigium. talem fecerat prior vita e SOCIETATIS schola: talem Christus militiæ huius Dux Magnus.

Magnus. cuius decretoria illa, an permiſſoria imperia vltima, impiger & vultu etiam ridēte excipit noſter athleta. Ergo vt vidit ſuo periculo extra periculum eſſe ſuos, armato pectore illo victricium Chriſti armorum decore, hoſtile ferrum recipit; & ſimul generoſos illos ſpiritus emittit ad feliciores ſedes.

ALPHONSVS A CASTRO.

QVID tuos CASTRO ſudores, nec iam guttas, ſed riuos per fortia colla manantes, tam prodige fundis inter Moluccos, gentem barbaram, ludibria artium & opera manuum ſuarum adorantes: à quibus quid ſperes, præter irritam operam, & infructuoſam; præter mentem efferam, & poſt beneficia minus gratam? Reſpondebis ſcio, Deum (cuius iudicium in ſuos, non in compede aut pileo vertitur; ſed in æternitate pœnæ, aut ſalutis) elementorum ſeruitia, totius geniture tributa, dignis ſimul & indignis pati occurrere, & ſuſtinere ingratiſſima pectora. Sed parceres ſaltem labori, neque tā plena manu obiiceres caput gladiis, crucibus, beſtiis. Ad quæ athleta Chriſti: Seueritati, ait, diuinæ declinandæ, vel liberalitati inuitandæ, quæ militi apud Ducem via ſupererit, ſi reformidauero pati pro veritate in ſalutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem? & an non modicæ ſunt paſſiones, modica omnis obſequij diligentia, ad diuinæ mercedis conſecutionem? ita eſt. Aliquid tamen dandum corpori; nec omnis ab illo voluptas in exſilium mittenda. Ridet noſter: Et quæ, ait, maior voluptas, quam faſtidium voluptatis, quam ſęculi

totius contemtus, quam conſcientia integra, quam mortis timor nullus? vtque iam voluptas abſit: an non conſultius illa carere momento hoc leui, vt æternum fruaris? & in hac area mundi variis paſſionum flagellis triturari hominem exteriorem, quam æternum ignibus torqueri? Et ſane quiſquis contempti Mediatoris conſequitur regnum, velit nolit, neceſſum eſt, vt ante ſecutus fuerit exemplum. & nos quidem parua toleramus, ſi recordemur quid biberit in cruce, qui inuitat ad cælum. Hæc generoſus athleta, mira oris qua erat modeſtia, maturaque cunctatione; quam, pari libra, grauitas comitaſque ſociæ venuſtabant.. Cumque omni vita, moribus, ore, voce, ad miraculum pacatiſſimus fuiſſet, (perpetua enim apud eum malacia) vt ſenſit tamen diem adeſſe, ſanguine teſtandi fidem, cœpit, quaſi oblitus modeſtiæ, totum ſe profundere in voces gaudio grauidas, & iam iamque magnũ aliquid parituras. crederes ab eodem patre cũm fonte illo quieto, & tranquillo, cum ſiletur; exſultabundo vero ad cantum, cum tibia inſonuerit, & quaſi ad admirationem dulcedinis vocis vltra margines intumeſcente. Nam ſi Martyris noſtri vitam intuearis, exemplar videbis omnis modeſtiæ. accedat barbarum ferrum, & inconditus minitantium & infrendentium clamor; egreditur limites perpetui tenoris, ſeque vitaque ſua iam maior exſilit. Vt ergo incidit in Mauros opimum hoc cælo natum ſpolium, viduatum veſtibus, dies totos quinque per aſpera & confragoſa raptant fune adſtrictum.

Credamus Tragicis quidquid de Colchide torua
Dicitur & Progne.

inde colli nuda cingunt virenti indolato ligno, tam-

quam

quam trabe. arbitreris immane iugum. quod tamen, quia Christi, leue fuit militi nostro, sed & suaue. sæuiunt demum ferro, corpusque iam prope vulnus vnum deturbant in mare. excipit illud amicum pignus, quod tertio post die reddidit terris, plurima luce circumfusum; litora complentibus Barbaris ad nouum cælo terrisque prodigium. mira res, nulla in cadauere signa vitæ extortæ; non cutis liuida, non oculi protuberantes, non in obruto vultu iræ vestigia, aut doloris. viuere putes, & adhuc inesse animam. sed & sanguis fluit tamquam a recenti cæde roseus, purpureus; qualis decebat tantam mentem. Nec fuit diu læta sicariis cædes. nam & illi, & quotquot sceleris conscij, fautores, igne viscera exæstuante adesi, minantis iudicij exemplaria ostentabant; paucisque intercurrentibus diebus, inter vindicantia tormenta, irreuocabiles focos designabant.

CONSALVVS SILVERIA.

SERIA SILVERIAM oratio, honorque æternus annalium, non hæc succinctior prædicatio colet; quando in venerationem eius, non theatra, sed orbis, qua patet, consurget. Inter Barbarorum noua semper cæde hebetatorum latera dentata, in illo barbaro salo decoloratis gurgitibus monstruoso, & fluctus frangit, & domat ventos reluctantes, transfretatque obstantia freta: strideat licet funis, curuetur arbor, gubernacula gemant. hoc est esse virum. nam ille qui placido mari vehitur, inglorius subit portum. Tu quisquis es, dispice, an prioris imaginem reperias in SILVERIA. Vide quanto conatu quam secunda dexteritate, idololatrici portẽti artifices subagat:

quam

quam valido robore Gentilitios aſpides, & regulos ſerpentes, arida & inaquoſa ſectantes, atque ideo in baptiſmum inſurgentes, propellat; ipſaſque Regis, matris, procerum trecentorum, non iam viduis aquis, ſed ſpiritu animatis, & quodam Magni afflatus connubio ſocialibus dextris grauidis, & purgatricibus, mentes expiet. inde nata emulatio Mahometani Antiſtitis, (agnoſce verſutias diaboli; quod ſuo non poteſt, ſuorum ore peragit) qui paulatim per ambiguitates bilingues, verbo profeſſus veritatem, (non poteſt ædificare mendacium, ſine demolitione veritatis) SILVERIAM ſugillare, ac quaſi tranſfunctoria congreſſione oppugnare; exinde occupatis Regis auribus, imprimere vulnera; ignarumque machinationum harum vocare in inuidiam, & in deſtinatam iam diu animo mortem. Nec fuit hoc ardui moliminis in iuuene Rege; in quo nondum ſatis proceſſerant Chriſtiani Veri documēta, quibus illam vim vafram, antiqui erroris artificem, omnis boni auocatricem, noſſet, propelleret: Ergo inaudita cauſſa mors imperata. nec reperit illa ignarum. Deus eam ſeruo ſuo denuntiarat; ille amicis. quibus illacrymantibus, fugam adornantibus: Moriamur, ait, ne degenerēs Chriſto dies magna, dies Domini redarguat: aut ſane ponendum Chriſtianum nomen, cum illo a primordio operatore mendaci diuinitatis. quod cum impium ſit, indigniſſimumque SOCIETATIS nobili palæſtra, a qua didici ſtare, ſanguinem fundere, Chriſtum imitari; amplectamur lubentes, ſi non coronam ſpinis & tribulis, in figuram delictorum, plenam; ſi non crucem, funem ſaltem, & mollius elementum. Factum vt dixerat, fune & aqua vitam finiit.

FRAN-

FRANCISCVS LOPEZ

INCIDIT in Mahometanos. vitam promittunt, ſi ad Mahometem tranſeat. Chriſtum induerat. mortem illi ingeminant. at ille ſecurus de vita meliore vltro etiam increpitat; non circumtonſa oratione, aut de capſula cincinnata. non eſt illuſtris animæ criſpata concinnitas, aut fucatus nitor. gaudet ſuo, ſecuruſque bonæ mentis, magna verba proiicit, credas ingentia ſaxa, credas fulmina de potentiore cæli latere. ita noſter LOPIVS, plenus fiduciæ, non curæ: nihil fractum, ac ne manu quidem factum; ſed natiuo robore & colore plena, animum indurantia, & aduerſus minas erigentia verba promit ex illa SOCIETATIS nobili pharetra, diuite penu, feraci campo. Mahometem ore, vultu, oculis, negat, exſecratur, damnat: Chriſtum ſuum profitetur. an non iam ſuum, quem tam grādibus paſſibus, ſiccis oculis, interrita fronte, in vulnera ſequitur, inde in mortem, immo in vitam! *Hodie mecum eris in paradiſo*. contingant mihi paria, animus, robur, exitus, vita. Ita fiat magne DEVS.

RVDOLPHVS AQVA-VIVA.

ET ego non aliam imaginem dederim viri vere magni, vere nobilis, quam orbi, quam poſteritati dedit RVDOLPHVS AQVA-VIVA. non quod ſecum traheret imaginum fumoſarum ſeriem. nam quid, ait, prodeſt

—— longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Maiorum? aut quid habebit
Diues auis, & vtroque Iouem de ſanguine ducens?

Animus facit nobilem. Plane ita eſt. nam ſi ad Adamum reuocas, perduxit omnes in hanc diem ex ſplendidis ſordidiſque alternata ſeries. Mens, ait AQVA-VIVA, bona nobilem facit. ad hanc omnes nobiles ſumus. & vna hæc hominis eſt: non quod ante eum fuit, aut Fortuna adiecit. ita eſt. non magis quam adminicula aurea vitem laudatam dabunt; quam gemmei freni equum meliorem; quam bracteata iuba leonem generoſiorem. Magis tamen elucet, fateor, inter opes, & honores, & illa dignitatum faſtigia, mens bona; magis etiam mala. nam in paupertate, & deiecta illa Fortuna, inſtrumenta explicandæ nequitiæ deſunt. hinc multorum crudelitatem, ambitionem, luxuriam Fortunæ diu fauor deſeruit; vt primum pleno ſe illis explicauit ſinu, torpentia illa venena excuſſerunt in omnem partem ſui, caſura in non leuia capita. Venio ad AQVA-VIVAM propius, inter illas Orientis ruinas, cum religio quaſi in vno capite periclitata finem reſpiceret, non labantem, non vultum mutantem. cum ferrum ſtringit in inermes ſocios illa Barbara manus, ſtat mens illa magna,

—— *luxuriatque toris animoſum pectus*,

& ſe fert obuiam ſæuientibus. ita virtus non contenta excepiſſe. vltro ferrum prouocat; ceruices aptat, ne percuſſorem veſtis falleret. nec terrent efferæ voces, non diſcolor vultus; & inter fragores ferri & minarum, colorem tenet. tenet? etiã ſocios in enſes inhortatur, & haſtas. Quid agis Crudelitas? cum viro tibi certamen eſt. alium quære, quem ſubigas; quem à Vero dimoueas. ſecabis membratim? ſed & ignibus rimare conſtantiam. adiges in lignum? etiam manu tot ſcelerum conſcia deſcende

in

in ſecreta pectoris, ingentes animos reperies. Pete dehinc Socios, *Paciecum, Araneam, Bernam, Antonium, Franciſcum*, ſingula ſidera ſub illo magno Sole inter ſe lumen miſcentia. emortuam hanc lucem dabis? age recludat ferrum velamenta illa nouiſſima, corpora dico, & diem videbit Oriens. nam ante tenebræ. aut ſi quos per anguſtiſſimas rimas fractos ſpargebant radios illi Soles, illa pectoribus cluſa ſidera, auroram promittebant primam; diem non dabant. nunc ferro diſcuſſa caligine, reſeratis adytis, inuolabit lumen totum in oculos omnium. ita factum. nam vt primum magnæ illæ Animæ per vulnera migrarunt in meliorem diem omnis æui, excuſſit tenebras illa Gentilitas; oculoſque hac luce percuſſa, defricta ſanie, cœpit agnoſcere diem, quam putabat noctem.

IGNATIVS AZEBEDVS.

QVAM vellem fecundiore rore in illis pinguibus AQVA-VIVÆ paſcuis totus immadeſcere, plenoque gutture fecundo perfundi germine, & alterna dextera libare mella, calamo ludere; vnoque penicillo, mille coloribus, licet ruſtica manu, mente tamen bona, omnem hunc agrum ad miraculum variegatum, caſtiore lilio, integriore lauro, verecũdiore roſa, probatiore viola, in omnem ætatem poſthumam, leui ductu adumbrare. Sed negat a Caluini latere ferrum, quod minas fulminat, tonatque montes. at ego nullum video ex hoc magno magni AZEBEDI contubernio trepidantem, latitantem, aut refugo pede latibula captantem. omnes aduerſis

pectoribus, omnes dum tela excipiunt, lætius ſanguinem fundunt, quam hauriat illud ferrum. hoc eſt glorioſo & excelſo ſpiritu Chriſtum ſuum, quantum mortalibus paſſibus licet, ſequi, æmularique. Et quos hic cui anteponam? æqualiter ſplendet omne hoc cæli latus. an non cælum, in quo ſibi ſedem cæli Magnum Numen, & ſedem æternam? Tu mihi tamen ante omnes nobilis cohortis nobilior Ductor. Anima in hoc ferro ponenda. quid dicis AZEBEDE? Hauriat etiam ſanguinem, & Saturno ſuo Caluino libet. Generoſam vocem, & neſcio an humana maiorem. Cruciatus, & tormenta ibunt per ſingula. Iam diu ad iſta paraui hanc carnem. Potes te eripere; paullum tantum concede de hoc rigore: potes & dignitates accerſere. Gaudeat hoc mendacio, quiſquis a Caluini pulpito ad ferrum volauit: nam SOCIETATIS ſchola bracteatam hanc felicitatem, nõ multo poſt igne luendam, ridet. Non vides, ait, quanti malorum montes, quanta maria, ſub hac tenui diuturnioris vitæ & dignitatis membrana lateant? retege: Ætnæ montes ludos arbitrabere. Sed moriendum. Eadem, inquit, omnes exſpectat hora. At hæc tibi ſuprema eſt. Corpori erit; animæ ſuprema non erit. Verum ante redde hanc ſtatuam, quam pectore foues, (erat ea Deiparæ imago) ignibus examinandam. Quid ad hæc AZEBEDVS? Non ſum, ait, ex Caluiniani theatri magnis viris, quos puluis motus fuga pecorum exuit armis & caſtris. non ſum ex Lutheri caulæ magnis viris, quos a bibitis & exeſis noctibus, poſtquam dies extulit ſeruulorum manibus, diſcinxit meretricula. E SOCIETATIS acie miles adſum, in qua non didici exarmatus mori; loricatus animam ponam,

ponam, cum ferro ponam. & lorica mihi, & ferrum, Diuæ Matris hæc imago. ibit illa mecũ teſtis huius animæ, ſanguinis, fidei. Dixerat: & nõ vno ferro cadit. Cadit non impar animis ANDRADIVS, dum in IGNATII ruit amplexus. Quo ego te cothurno dignum Deo par! iungit amor pectora; eademque ferro nectit crudelitas. Nobiliores iam mutuo ſanguine, animiſque. Non taceo tamen nouiſſima verba. *Fundamus ſanguinem; prior fudit Chriſtus: Prodigamus illum; prodegit Chriſtus.* Dignam vocem ANDRADIO (monumentum, quod in æuum ferat ætatem (ſimilem cantibus olorinorum, quorum modulatior eſt clangor in pœnis; ſimilem chordæ lyricæ violentius tenſæ, quæ quo plus torta, plus muſica eſt. Eia EMMANVEL, iuuatne confractis cruribus, colliſis corpore toto oſſibus, non vnum membrum dare teſtem animi? prouoca in certamen patientiæ, & ſæuitiæ, non impari libra. At tu quid agis RIBERA? capulis gladiorum eliſum caput; & tamen IESVM tuum ſpiras, voce tonas. fluit cerebrum; ſed & cerebro ſuauis nomen IESV. Sed quem video in effigie affixum CASTRIO? pete Caluiniſta glandibus, & Chriſto ſuo configas militem, cæſim, punctim, ſeca, fode, crucem non refiges pectori. innatabit illa natatori ſuo; aut feret natantem, deuehetque in illam melioris ſæculi Lucem Magnam. Aſt aliquid fors ſperas parricidale, Caluinianum agmen, ab affixis graui inualetudine lectis, SCRIBANIO & MENDOSIO. vide, & vrere. vltro exſiliunt; & ne putes ad latibula, in ferrum. neque enim exſpectant beneuolentiæ diuinæ in martyrio munera; rapiunt illa ſpontanea irruptione. Crederes morbo adeſos fallacis dexteræ miſeri-

cordiam imploraturos. at illi ferrum exoptant e Caluini manu, quod Martyres facit. ſi hic non violenti rapiunt cælum, vbi exempla reperies? Quid dicis Antiquitas? Aſtrubalis vxor in incendium patriæ deuolauit. aſpides Cleopatra immiſit ſibi. ferro patuit Arriæ pectus: addidit & vocem, Pæte, non dolet. Horruerant nimirum inimicas manus; mitius ſua caſuræ. latum Lucretia pervulnus caſtitati nomen dedit. & illa, quæ computreſcentis mariti valetudinem cum deſperaſſet, hortata eſt vt moreretur, comes ipſa mortis, dux neceſſitas. at hæ tigrium more, irrita rabie, proprium dedecus voluntaria caſtigantes ruina. Fuerunt & alij furore vecordes, qui imperij pulſi cupiditate, in ferrum, in venena ruerunt. at nobilis noſtræ cohortis non infima decora, SCRIBANIVS, MENDOZIVS, non vitæ tædio, aut hoſtili metu; ſed IESV ſui deſiderio: ne quod ſupererat vitæ, meritis ſterile, vacuum gloria abiret. Vidiſti flumen hibernis niuibus & imbribus auctum, paſſim fluere qua campus eſt? non aliter Chriſti milites, modo in hanc, modo in illam ruunt Caluiniſticam manum. & terruit primo audacia duorum exſanguium. recollegit ſe deinde ſæuitia, & in nuda ſæuiit corpora. Chriſte parce, ſi non ſpargunt ſanguinem milites tui; excoxerat illum longior morbus; & exſuxerat: quod ſupererat tamen lubentes prodegerunt. tu ſcis, cui nullum eſt ſecretum: interes animis, & cogitationibus mediis interuenis. ſed & tu illum eripueras morbo; quod reliquum feceras, dederunt. & quantis animis, tu noſti. ſed & res loquitur, omnibus ſæculorum titulis, trabibus, ſaxis nobilior: non imaginibus, aut ſtatuis; ſed virtute, meritis, robore, fide,

ſpe,

ſpe, zelo, & æternitatis ardore, æternum proroganda. Felices animæ. ſit mihi puluis ex hac area; gutta ex hoc flumine. Felices iam cælo ſacrati: nam

—quamuis mea carmina ſurgant
Inferiore lyra, memores ſuperabitis annis.
tantum *Vos ſpectem, ſuprema mihi cum venerit hora;*
Vos teneam moriens deficiente manu.

Sequitur exinde longa ſerie generoſum illud agmen, quod quadraginta, & ſupra, celſa Nomina dedit cælo, ademit terris. Faue Deus, tuque o Diua magna Parens, dux mihi ſemper, ſeruatrix non ſemel. te colo, veneror. tibi me meaque dico, voueo. Frendeat hæreticus, & eat imminutum auguſtum tuum cælo terriſque Nomen. Veniet hora (veniſſe nollet) cum hos riſus, dentes, excipient ſuſpiria, & numquam profuturæ lacrymæ, in illis æternum ſæuientibus, numquam expiantibus ignibus.

EDMVNDVS CAMPIANVS.

EXSVRGE ſtile; quoque magis in anguſtum cogeris, eo potentius vires aduoca, egere. nunc enim raptim & ſine cura mihi dicende CAMPIANE ruſticaque manu. neque excelſior Virtus vnguentis madentem dexteram, calamumve medicamentis fucatum ac pollinctum; ſed ingentibus intonãtem viribus, rebus, admittit. nec ego te collatitiis, aut ad dominum ſuum redeuntibus adornabo; tuo te, carum pectus, veſtiam, animo illo erecto ac libero, interrito ac ſtabili, ac ſedem ſuam, etiam laſſata tortorum manu, vindicaturo. Vt igitur venit in Angliam ſuam CAMPIANVS, ciuibus ſuis fidei lucem illa-

illaturus,intulit illam in vincula,in carcerem; quem omni honestiorem Londinensi curia fecit: in carcerem auitæ religionis testem,probatæ virtutis tesseram;quem sola Virtus exscendere potest . illius enim gradu cliuus ille superandus est ; illius radiis tenebræ illæ lustrandæ sunt. Circumfremunt catenæ . non arctatur Virtus: etiam inter vincula patentissimos campos habet ? & nescio an alibi latiores. Adsunt quæ spondeant libertatem,doctę in alieno sanguine mentiri linguæ.at illum nulla tincta melle malignitas , nulla inusta veneno prauitas deterret , aut excutit fortibus ausis : quin vltro lacessit ; totamque Caluini scholam in bella vocat , edito etiam super hac re nobili ad immortalitatem libro . Quære in hoc funera Crudelitas; Diuos reperies : indue huic atram vestem; viuet laureatus : imprime , si potes,vulnera ; numquam summam cutem ruperis : stabit , vigebit ; quamque magnus nunc ad illius facem inuidentium, tam magnus aliquando admirantium numerus erit , celebrabiturque nobilissimorum ingeniorum conatibus ; cum illo inuicti roboris athleta , totam Caluini colluuiem prouocarit ad certamina . & in impari numero ; vnus in totam turbam : paria tamen in medio posuit arma;Scripturam, Concilia,Patres,Rationem.at illa timida lucis,vt quæ solis tenebris habeat oculos , latibula petiit . ita noctuæ diem auersantur , stupentque ad primum eius ortum : & Solem ægra lumina formidant.capita interim conferunt, vanoque cursu mutua terunt Caluinistæ limina ; quali formicæ per arbusta repunt,& aguntur inanes. Redeunt tamen ad carceres , magnis pollicitationibus , tamquam frequenti ariete, Virtutis hæc munimenta labefactaturi;

venustis

venuſtis verbis, tamquam cuniculis, turrim hanc ſubacturi; minis, tamquam aggere, arcem hanc æquaturi. ridet hæc machinamenta Virtus, altior humano molimine: docetque quid ſit eſſe vere Chriſtianum; qui tot millium ceruicibus ſubactis, & ad impotentiſſimum femineum iugum adactis, indomita mente Chriſtum ſuum [redacted] & auitam in eo religionem profitetur. infrendeat Anglicana lupa,

—— ſexuſque oblita minoris
Spumet, & ingentes imitetur femina tauros;

etiam Siculos: ſtabit ori, ſtabit fronti ſuus in CAMPIANO color: Vide quiſquis es, in media procelloſi maris tempeſtate, malaciam ſummam. Vide templis, ara, æternitate dignam Virtutem, aduerſus omnem apparatum fucatæ mentis, ſæuientis, & ſupra humanum modum ferocientis pectoris, rectos oculos tenentem. Vis etiam maiora? rapitur in currũ CAMPIANVS, exornaturus efferam Caluini pompam. at ille nihilo vilior agitur in alieno, quam in ſuo ſtaret. raptatur puluerulentus, lutulentus. Virtutis hoc monumentum eſt. balnea & ſudatoria illis pellucidis, crepidatis, armillatis Fortunæ manibus, e Caluini theatro Iudicibus; illis arboribus, nihil hic præter vmbram & ſanguinem daturis; nihil alibi, præter alimenta æternum ignea.

Venio ad extrema. Fune ſpiritum intercluditis? non vultis illam mentem, omnis honeſti cultricem, via ſua ire ad immortalitatem? non damno. maius oſtium deſiderat Magnus animus. Totum pectus ferro recludite; tota ſe virtus eripiet, quæ coacta has anguſtias tenuit: neque illi vmquam cara in corpore mora fuit, ex alto

 aſſueta

aſſueta humana ſuumque carcerem deſpicere. nunc data via, excuſſo ſitu mortalis æui, quidquid inter cælum terraſque plenum formidinis intercurrit, peruolat; ſupraque illud ſpatium, nimborum grandiniſque iactu tumultuoſum, ſeſe erigẽs, inter felices animas, Caluiniani ferri beneficio libera, diuinorum ſpectaculo fruitur, æternitatis ſuæ lætabunda ſpectatrix. cum interim hos Iudices (non ibunt ſæcula) aliud excipiet tribunal, poſt quod, dies nocteſque alterna miſeranda viciſſitudine current inter non profuturos luctus: vbi ingerentur lacerato pectori, genis, capillis, non emendaturæ manus; exercebitq; ſe in omni ſæuitiæ genere nil leuaturus mœror; currentque per ſingula membra, ſingula dolorum machinamenta, verbera, ignes: & inter tam crebras mortes, nulla ſolum ſudantia ſanguinem lumina mortem videbunt. hoc vno forte magni, quod ingentis illius æternum flagrantis materiæ non parua ſint acceſſio.

THOMAS COTHAMVS.

PERGO per hæc Diomedea præſepia. THOMAS COTHAMVS valetudine erat morbis extrita; vincula tamen iniiciuntur: quibus conſtrictum annos totos tres detinent; vt mora flecteret, & diuturnius malum, quem aduerſus ſubita putabant infractum. ſed erat hæc mora altioris diuini conſilij: quod ante diem agonis, ad duriorem tractationẽ, a liberiore condicione ſeponebat athletam ſuum, vt robur colligeret, quod ad ſtadium tribunalis productus ingenti pectore effunderet. Spondent interim Caluiniſtæ (ita ſemper opulentat de mendacio hæreſis)

hæresis) quæ vellet, tantum intimas illis animi noxas aperiret. Ride, quisquis hanc audis hyænæ vocem. Olim memini Æthiopiam, Sole terrarum primam, lupum mittere tot modis varium, vt nullum illi colorem dicant abesse. Gebennensis schola discipulos emittit, tot ementitis in fraudem pigmentis, vt nullus illis fucus desit; nullus color in mẽdacium, dolum, interitum. Sed quid COTHAMVS noster? ridet hanc frontem, ab ipso mendacij patre impudentiam doctam. at illa deuolat ad tormenta, assuetum ludum; & immittit veteribus noua. crescit enim apud eam, vt apud Scythas de numero cædium, pœnarum honor. sed & militi suo suggerit Deus animos: & iam stupet tortoris dextera ad eundem vultum, ante, & inter tam rara sæuitiæ experimenta. Vnum Socratem clamet antiquitas: ego centum COTHAMOS dabo ex vna SOCIETATE; qui in eodem vultus tenore, non iam poculo, per habitum iucũditatis; sed Syracusaneis incurrentibus tormentis, aduersus omnem dolorem, & insaniam sæuientis Caluinianę lupæ, vniformi proposito durauere. Maiora audeo. Isaias secatur, nec Deum tacet: Stephanus Hebræo cadit imbre saxatili, & orat pro iis a quibus perpluitur. Magnus ille operarius victoriæ Dei, Orientis primus, abactis gregibus, pecore, filiis vna ruina sepultis, vlceris redundantiam magna æquanimitate distringit; sed & erumpentes bestiolas, in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocat. Noster COTHAMVS (nihil comparo, rem solam retego) amplexu, osculis, terit os, vultum, manus sæuientis lanistæ; sed & salutaribus monitis inhortatur ad sanioris vitæ consilia. hoc est libratum telum feliciore dextera in

torquentem recutere: hoc est secundo exitu dispungere crudelitatis intentamina. & iam dies melioris prænuntia; cum nudatus vestibus, non concharum alueis incoctis lanis, non purpureis coccineisque ouibus; signa hæc sunt prostitutæ mentis; sed cilicio tectum (vide triumphalem de carne cataphractem) Christi miles pectus asperitate disculptum ostentabat. ita illi non satis erat ad gloriam tortoris manus, addidit & suam; maioris lubentiæ certius documentum. Quid potuit dari ad exemplar, quid ad innocentiæ testificationem expressius? cum anhelum adhuc à tormentis pectus, ne integente molliore veste exstinxisse videretur doloris sensum; delumbatasque scapulas veritus ne molliret, ne euigoraret; horrentis sacci scabricie dedolauit. Explica nunc omnes siluescentes crudelitatum frondes, ex illo immani Caluinistico nemore, in vnum corpus, inualetudine languidum, tormentis fractum, cilicio vexatum. Eia innecte funem, spiraculi inhibitorium. seca. nec contentus ferro, oculis rimare tot abdita naturæ claustris. quin & vbi decoxeris nouus Tantalus aut Progne, pascere. Quod si quis, dum expanditur omnis hæc crudelitatis pompa, lacrymula vel altiori suspirio, oculorum orisvé teneritudinem confessus fuerit, hic scelus iam admiserit apud hos nouos misericordiæ punitores, rediuiuos Syllas. sint & exitu apud quos

——nec flere quidem, aut lenire dolorem
Colloquiis impune licet.
O nimium felix, nimium crudelis & expers
Imperij Fortuna tui! quæ dicere legem
Fletibus, ac fines audes censere dolendi.

Tu

Tu interim, mi COTHAME, optima tui parte euola ad parata tibi ante tempora sæcularia in lustris certaminis inlustriora trophæa.

ROBERTVS SOTVELLVS.

QVA ego cælo dignum SOTVELLI caput corona? auro, gemmis, Vulcani opere; Liberi munere, palmite? an hederatum dabo? spicatum? an mille floribus, frondibus inlustrioribus, myrto, olea, lauro, rosis, violis? ridet. Quid ergo? crinium artificio coronabere? contemnit. & tamen, si quid iudico, coronam ambit. Agnosco. illam quæ omnes mortis aculeos, in Dominici capitis tolerantia, obtundit. At in hac præter turpitudinem, dedecorationem, & his implexam sæuitiam, diuina tempora fœdantem, lancinantem, nihil reperies. Illam vis, illam æmularis? Habes a Caluini manu, quod Christo tuo rependas, qui pro tuo caput suum obtulit. Sed quid amas SOTVELLE? spinas? fuge, & potes. nec dico, Deiera: semel haustam fidem tace, quid peccat tacita vox? quid mutus sonus? Horret SOTVELLVS ad hanc scorpiacam pestem, vltima sui parte ferientem. Non solum, ait, os loquitur. Zacharias vocis orbatione multatus, linguam irritam transit, manibus tamen a corde dictat, & nomen filij sine ore pronuntiat elinguis stilus. sed & omni sono clarius, omni littera vocalius, res loquitur, mores, corporis habitudines: quæ ne negatrices vicariæ oris mei in die iudicij aduersus me proferantur, moriamur. Sed quid adeo magnum est, Caluinistam e sublimiore sede audire detonantem? mensæ videre accum-

bentem, cum illis frustis profani panis? Ad quę SOTVELLVS: Neque de hac fabulose sacrificata & parentata dæmoniorum cena edo, qui solum Christum noui. nam & illa ventrem inquinare nefas, vt taceam augustiora nostra, aures, oculos. Sed neque hoc idololatricū inquinamentum intestinis transigitur: in ipso spiritu & anima digeritur; cuius munditiam Christo debeo, Christo seruabo. Conciones vero illas, omnium scelerum & libidinum auctrices, deq; sola scurrilitate, de lasciuis & cruentis vocibus, de impiis & blasphemantibus nobiles, procul deuitemus. Nam & de longinquo, vice pestis, adflatum inspirant noxium, animæque peremptorem. Hæc Christi Martyr. At illi solo furore accusatore, teste, (cum omnis alius accusator, omnis testis deesset (tormentis, qualia commenta sæuitia est, sæuiunt in innoxium pectus: & decies iterare hæc lubuit, quo testatius esset odium, quo clarior Martyris constantia. a qua vt se victos vident, decurrunt ad patibulum; ad illud deinde perfidiæ notissimum ferrum; ad inlustrem cacabum Tantalicum, Itycum. Edite fratres; tali germanitati non alius respondet cibus. comedite, non oculis tantum, sed & scelerate fauces sanguine. tibi vero mi SOTVELLE toto ab hinc orbe

Semper odoratis spirabunt floribus aræ,
Semper & Assyrios felix bibet vrna liquores.
Et lacrymas; qui maior honor.

non illas mœroris. procul hinc femineæ genæ. sed altioris amoris, gaudii, admirationis; æmuli etiam, votiuique paris exitus; quales solent esse virorum.

HEN-

HENRICVS VVALPOLVS.

SOL radiis aquam terræ inlatentem per bibulos atomos extrahit; adeo vt, licet ſaxei montis oppreſſu fontium vena celetur, aperiat tamen arcanum liquentis elementi natura violentior. Calamus hic meus, ex obſcuro receſſu iacentis famæ nobilem athletam VVALPOLVM dum compellit, publicat: dum e latebroſis Anglicani ſpoliarij cauaminibus, ſanguine, tamquam ingentium fluctuum confligiis, adeſis, nobiliſſimas hac reduuias elicit, prodit felici retectione: & quæ non ætas beatiſſimum prædicabit, qui omnem patientiæ ſpeciem aduerſus omnem diaboli vim expunxiſti? non carcer & vincula, non equuleus & tormenta, quater & decies repetita crudelitate, nouis ſæuitiæ incrementis, vel colorem potuerunt immutare. Age Satana; funde in hoc mihi amicum caput, quod non vna facundia aliquando ſacrabo, qua pedes qua potero eques. erit enim aliquando tempus,

—cum laurigero tua fortior œſtro
Facta canam. Non quod ab hac dextera præmia deſideres, qui omnem gloriam humanæ manus, etiam cum hominem ageres, calcaueris vt abituram: ſed quia ornamentis bonorum incitatur imitatio; & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Ita fiet. Tu quiſquis hæc leges, vide quantum in vno corpore Deus, & quale vexillum de Caluiniſtis, inimicis gloriæ ſuæ, extulerit; cum ad acerbiſſimos cruciatus nihil ore promeret præter IESV nomen. hoc illi lorica & clypeus ad retundenda iacula, regerenda tormenta,

menta, delassatis Caluinistarum animis. quare hi frendere & fremere despumata semel omni crudelitate, & victa: cum interim militi nostro vultus placidus; frons pura, nulla mœroris, minus iræ, rugositate contracta; color, qualis securis & innoxiis. Quid nouum? insidet candidissimo illius pectori Spiritus ille mitissimus, qui nec nubilo liuet, nec turbine glomeratur, nec frigore gelascit, nec æstu redaccenditur. Nosti Oceanum? refluit reciprocis æstibus. fontes? manant venis perennibus. fluuios? eunt exercitis lapsibus. vbera? partu maturescente lactescunt. tenerum ab vtero fetum? vbertate lactei roris adolescit: noster miles, nouis irruentibus a sæuitia commentis, virtutes opponit nouas, reciproco ad miraculum pænarum & virtutum fluxu. quæ & perpetuant cursum, & inlustriore desultatione, ad singula pœnarum genera, perpetuis auctibus, alueum suum complent; nullis diminutionibus sanguinis aut carnis decrescentes: vt maiora videas incrementa virtutum, quam tormentorum; exserat licet vires, euomatque omnes sæuitia fluctus. noua terris prodigia! equuleum, crucem, ignes vbera iures virtutum, lacteumque rorem; non certis dimensisque momentis, sed æterna feneraria suffectione. Lōgior sum. amoris hic semper error. Amplector te amicum pectus in patibulo. stabisne Crudelitas? non nisi

——illum in plurima sectum
Frusta, & particulas; vt multis mortuus vnus
Sufficeret, sed poterat, *—contēta cadauere crudo*, sæuitiæ modum ponere improba fames. nimis hoc mite; *——ardenti decoxit aheno:* nec *——longum tardumq́ putauit Exspectare focos*, nouum inexpletæ crudelitatis genus.

genus. vt non deeſſent, quibus ſe paſcerent ſæua lumina, dum nobile ferculum, & ſuauius per fauces poſt ignem iturum, exſpectatur. Quid dices admiratrix Vetuſtas, inluſtris crudelitatum decantatrix? an non

—— Mæotide ſæuior ara

Anglia? *—— quippe illa nefandi Taurica ſacri*
Inuentrix homines (vt iam, quæ carmina tradunt,
Digna fide credas) tantum immolat; vlterius nil
Aut grauius cultro timet hoſtia.

IACOBVS SALESIVS.

NEQVE ego vos tacebo SALESIORVM, SALTAMOCHIORVM, clariſſima decora; obſoleto licet ore, longaque mora hebetato. nec vos verborum concinnitatem, muliebre ornamentum; ſed neque ad venuſtatem dictionem criſpam, femineæ comæ paramentum, quæritis. plena verba roboris vultis, plena virilis toroſi pectoris. poſſent illa deeſſe in proſperiori mitioris Fortunæ flatu; vbi ſecundo curſu, inter illa carbaſa, ad quorum adſpectus erubeſcat byſſus, vita procedit. poſſent deeſſe in lenta mollique perpetui puluini felicitate. ſed in his calloſis manibus; in hoc non modo colorato, ſed ambuſto Fortunæ radiis pectore; in hac indomita ceruice, ingentia de viua rupe exciſa deſiderari non poſſunt. res ipſa ſaxa vomit. Quatiat tremoribus orbem Caluiniana perfidia; &, ſi poteſt, vno ſubducat hiatu, vel igne fero torreat: ſtabit SALESIVS, ſtabit SALTAMOCHIVS. Depromе vires Furor; & in illa pectora reconde ferrum. credes alieni ſanguinis ſpectatores adſtare. ita veteranus

exſecari ſe patitur; at horret medicam manum tiro. Vos interim ſolutæ malis puræ Mentes, ite quo vos ducit felicitas illa ex alto veniens; quo vos hilaritas a ſublimi delapſa æterno. ſed non ſine magno IESV nomine; quod vobis in vltimo illo ferro perpetuum in ore. vt videas generoſa pectora; quæ, etiam morientia, amant eum pro quo cadunt. Ita magnus nauigij rector tenebit clauum, obruatur licet fluctibus; nec vela deſeret fluitantia, aut permittet tempeſtati nauem. Docuerunt hoc SALESIVS, SALTAMOCHIVS. ac ne ſatis eſſet dixiſſe, & ad exemplar doctrinæ ſuæ vixiſſe, etiam vitam clauſerunt. Sed & ego claudo hoc caput. nam hæc ipſa ex abundanti, ne quid Batauici ementiti Militis fabulæ irrepercuſſum, quaſi de conſcientia præteriſſe me Caluiniſtę ſpargerent. quorum ſi in SOCIETATEM adnumeres odia, apud nullam reperies retro antiquitatem tot vrbes terras voraſſe; tot inſulas maria fraudaſſe; tot regna duriſſimis ſe colliſionibus compulſaſſe, quot SOCIETATEM hanc machinationibus impetiuerunt. cui nec aduenarnm iure terram patriam veſtigio ſalutare, niſi cataphracta Regia manu, tolerauerunt. verum etiam nunc pergũt mendacia mendaciis cumulãtes, ad ſugillandum odij, erga notum illud periculis nomẽ, publici iniquitatem: quod quo frequentius metunt, eo in laxiores campos ædificatur. Meminiſti luminis? manet integra & indefecta materiæ illius matrix, licet plures inde qualitatis traduces mutueris: at SOCIETAS etiam creſcit, quoties per Caluinianum ferrum ſeminata, augmento ſurrexit vberiore. Hinc videmus illius alumnos non modo cum Nemrodiana iſta ſæuitia concertantes, ſed & vltro irrumpentes. ad Religionem

gionem enim ea pacti condicione venerunt, vt animas ſuas auctorati, in hoſtili ferro prodigant. Olim Cornelia Maximilla auerſata eſt carnificis manum, fœdumque contagium a caſto corpore nouiſſima ſanctitate reiecit: hodie SOCIETAS non exhorruit Caluinianũ ferrum, per quod ſciret reſerari ſibi aditum in perennem felicitatem.

I nunc, & perpetuo pingui mendacio paginas imple. dic te in hanc diem, nox erat, nulla præter ignauiſſima veſtigia vidiſſe a SOCIETATIS pede. cum, ſi bene calculum poſueris, paucis his annis, quibus illam non in vno Oceano, quaſi quaqua rudem atque inſectam materiam, ſine arbore ſua, gubernaculo, fune, per ſæuiſſimos fluctus impulerunt Gebennenſes faculæ; tot viderint in omnẽ poſteritatem, remis veliſque ad miraculum ſecundioribus, itura generoſioris animi documenta; quot in ſingulis latiſſime ſparſis naufragij tabulis, humanis celſiora repererunt ingenia, etiam ſiccis oculis inter minitantes arenas, fluctus, ſcopulos, noctes, in mortem inuolatura. Quid hic potuit optari ad exemplar Chriſtiani pectoris expreſſius? proſecuti ſunt SOCIETATEM in ruinam Caluiniſtæ: at illa ſuper ruinas ſe ſuas erexit, extulitque caput. Et tamen o merito Batauico Militi ignauam SOCIETATEM! quæ ad omnem ventum ludentis aut ſæuientis Fortunæ, Gebennenſium more, non induit habitum noui alicuius lupanaris. quin & ſordidam illi Militi SOCIETATEM, quod e tenuiſſimis reculis nihil Caluinianorũ epulis, Lutheranorum potaculis, ingratiſſimis voratrinis diſpẽſatur. munificos Caluiniſtas, qui in orbem mutuas menſas tamquam ſacraria reconditæ religionis obeuntes, etiam vxores fecerunt menſas.

CAPVT V.

Caluinista. SOCIETATEM *vincula & Angliæ carceres dedecorarunt.*

SOCIETAS *semper placida, semper tranquilla est. glomerentur mala; manet tamen illi frons pura, & ab his tenebris sidus nouum.*

QVID tu Caluiniane, SOCIETATI tenebras, vincula, carceres, reliqua Anglicanæ lanienæ, tanta laterum contentione obiectas? habent, fateor, SOCIETATIS alumnos Anglicanæ nebulæ. sed sidera sunt illis. & densiores obtendit hæresis, quæ præcordia exoculat. Tenent eos catenæ. at nullæ mentem constringunt solutam Christo suo. grauiores iniicit hæresis, quæ immane quantum premant. Triste nescio quid semper illic exspirat. sed illi supra thura & balsama suauitatem adspirant Deo. & tetriores purulentias euomit Caluinianum Gomorrhæum theatrum. Amittunt vitæ gaudia, carorum, amicorum, cetera. prudens negotiatio est, aliquid perdere, vt maiora consequaris. Seclusi sunt à sæculo. sed nec scelera illius vident. Claudit eos ad sæuitiam densatus lapis. omnia spiritui patent: qui quoties viam illam inambulat, quæ ducit ad immortalitatem, ad Deum, toties nullo clauditur muro. Manet eos gladius, crux, aut pœnarum maxima ignis. sed ideo illos seposuit Deus a liberiore condicione, vt vires corroborarent. sic & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædi-

ædificando vacent. Continentur a luxuria, a cibis lætioribus, a potu iucundiore; fatigantur exercitationibus; tanto plus de victoria sperantes, quanto plus laborauerint. Et miles non de deliciis, de puluillo, in aciem prodit de papilionibus, vbi omnis duritia, vbi imbonitas & informitas: etiam in pace campum decurrit, fossam iacit, sub Sole & cælo, tunica & lorica grauis, sudore madens. Et illum præmium prouocat huius sęculi; quod & labores mitigat, & quidquid asperum, vertit in vltroneam & amicam lubentiam. Noster vero Miles magnus, æterna consequuturus, carcerem palęstram amplexatur: a quo collecto robore, firmatus per incommoda, ad stadium tribunalis, spe plenus, fiducia summa, fide certa prouolat; deuolaturus in incendia, si fides poscat; lassaturus tortorum manus ad inuidiam crudelium oculorum; sed & prouocaturus tyrannos de craticula in epulas ambusti corporis. scit enim modicos esse hos cruciatus, ad æquiparantiam gloriæ ante tempora sæcularia præparatæ & promissæ. Quare totus de Euangelij paratura succinctus, spe calceatus, de Apostolo armatus, donatiuum Christi exspectans, ridet minas; tormenta amplexatur amica: memor etiam Christum non nisi post fella fauos gustasse; nec ante Regem gloriæ salutatum, quam Rex esset Iudæorum proscriptus in crucem. Tu tamen post hæc omnia tam imperitus rerum es, vt SOCIETATI obiicias vincula? ab eodem ore Christianis Neronianas obiectabis arenas, Decianas flammas, Diocletiana spoliaria, Traiana marmora. ab eodem DD. Petro crucem, Paulo gladium, Laurentio craticulam, Stephano lapides. Cęciliæ, Catharinæ, Barbaræ, Agathæ, Agnetæ,

 Susan-

Susannæ, ignes, prunas, enses, rotas. Et aude verum non diffiteri. oculos, aures, linguam, os, ventrem, manus, pedes, ad lasciuiæ, ad maleloquij receptaculum, ad maleloquentiæ licentiam, ad gulæ crimen, ad intestinorum immunditiem, ad vim & insidias à Summo Deo accepimus? ad adspectum derosorum & in sanguine suo squalentium corporum? ad patientissimum blasphemationum hospitium, cælum contaminantium? ad viperium eiaculatorium; ad exitiale prodactæ salutis euomitorium? ad enormem altilium & piscium saginam, vinique senectute defæcati, impiarumque libidinum diuersorium? ad venatorias dormientis luxuriæ incentiuas adflabellationes? ad humani sanguinis prodigæ fusionis itatorium? An vero non magis illa a Deo Ter Maximo concessa, vt oculi, manus, a cæde, sæuitia, immunditia quam remotissimæ, puræ ad Conditorem suum alleuarentur? vt os, lingua, non agmina verborum emortua fundant? animam habeant necessum est, vt placeant Deo: diffundantur sensibus, si substringantur apicibus. Sed & magis etiam lucebit accepti beneficij memoria, si vel circumfremente lupa gregem Dominicum, vel Gebennico impetente tauro, corpus vniuersum, membraque singula lanianda aliquando præbeat Miles noster, in viuū testem fidei suæ in Deum, in matrem Ecclesiam. Grauant vincula? euentilabit illa; vt credas Medicam vestem textilem alicuius Reginæ manibus. Stringent illa? magis gemet sub foratu effeminatæ auris, qui virum solo mento præfert; cui si addas furacem volsellam, mutabit sexum. Carcer claudet? magna cæli spatia patent. Nuditas molesta est? homo inuestis figulo suo stetit. &
fors

fors minus teguntur, qui a comantibus conchis muſcoſas lanoſitates veſtes piſcantur; non pangunt, aut ſerunt. ſed & nemo nudus eſt, quem innocentia texit, & amor Chriſti. fundant qui volunt ſtolam, comam ſtruant, cutem fingant, ſpeculum conſulant; Chriſti miles extra ſuum IESVM neminem nouit. Grauis odor nares offendet? ante euigorabit mollitudine ſua balſamum, & leuigabit ceruicem ſtiriamque leoninam; quam illum ex athletico puluere & ſudore virtutis odor. Offundet nubilum, ſubducto Sole, ille ſolis tenebris notus locus? quæ lux deeſſe poteſt illi loco, qui Solem claudit? nam ſinguli Martyres ſinguli Soles ſunt in meliori firmamento; lucemque ſpargunt, ad quam tenebreſcunt elementarij huius Solis refracti æſtiui radij; ad quam noctuat omnis oculus, præter illum qui in ſolam ſalutem carnem exuit. hic enim (vbi intonuerit dies Domini magnus, tot ſignis & portentis, tot concuſſionibus elementorum, tot nationum conflictationibus prænotatus) poſt reſtitutam ſubſtantiam interitui ſubductam, videbit illam & feret reuiuificatus iam Deo, diſcuſſa caligine veteris hominis.

CAPVT VI.

Caluiniſta. SOCIETATEM *tormenta, carnifex, equuleus perennabunt in opprobrium.*

Irrita fuerunt hæc tormenta in SOCIETATEM *librata: repercuſſa tamen in Caluiniſtas, qui emiſerant, violentius ſæuierunt.*

A PRIMORDIO ſui in Galliam, SOCIETAS eiuſque alumni a Caluiniſtis vim patiuntur. ſtatim enim vt pe-

vt pedem fixerunt, inuidiam ſortiti ſunt. & quidem Galli a Caluiniſtis Gallis: quo procliuius impietas alienum ſanguinem inſectaretur, a ſuo auſpicata. Nec nouum hoc fuit.a primæuo orbe frater ſurgit in fratrem; a ſuis Dauid exuitur; Ieremiam lapides perpluunt ab Hebræa manu; Zacharias perennes cruoris ſui maculas ſilicibus ſacris adſignat; ille Propheticus Angelus in puellæ ſaltatricis lucar trucidatur. Sed *beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*. beati, quorum poſt dedecorationes merces plurima eſt in cælo. Ita dico beatam SOCIETATEM, beatos in ea viros, hereditarios Chriſti diſcipulos, Apoſtolici ſeminis frutices, ſed & machæræ & preſſuræ ſocios; etiam in equuleum, ſi torquendi; etiam in mortem, ſi finiendi. Beatam SOCIETATEM, & in ea victores! ſed qui illi victores? quorum numerantur pugnæ. & quorum pugnæ? quorum ſudor, cataſta, exſilia, ſanguis. eadem reperio apud Apoſtolos. Hinc Petrus cæditur; Stephanus opprimitur; Iacobus immolatur. beatam SOCIETATEM, quæ occumbit pro ſalute commiſſi ſibi gregis: & occumbit in neruo, cannabe, exſilio, cruce. Hanc crucem ſi ſuſtulerit ſecuta Dominum, tota Paradiſi clauis ſanguis eius erit. Sed a cuius manu hæc SOCIETATI beatitas? a cuius & equuleus. qui quid fuit, niſi portio Caluini de crudelitate? & quid eruit præter vnicum doloris ſenſum? ne putares eſſe lapidem: cetera rumoris dicebantur, & ſemper dicuntur; nec vltra. Tu qui verum amas, pulſa hos apud conſcientiam Iudices. poſt tormenta, vocem nullam exprimunt præter innocentiæ; & ad inuidiam virtutis. an non hic claret innocuum pectus? Diſrumpere Inuidia, & erumpe in

pe in

pe in Veri voces: *Dati ſumus in reprobum ſenſum*. fuit hæc vox Iudicum alienæ virtutis & innocentiæ mirionum. & tamen vide Lector argumenta illius maſſalis Caluinianæ molis.

I. Ioannes Caſtellus in ſcholis SOCIETATIS IESV, ante annos tres, humanioribus litteris operam dedit. ergo & cum illis hauſit ſemina, quæ triennio poſt nefario conatu in Regium caput profudit.

II. Ioannes Caſtellus SOCIETATIS IESV Religioſos habuit Doctores litterarum humaniorum. ergo & eoſdem triennio poſt habuit auctores infandę in Regem conſpirationis.

III. Ioannes Caſtellus qui SOCIETATIS IESV Magiſtros in humaniori litteratura audierat, in Regis Regnique iugulum intentatum ſcelus merita piauit morte. ergo & illius ante annos tres Magiſtri nō inferiore pœna multandi. ergo & SOCIETAS vniuerſa, palmitis huius truncus, rami huius arbor, ſurculi huius radix, membri huius corpus, non impari exitu finienda.

IV. Ioannes Caſtellus inter extremas dilacerationes faſſus eſt, ante annos tres vſum ſe Præceptoribus SOCIETATIS IESV. ergo eadem confeſſione voluit fuiſſe conſcios facinoris a ſe tentati. ergo & pari pœna in pari culpa puniendos.

O canes latrantes in Veritatem! ſunt hæc argumentorum oſſa quæ obroditis? reddam non inferiore robore.

V. Ioannes Caſtellus Gallus, ciuis Pariſienſis, humaniorum litterarum ſtudioſus, mercator, diuini verbi Præconum non ſegnis aliquando auditor; ſceleris poſt hominum memoriam in Regium caput maximi debitas

pœnas dedit. ergo & easdem, iure bono, debent Galli omnes, Parisienses ciues omnes, humaniorum litterarum studiosi omnes, verbi Dei pręcones omnes, quorum ille aliquando non vltimus cultor & auditor fuit.

Rogo te, fuerit aliquis a vinetis, a bussequis, ab olidis caulis, reus Maistatis. ergo quisquis campum stiua tremente proscindes; quisquis prati floreas opes panda curuus falce populaberis; quisquis vineam palmite grauem cernuus rastris fossor inuertes, hostis eris publicus? quæ terra tulit tam temulentas ratiocinationes integro capite? aut quæ melior dextera tam molle strinxit ferrum, & mansit in sexu suo? at tu qui hæc leges,

Adspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.

I. Deus Ægyptum, hospitis populi conflictatricem, decemplici castigatione percussit. ergo & Paschasium, innocuam SOCIETATEM elidentem, malitiæque suæ libidine in immerita raptantem, eliminabit. ergo & Arnaldum, Paschasio de scelere sociatum, blasphemięque suæ tenebras in SOCIETATIS lucem interuomentem, ad splendorem illius infuscandum, talionis pondere detonabit.

II. Deus Ægyptios, populum suum liberos homines in ergastulum subagentes, totis primis opibus in solatium contumeliosæ toties illatæ atrocitatis expunxit. ergo & Deus, prouidentissima censura merita dispensans, Paschasium, qui SOCIETATEM omnis diuini Veri seminatricem, incesto calamo lacerauit, fecundiore dextera depilabit. ergo & Arnaldum, de geruli sui Paschasij collo SOCIETATEM infidæ linguæ crepitaculis impetentem, dextera virtutis suæ eneruatum delumbabit.

III.

III. Deus Ægyptios, populum suum inter rupea maria vltrice ferro prosequentes, reductis in natiuum fluorem aquis, æternum posteritati exemplum statuit. ergo & Paschasium, laciniosis strophis SOCIETATEM petulanti lingua depreciantem, elinguabit. ergo & Arnaldum, SOCIETATEM deruncinatis a Paschasio commentis illudentem, exossabit.

IV. Deus Saulem, despectorem Samuelis, grauissima censura multauit. ergo & Paschasium, SOCIETATEM omnis boni defensoriam, blasphemiæ & malitię suæ ingenio infestantem, deuirabit.

Desinat proinde Arnaldus a Paschasio, aspis a vipera mutuari venenum: euomat proprij ingenij virus; inueniet socios a Caluiniano grege, præcoquos Antichristi præambulones: a quibus quid præter maledicta speres? nemo enim sapum de petris, defrutum de rupibus, placentas de glebis elicuit: nemo mella de araneis, lac de scorpionibus vidit distillasse.

Obscura sunt hæc, & magnis inuoluta tenebris. non nego. at tu memento Paschasinarum calumniarum naturam non esse scirpum, vt sine nodo sit. Vis apertiora? dabo tibi iam pridem vota tuorum in meridie. Si Stephane

——arbitrio populi tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidẽ dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta auido sit data vulturio,
Effossos oculos voret atro gutture coruus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

CAPVT VII.

Caluinista. SOCIETATEM *pro meritis exercuit exsilium Gallicanum.*

SOCIETAS *gaudens saginari voluptate patientiæ, exemplo Christi inuitantis ad vexillum gloriæ, quod extulit de inimico, lorica clypeoque tolerantiæ illustre de Caluino feretrum exsilio suo exstruxit.*

VENIO ad illud toties a Paschasio decantatum exsilium palabundum. mortis quædam præminatio fuit. fateor: cū cæli solique sui extorres, in alios soles Galli adiguntur. sed & hoc fateor, nusquam magis de Caluinistis detriumphatum. Quid hic nouum? Vide semina; non nisi dissoluta fecundius surgunt. Et an non omnia pereundo seruantur; omnia de interitu reformantur? sic Sol nisi demergat, non nascitur: lucem nisi interfeceris, non resplendebit: sidera nisi defungantur, non viuescent: flores nisi occidant, non reuiuiscunt: & arbores in hiberno occultant virorem ariditate mentita; nec festinant, vt cruda adhuc hieme redeant. SOCIETATI etiam exspectandum fuit ver Regium. venit cum vsurario virore, odore. vt enim granum sine folliculi veste, sine fundamento spicæ, sine munimento aristę, exsurgit cultu munitum, copia feneratum, ordine structum: ita SOCIETAS damnatur exsilio, dedecoratur exuta suis, tam sicca reculis, vt nudam crederes; tam exsanguis opibus, vt iures non viuere; redit fecundo imperio Regis, nec vltra sterilescit: sed seipsa auctior, miratur retro scrupeos annos,

annos, tesquium solum. At heus Parisiensis Tantale! quid nouum, si

Inuenere otium liuentum fata, piumque
Intonuit vis sæua Larem? sic plura maligno
Afflantur vineta Noto: sic alta senescit
Jmbre seges nimio: rapidæ sic obuia puppi
Inuidet, & velis adnubilat aura secundis.

& ignoras humana prope alternata vicissitudine occidere, surgere?

Namque aliud putrescit, & æuo debile languet:
Porro aliud concrescit, & e contemptibus exit.

Consule veterem memoriam, & hic videbis gentium examina; alibi solitudinem, & tota imperia tamquam falce demessa. Regiæ sedes habitacula sunt ferarum. labuntur anni, nec multi, & quod hostilitas emedullarat, seritur; illudque exroridum solum, oblectat oculos super Alcinoi pometum, Midæ rosetum. Vide cælum, quam varium. nunc niuem in plumeas subaperit crustas; nunc grandines iaculatur tamquam missilia; nunc splendet totum; succedunt nubila, & imbres ruunt; dehinc substillum, & denuo sudum. Flecte oculos ad mare de flustris temperatum, de decumanis quietum; & rursus infami fide ludit, & mergit: tranquillat, & furit: atque inter hæc momentum medium. Iam terra viret; mox flauescit in spicis: exhinc videbis & canam; sed & orbam fetu, & frustra iam terram. Quid, quod non vno loco hactenus sæculorum propugnacula, Vrbes, Populi, Regna: nec multo, redeunt Prouinciæ: crederes delituisse, tectasque montibus seruatas in meliorem diem: sed & paullo post cinis omnia. Quid? ipsos Reges, & Impe-

ratores, totoſque exercitus, quam non ſemel mare texit, terra ſubduxit, gladius detotondit, verſura tranſmutauit, fulmina detruncarunt? Hoc volui: [redacted] nihil nouum, ſi SOCIETATEM Gallia amplexa, ſtrinxit vt ſuam; excuſſit vt alienam; tutata eſt vt Gallicam. is ludus humanarum rerum, riſum excipiunt lacrymæ; & necdũ areſcentibus genis, riſus redit: amorem ſequitur odium tam propero paſſu, vt hoc iures ab illo natum, filium e patre; & denuo amor. Dices alternari hanc ſeriem in ſolam varietatem. Donis aliquem onerauit munifica manus: eadem & illis & vita exuit; & inter hæc dies intercurrit, nec totus. Iam, quoties Gallia arma vidit inimica, & ſenſit; & in ipſo ferro Generum amplexa eſt nouum, quaſi de perſecutore ſanguine ſanguis concreſcat nouus; tamquam de paterno ſemine, matris vbere! nec longior mora, redeunt infeſta ſigna, & nullus iam ſanguinis. ita eſt. ludos nos aut Deus, aut Natura facit; aut irrequies innata mentibus, fota vitiis; aut denique vſu coalita, & iam in naturam acta, vt arbitrere ingenitam. Et tamen quod SOCIETATEM ſtrinxerat, quod tutata Gallia, ſecuta eſt naturæ ſuæ benignitatem, filios amplexa eſt mater: quod vero excuſſerit, quod proſcripſerit; quis non videat nouercalem manum? Aſt ego in hoc te exſilio agnoſco coluber excantate, ſerpens effumigate, cuius ductu hactenus inauſa proceſſerunt. Agnoſco te, nec nouum, odiſſe quem times; & quem metueris infeſtare, ſi poſſis. & nota militiæ tuæ teſſera, animos occupare, obſtruere pectora; vt ante incipiant homines odiſſe, quam noſſe: ne cognitos aut imitari poſſint, aut damnare non poſſint. Ita accidit SOCIETATI. Venit illa in Galliam:

& inter

& inter ſcopulos & ſinus, inter vada & freta Caluiniani furoris veliſicata, tuta non vno nauigauit anno, cauta nimirum & prouida. aſt vbi vidit primogenita diaboli hæreſis, docta mentiri vultum, hilareſcere fronte, vngula ferire; fulgere pectore, lingua viperare; ore ridere, cauda vibrare; collo florere, tergo fodicare: vbi vidit SOCIETATEM minis, blanditiis, prece, precio, torm͞etis ipſis imperuiam; & iam n͞o paucos erroribus inquinatos, longiuſq; etiam excuſſos in Caluiniano ineuitabili profundo, terram tamen reſpicere, pœnitentiæ lacrymis vetera tegere, ſalutique prodactæ ſerio reformari; inuidit, & fremuit: ac primo hos recentis adhuc infantiæ catulos, necdum perfectis luminibus, incerta reptantes, maiore conatu protrahit ad noua naufragia. Vt ſenſit non procedere hanc rem ex ſententia, & nimis varium fluere ſudorem; colligit robur; euocatque venena, quæ vniuerſa ſpargat in vnam SOCIETATEM, cuius manuductione ſentiebat ſibi eripi has prædas. ergo SOCIETAS deſtinatur Caluiniſtis nobilis venatio, in quam graſſentur calamo, de longinquo; equuleo, enſe, cruce, igne, exſilio, de propinquo. Conſulite commentarios Gallicanos, & videbitis de Caluiniana lingua, mendacio, hoſtes SOCIETATIS ferociſſe. ſed talibus dedicatoribus damnationis ſuæ SOCIETAS gloriatur. Qui enim Caluinum nouit, ſcire poteſt, non niſi grande aliquod bonum à Caluino damnatum.

Dicet Paſchaſius: Non Caluinus, crimen SOCIETATEM expulit finibus. Qui hoc probas P. Naſo? Venenum dare ſcelus eſt. ita eſt; ergo & domus in qua datur rea eſt. Nullus Ariſtoteles me hoc docuit. venit hæc illatio de

tio de semine hypocritarum. Sed ad rem. quid tibi vis hac illatione? Dauus sum. SOCIETAS tota domus est. Quid infers? In ea venenum Ioannis Guereti manu temperatum fuit. Nil vltra: capio. veneficio absoluto, domus punienda erit. Iam scio. Ioannes Gueretus, conscius in Regem criminis, sibi permittitur: SOCIETAS in damnatione manet. Ioannes de figura rubi est: domus quam inhabitat, flamma fit, & ignis. Quid dicitis, Paschasi, Arnalde, a Caluini cacabo bellicacabarij; ab illius incude, omnis innocentiæ refragatores; docti figere, toxica spargere. Quid dicitis? Vicimus, aiunt: SOCIETATEM in exsilium egimus, in ærumnas. Quid? an non omnes fortes, quos in exemplum prædicat antiquitas, ærumnis suis inclyti floruerunt? & fortitudo, nonne infirmitatibus roboratur? & calamitas, nonne vt maxime disciplina virtutis est? Mementote Lazari & diuitis: alternas malorum & bonorum vicis æmula retributione compensant. nec verbum hic addam. Tulerit aliquid SOCIETAS a vestra venenaria lingua; sed & sanguinem dederit: vocem tamen nullam audis aut Christiana mente indignam, aut dignam Caluiniano pectore: ac nec frontem præbuit rugosiorem; non labra pressit extra lineam placidi tenoris; non momordit in talionem. Excute quaqua patet non ignobile ad immortalitatem exsilium.

Quo magis in dubiis homines spectare periclis
Conuenit; aduersisque in rebus noscere qui sint.
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eiiciuntur; & eripitur persona, manet res.

& vide, an non eadem illi habitudo oris, & claritas. Discinge pectus. an non tot incommodis indetritum? Quid

Quid nouum? virtus non atteritur; ea ibi ſedem fixerat. exempla olim docent. Ionas hauſtus a bellua, in cuius aluo naufragia digerebantur, triduo poſt incolumis deuomitur. Babylonij ignes, fratrum nec tiaras, nec ſarabaras defloccarunt. Euenit idem SOCIETATI; quæ Caluiniana fraude e Gallia diſpuncta, & de ſuo orbe tranſlata, iuſſa eſt viuere in alieno. fabulæ. vixit in ſuo; & in alta pace, alto ſereno; in virtutis domicilio, quod ſolum agnoſcit ſuum. Circumſtet eam, alumnoſque illius, ferrum, egeſtas, minitans purpura,

Audacter inter Reges, rerumque potentes,
Verſantur; neque fulgorem reuerentur ab auro,
Nec clarum veſtis ſplendorem purpureai.

quin etiam —*grauis exterat artus*
Vngula: —*Dulce viris*

pro Chriſto has inſternere vias, & purpurare ſanguine. ſed & ambiat licet SOCIETATEM Caluiniana feritas, pingatque barbaro Paſchaſij calamo: (qui fabulas ſcenis dedit, nouus Galliæ Scytha, nouus Maſſageta: apud quem, quicquid probum eſt, blaſphemiis lancinatur; quidquid honeſtum, arroditur ab hoc mure; quidquid ſincerum, ab hoc acorea maruleſcit) illam tamen paſcunt eloquia Domini, ſuper mella & fauos. inde nulla potio amarum ſapit: nec quidquam ex illa deperit, lancinent quamuis Arnaldini corui, Paſchaſini milui: nam & apud Deum ſociorum regeſtus eſt numerus. quid ergo, metuant hos vngues, roſtra? Sed & Regia manus, quæ ſciret raros eſſe, qui vel Ioannis Guereti capillum nouerant; plurimos eſſe qui Ligæ nullum ceſpitem viderant; veteris nouæque, nulli ignoratæ

Caluinianæ Ligæ violentiorum contractuum obnexus ſoluit, cum SOCIETATEM per omnes Regni partes miſit in liberrimum laxamentum fidei & doctrinę. Hoc eſt eſſe Regem. cui dictum vere,

quiſquis eſt placide potens,
Dominuſque vitæ ſeruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animoque parcit; longa permenſus diu
Felicis æui ſpatia, vel cælum petit.

Quid agis magne Rex? Orationem metire quæ ex aduerſo ſtat, acrem, excuſſam verbis grandibus. Quid reſpondebis Marioni, veternoſo legalium quæſtionum ænigmatiſtæ, omnes eloquentiæ ſuæ ſpumas euomenti? Sudor & puluis non componunt verba. in illis ferire hoſtem, inopiam & laborem tolerare, hiemem & æſtatem iuxta pati, ſocius & Conſultor periculorum eſſe didiciſti. An tu, quæ iſte litteris, militando conſecutus es? aut quod ille ex alieno cerebro ſibi arrogauit, tu ex tuo hauſiſti, felicior natus quam factus? & tamen verba verbis, facundia facundia alia elimanda. Ita eſt. Sed facta, ait, dictis pluris ſunt. Fateor. aſt illos flores vernantis eloquentiæ qui auertes, aut euertes? Exſufflabo, inquit, vno ſpiritu leuioris armaturæ; ductu veritatis: quæ pigmenta, colores, flores, muliebria ornamenta ridet. Ita eſt: & reapſe vincis, neruis, lacertis, ſanguine: vincis Caluinianam ſapientiam, affectatricem & interpolatricem veritatis: vincis hanc præmeditatam linguationem: vincis hos facundiæ caupones, in ipſa area roboris & animorum. Sed quid? ſperas te poſſe flectere illam mentem; poſſe ferocientes in SO-

CIE-

CIETATEM animos mitescere? mansuescit leo; non diffiteor: & cum toto illo suggestu iubarum, delicium fit alicuius Reginæ; lingua genas eius enubilans, emaculans; & mores bestiam relinquunt. Caluinistam nulla excaluinistabit ingeniositas; vt nulla rationum momenta in rectum mendacium deducent, non si stomachi ineas euersionem & cerebri. quare vbi omnia dixeris, vocem perdes; nec consequeris aliud, quam bilem de blasphematione. Sola ergo Dei potenti dextera, pulsa illa mortifera & cruciaria febri, alium induent hominem Caluinistæ; aut sane Regio tuo metu ponent hæc venena, forti necessitate prostrata, tamquam amico sopore elisa; quæ valentius restituant sibi, & primordiali vigori suo, nacti aliquando tempus, quo, retecta nominis Christiani extrinsecus superficie, serpentes & lupi, ad infestandum Christi gregem intrinsecus delitescentes, liberiori campo Regna & Prouincias doctrinis venenorum perflent adultero sensu & stilo. Huius rei nec testem, nec iudicem alium volo, quam conscientiam tuam, Rex magne. nosti has viperas, aspides, regulos: cinxerunt latus tuum nō vno anno. vllasne ruinas tot annis erexerunt? nam stantium ædificiorum, ciuitatum, prouinciarum ruinas adoperatos, in florentissimi Regni deflorationem, non necessum habeo dicere; Gallia tua loquitur, rudera & lapides. At iam silent. Delineant tamen taciti colubrosa meditatione viam spargendi, nocendi. ita serpens, totam licet prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitat: in cæca deducatur, per anfractus seriem suam euoluat; videbis in quantas iras sese animet lucifuga bestia. At SOCIE-

TATIS domus columbæ eſt, ſimplex eſt; ſemper in apertis, & ad lucem. Caluiniſtarum tortuoſæ latebræ, per mendacia noua & vetera nimis nudis Gallorum pectoribus virus inſtillantes; ſemper degeneres veritatis grano, & mendacio ſilueſtres; dum perpetim Euangelia emendant, vitiant: & quæ retro, ſupra etiam niuem albata, omnium oculis retecta erant, nunc decipulæ maculis luridata, denſiſque tecta tenebris, ſtigmata bonæ mentis prçferentia, ſimpliciores ſub tegmine veri trahunt in errorum mare magnũ: in quo inextricabile impactis naufragium eſt; irreſpirabile deuoratis hypobrychium eſt. quemcumque enim portentoſi Caluiniani fluctus effocarunt, infernus deſorbet.

CAPVT IIX.

Caluiniſta. SOCIETATEM *patibulum & rediuiui manent ignes.*

SOCIETAS *a cruce, ab ignibus valentior, minas vertet in decora; omneque carnificis ingenium vltro excipiet, & appetet. ſed & deuolabit in illud; non famæ cauſſa, ſed Dei.*

AVDES hæc nomina impuro gutture? audes illo rhinocerotis naſo? audes impudenti calamo? Et tamen crux & ignis aliquando a Deo. non nego. Etiam in ſalutem. ita eſt. quod dum fit, non dico, nõ ſentiet quicumq; hæc patitur; non dico, non curret per viſcera cum ſuo igne dolor; ſed amabit has cruces, ignes. non quod illæ ſuaues; ſed quod per illas omne bonum. Ita æger, licet

non

non raro gemat inter manus medici, eaſdem poſt mercede cumulat; & artifices prædicat; & duras iam negat. Facit idem Chriſti miles. ſentit cruces, & incendia; & fors aliquando fluunt lacrymæ, doloris, & amoris. amat enim inter lacrymas; & exoſculatur has cruces, hunc ignem, per quem æternum exſiccantur omnes lacrymæ. ſolatur ergo ſe hac ſpe in hoc lauacro ſanguinis, & gaudet: neque vmquam agonis ſui Præſidem ſugillabit, quod violentiæ obiectus, quod cæſtibus dilaniatus, quod flagellis laceratus, quaſſatus pugnis. parma tegit ſanguinem: corona premit vulnera: gloria vibices integrat. Ita in ſtadio calces, liuores, vulnera, cruorem; priuilegia publica, ſtipendia ciuica, & illa quam præſtare ſæculum poteſt de æternitate fama, obtegunt, & expungunt: nec quiſquam extra illud iniuriarum agit; ſed nec in illo ſurgit in Pręſidem. Ergo corona, & ille e magna cęli ſpecula prouocator & incentor animorum, ſuos animat gloria, fugatrice timoris; excitat ſpe, animatrice præmiorum. cadant lapideæ grandines, cingant ignes, beſtiæ finem faciant, ſiue a Septemtrione vrſi, ſiue ab Oriente leones, ſtabit noſter Miles; ſed & vltra prouocabit. Dignum ſpectaculum Deo, Chriſtiani, SOCIETATIS, cum cruce, igne, morte congreſſio; inter minas & tormenta concolor vultus, ridentique quam patienti ſimilior. crepat ignis, ſtrepit carnifex, funis ſtrangulat; ille etiam ad maiora ceruices protendit; auarus pœnarum, quin & glorię; quam ſcit in illis, tamquam in ſemente cluſam.

Tacebo ego te clarum cælo terraque ſidus, vltimumque nil amplius dolituræ domus innocuum piamentum. ſæuiant magna ingenia; quorum acrior ſemper vis,

quo Fortuna clarior: nullus tui ſanguinis veſtigia dies exteret; nullus curſus recurſuſque temporum, nullus liuor edax: nullus excinerabit ignis.

Maius ab exſequiis nomen in orbe venit.

totaque in hæc vota mea ibit Gallia,

Spiranteſque crocos, & in vrna perpetuum ver.

& proluant licet flumina, non delebunt; deuehant in Oceanum, patentior erit area famæ & immortalitati. & tamen premo te nunc. venit dies, cum tua

——non humili referam memorande cothurno.

Qualis Pindarico ſpiritus ore tonat.

Quo? quo calame, quo? vel refuga manu memoriæ dabis? nihil agis. Tenebris ego te nunc condam, amica lux, patere. fors dabo te aliquando clariſſimum ſidus, liberiore campo, amphitheatrici Caluiniani furoris nobilis portio. Permitte hos nunc ſibi, Caluinianæ ſutrinæ ſutores peſſimos perituræ felicitati. ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Permitte hos ſibi e Caluini inſtitutione Seianos: fors deerit quod carnifex trahat. Tegat illa membrana dignitatis, timere, expaueſcere, ſecuritati ſuæ diffidere: ſat magnam carnificinam tenue velamentum tegit. nec vllum maleficium ſine formidine eſt; quia nec ſine conſcientia ſui. nam &

Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cadit
Occultum, quatiente animo tortore, flagellum.

At diſcutiet tempus, & proſpectandam dabit hanc lanienam. ſed & ego te refigam alia manu, ſæculorum ſpectaculum nobile lignum, nobili ſanguine purpuratum. recludam te inluſtris vrna, clariſſimi cineris fida cuſtodia: nec vlla te tacebit ætas, nobilis calami nobilior ſeges.

ſeges. Sed amabo te Arnalde, quis veſtrum apud tonſorem pro homine ſuo mulum reſpexit? quis in illo Caluiniano ſpeculo, ludibrio virtutis, virum dignum meliore ſæculo, pro læſæ maieſtatis reo? hæc turbulentia & paſſiuitas non eſt?

Vertite equum Danai. male vincitis. Ilia tellus
Viuet; & huic cineri Juppiter arma dabit.

Sed dixerit; fors ſcripſerit, hæreticum Principem communione priuatum ſacra, ſecretum a Fidelium cœtu, reſectum a viuo corpore, non iam viuere illa ſpiritus vita. hic ego cogor vos de veſtra paratura repercutere. An non pars ſanior Eccleſiæ, qua Oriens, qua Occidens, qua reliqua, idem ſemper ſentiit? Diſcutite Patrum ſcripta, iam inde a primordio naſcentis Eccleſiæ: ſi aliud dixerint, mentior. Explicate omnem retro ſæculorum memoriam, tot exemplis Imperatorum, Regum, Principum teſtatam. Quid? potior pars Galliæ an non idem aſſeruit? primi in Sacerdotio, primi in nobilitate, primi in populo? an non pulpita prima Galliæ eaſdem voces perſonarunt? Cur non detuliſtis tot capitum millia? cur in vnum ſæuire placuit? an expediebat *vnum mori pro populo?* Ab illo ore prophetica verba, ab illo tripode hæc oracula Caluino famulentur. Iam tot millia quæ arma tulerunt, ferroque teſtata ſunt quod ille verbo, nec capillo quidem depilata viuunt in gloria: & in vno capite experiri libuit, quid poſſet odium?

Quid? Franciſcum, Carolum, Henricum, fratres Reges, (nobile trophæum nobile ſcelus exigit) quoties Caluiniſtæ ferro, quoties veneno deuouerunt! quoties iuſtis exercitibus ex omni colluuie Gallica, aut incluſos mœnibus

nibus tenuerunt; aut maturare fugam, aut ad extrema consilia coëgerunt! neque hoc sola illa post hominum memoriam infanda manu Gallica; sed multis externorum millibus in sceleris societatem conductis. Et hi Regum, Regni, Religionis auitæ voragines, post nefarios cœtus, conspirationes, sicas, venena; post sanguineos innocuos torrentes, an maria; post integras Prouincias nobilitatis cadaueribus aggregatas; post mille laniatus, cruces, carceres, hastas, sclopos, clauos, soleas, flammas, craticulas, venena, viuunt: & viuunt in gloria. nulla hic crux, ignis nullus, flumen nullum, quod memoriam cum cinere elueret. viuunt: & innocentis sanguinis stant accusatores, quibus toto corpore nulla innocua gutta, nulla sine crimine, scelere, pars vacua. Iam a cuius cerebro illæ Gallicanæ noctes? audete negare nimis orbi nota. & tamen viuunt. Hic aliquis concreto vultu, suspenso supercilio: Magna, ait, quæris, & nimis altis obuoluta tenebris. fuit illius temporis calamitas. Fuerit. sed a cuius illa capite? Video submurmurantem Paschasium, & ambiguitate bilingui negantem quod agnoscit. Euoca omne artificium, cui veritatem quotidie suppurare adultera manu solenne est. quid tacitus

—— tecum graue cornicaris inepte?
Iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quærit.

Inclamas fidem Regis? stabo illi fidei; aude pedem pedi. Sed ille SOCIETATIS dixerat nescio quæ. Pergis mulum de asino pingere? aude aliquid de tuo, aude Stephane. pudebit te puerilium dicibulorum. Dicebant: aiebant varij. Qui? quid? in mari poma nasci? in cælestibus

bus nuceta? Dicebant tamen. quid? an quod olim

— quercus laurique ferebant,
Cruda puerperia, ac populos vmbrosa creauit
Fraxinus, & feta viridis puer excidit orno?

Figula male figule; & de tuo afflatu anima mẽdaciorum tibias, cælorum abortui deputatas, inferorum ſentinæ adſcriptas. Tranſeo de calcaria ad carbonariam. Eia Arnalde, quando depromes defarinatum illud condimentarium, ad deſultrices molas tuas delatum, fabularum & nugarum liuentia repagula? reſponde interfector Veritatis. Viuam, & ego te dedolabo alia manu: hic ludus eſt. Diſces, an ſciam Latine loqui; litteras viderim: an minor mihi animus in Vero, quam tibi tuiſque in ramoſis mendaciorum ambagibus. Aude aliquid dignum Depudentiæ templo; dignum aris defrontatis; dignum thure meretricio. Aſſuebat, ais, ille SOCIETATIS alumnus Pontifici Romano neſcio quæ in Eccleſias Gallicanas, Regnum, Reges, licentioſæ poteſtatis, indigna Regno, Galliſque hominibus, qui nulli ſeruire didicerunt: ſuperiorem poſt Deum nullum norunt, extra vnum Regem. Non opus pluribus. ſcio quid velis. Ordo Eccleſiarum ad originem recenſus, an non ſtabit in Pontificem Romanum? nec hoc in Italia tantum; ſed apud vniuerſas, quæ illi de ſocietate ſacramenti confœderantur; quæ ſolę Apoſtolicæ ſunt, Chriſti ſunt. An fors, quando calamum mouit Paſchaſius, tunc diuerſæ factæ ſunt Eccleſiæ Gallicanæ & Romana; ante illi tamquam capiti ſuo membra adcorporata, tamquam primogeniæ arbori ſurculi inſerti, tamquam origini ſuæ torrentes adnexi?

CAPVT IX.

Caluinista. SOCIETATI *Pyramidem sceleris monumentum statuerunt viri docti.*

Quieuerit licet SOCIETATEM *propugnans eloquium, exsilio ante subductum, imperio retentum; numquam tamen magis, quam hoc silentio, Caluinistas detriumphauit.*

HA ha! triumpho. Etiam ante victoriam? Immo & post illam. dehonestata SOCIETAS; eiusque pusillitati, & contemptui, dedecoratio hæc deputata: tantum inspice lapidem. Quem? Saturnum hunc quadratum, aut Martem trigonum? Vide quid pectore, quid dorso referat. Litteras video, & notas in SOCIETATEM, stiriata venena; quæ vt mella per fauos, sic decurrunt per hunc lapidem. in quo monumentum prostitutissimæ lupæ Caluinianæ; quæ per lasciuientis ingenij præstigias SOCIETATEM conata est per sæculorum ora seminare: & fors posthumabit. quod vt quam maxime fiat, erit hoc in anteriorem, erit in retrosiorem SOCIETATIS, despectricis harum lasciuiarum, gloriam. tantum viue: si non deturgescat huius ranæ tumor, propinabit viscera; aut ego mentior. Sed heus, nosti pueros Gebennenses? inflantur nouis calceis: sed a meliori pædagogo calceati, mox vanam gloriam vapulabunt. Iam verba ipsa, quanto inter se nexu mentiti veri & grauitatis! Credas Persarum Magos, Ægyptiorumq; Hierophantas, Indorum Gymnosophistas seria dare, vera dare, obumbratico

bratico loquentiæ velo. pande, & vide amores Colchorum, cruces Caucaſorum. verius cãtharidis venena, ſcorpiacam caudam, aſpidis linguam, & videbis, & ſenties. Et tamen Paſchaſius vult hanc Pyramidem ſignum belli illius, quo Caluiniſtæ SOCIETATEM debellarunt. Crepitaculum fuerit Paſchaſij de gerulæ ſuæ collo, Caluiniana hæreſi, in prœlium erumpentis, SOCIETATEM pro mamillis ſubacturi. Dentiludium fuerit Arnaldi, ad Solem vncti, pannis armati, butyro ſtipendiati, ad perfricandas gingiuas, cum SOCIETATEM conſpueret. ita numquam viles animæ explere potuerunt Caluinianam, æmulam Magnorum, voraginem. vbicumque enim licuit, (nam ſemper lubuit) calamum, dentem, ferrum, flammas inſperſerunt; etiam in virtutum poſthumas teſtationes. Hinc Ludouici XI. oſſa eruta, rogoque iniecta, Caluino duce. Henrici IV. maiorum trophæis non pepercit inuida hæc manus. & miraris per SOCIETATEM tam ſæuo latratu, tam crudo iuiſſe mendacio has linguas, hos calamos, per infuſa æmulationum venena tamquam oleo maceratos? an neſcis naturæ humanæ vitio probitatem ſubiacere liuori? Exigant tantum Caluiniſtæ huius a ſe pœnas: & dum nullas in ampliſſimo SOCIETATIS corpore habent miſericordię, habeant inuidiæ cauſſas. Nam illas ſtatuas, & publica falſa titulorum, quæ fucum faciunt oculis, ridet SOCIETAS; docta torquere colla liuentium, enauigatis iam inde ab exordio ſui omnibus liuidorum latratuum Scyllis; docta ingentibus gloriæ ſaltibus ceruices tranſſilire vituperonum, qui ſola maledicentia clari, per odia virtutum, eunt in poſteritatem. ergo conſcij infecunditatis ſuæ, imitati ieiunas,

noxias tamen arbores, pro pomis erucas eiaculantur, & locuſtas. quarum venenatis flatibus inebriatus populus incipit credere Caluiniſtarum ſcelera a SOCIETATE nata: virtutiſque huius ſinceritatem, criminatione vitiorum deuenuſtatam a Caluiniano machinatu dum non ſentit, rapitur ignarus obloquiorum turbine in nimis credulam facilitatem; qua magna etiam ingenia, inuidioſa tranquillitate prouecta, non raro naufragia tulerunt. Quod enim mare tam infidum, quam popularis animus? quis ignis tam late ſparſus? Vidit vtrumque SOCIETAS: ſed & præteruecta eſt hos fluctus, excuſſitque flammas maiore robore, quam incurrerant; maiori gloria, quam æmulus bonorum conatibus liuor impreſſerat. ſequitur enim honos contemptorem: ſin minus, non ideo dolebit, quod illum non meruerit; cum omnia ad conſcientiam, ad Deum referat, nihil ad oſtentationem. in illis verus gloriæ fructus, non in populi ſermone tamquam mercede reponitur; non in aris, ſtatuis. demolitur & obſcurat hæc obliuio; negligit carpitque poſteritas. at frenator animus ipſa vetuſtate floreſcit; cum in eum nil flammæ, nil ſenectuti, nil ſucceſſui liceat. Vidit hoc SOCIETAS, & ſecuta gloriam eſt, quæ apud Deum ex virtute naſcitur: fortuita riſit, imagines, columnas, pyramides. Vis illam etiam propius noſſe? Noſti Ægyptum? nil imbribus pluuioque cælo debet; cum proprio amne perfuſa pingueſcat, induaturque ſegete. noueris & SOCIETATEM. vberet eam foueatque terræ larga benignitas; deſtituat eam deſeratque omnis aduenticia fecunditas: nullo munificentiæ, nullo ſterilitatis confinio aliam videbis; nec ab his illi quidquam accedet. apud ſe habet, quo

quo glorietur, quo pascatur, æterna feracitate. virtutem enim nemo vidit effetam gignendo, cum per vices fructuum fecundetur: quorum assiduitate, nulla macie decoquitur; crescit. At illa in SOCIETATE sedem certam fixit.

Cui ego, *Mußitans quamquam chorus inuidorum*
Prodat hirritu rabiem canino,

æternum hoc testati amoris pignus L. M. P. Tu quisquis leges, Caluiniani in mendaciis volutabri demolitionem, ædificata veritate; illius erasionem, huius incisione; vide an latum capillum à verò deflexerim.

I. SOCIETATI. quæ nocentes linguas, quæ malitiæ ac blasphemiæ ingenia conuertit in studia modestiæ: quæ machæras in aratra, quæ sibynas in falces, efferos nimirum animos in sensus probos, ac frugis bonæ: quæ renes libidine natantes, a laciniosis carnis oneribus expediuit: quæ cordis innumeras vitiationes, quæ omnem paraturam impiæ ac sacrilegæ hæresis, omnem illam stigmaticam contagionem; quæ tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot homines; tot pestes, quot capita; tot scorpiones de calamo tamquam hamatili cauda venena vibrantes, quot manus; tot spicula figentia, effundentia, vulnus & virus, quot digitos; tot aspides virus intimantes, & properantes in viscera, quot linguas, flexit, fregit, euenenauit: docuitque Gallos aduersus decipulas has linguas, surdos fugere Caluiniani blandimenta naufragij; ne serius ingemiscant, protrusi ad ea loca, in quibus ignis æternum coquitur; dentium fremitus perennat; totaque sulphuratio per æterna sæcula vaporat æquiterna supplicia passuris.

II. SOCIETATI. quæ non raros in ſolum ventum Chriſtianos firmauit certiori pede: quæ illas arundines, omni flantis Boreæ ſæuitia in nullam non partem velificatas, cum abirent libidinatum ad filias Moab Caluinianæ hæreſeos, ab illo conſiſtorio Satanæ reuocauit; a pollutis; & ab obtruncante gladio diuinæ irę, deſperata iam prope gloria melioris æui, a qua tamquam vomitu nauſeantis cæli viderat non vltimos Gallorũ expunctos: præmonens aduerſarias inſidias, quarum retibus precipites implagatos, pollicitationeque vanida, & ementita ſæculorum cõmentatione, tamquam bicipitibus hamis inuncatos; poſt vlceroſarum conſcientiarum hiulca vulnera, monitu & oratu maioribus extruſit animis, quam verba fidem faciant. neq; manumiſſionem dedit ſudori, donec non leuem manum a profundo erroris gurgite feliciſſima animarum piſcatrix eximeret: nec modo primipilares, haſtatos, anteſignanos; ſed & vltimos calones, lixaſque, extimoſque trahariorum. par enim animorum nobilitas, ſi originem, ſi auctorem Deum, ſi ipſos ſpectes, poſitis velantibus mendaciis.

III. Et ſane vberrime fructificauerant auenæ Caluinianæ ſuperſeminatæ orthodoxo Galliæ tritico; conniuentibus multis in ſimplicitate doctrinæ. & iam ſemen ſuum excuſſerant, ſubdola viuacitate latitantes: eruperant inde in apertum, & palam oſtentabant ſpicas; & ni diſſimulamentum accederet, aut noxia licentia, etiam bello grauidas. Venit SOCIETAS, & per ſuperſeminatos hos agros diſperſit Cultores: quorum opera euulſa pars magna videbatur. ſed ſemina nimis quam late ſparſerant, quæ erumperent cum ætate. Factum: & in ipſam

SOCIE-

SOCIETATEM toto nisu incumbentes, sperauerant decolorationem, carcere, equuleo, exsilio, cruce, pyramide. meliora dedit Dominus. qui si voluerit, eradicabitur omne noxium, ipsa fundamentalia segmina eruderante SOCIETATE. sin minus, in illo die magno colligentur omnes adulteræ fruges, & cum ceteris scandalis igni committentur inexstinguibili. in quo alios carceres, equuleos, cruces, pyramides, Caluiniana schola perhorrescet: in illis terræ visceribus, & abstrusa vastitate, vbi pœnarum nec modus, nec terminus; vbi flammæ membra vrunt, & reficiunt; carpunt, & nutriunt; sicut ignes ardentium non vno loco terrarum, flagrant, nec erogantur. Erumpe Veritas: neque ego hic vllam fabulam de licentia Poëtarum, vllam opinionem de fama veterum sæculorum; rem ipsam dabo, omnibus columnis speciosiorem. quæ non saxis, aut rupibus; sed monumentis æternæ laudis excipietur. Et ego tamen ita voueo; presso dente restringam virtutum tuarum campos: dabo illos præclaræ conscientiæ tuæ.

IV. Quantos vna SOCIETAS paucis per Galliam domiciliis diffusa, & bona anni parte inopidata, per suspiciosas semperque fumantes a vicinitate flammæ dignitatum voragines gradientes, ad plana deduxit; in quibus fecundissima gloriæ anchora sedet, æternum perennatura!

V. Quantos eadem contra domesticas charybdes (paternos auitosque campos, tamquam per ludum, sumptuositate supra fidem abligurientes) armauit melioribus Vlyxeis ceris; docuitque ante rudera frenos mordere, & excutere implexas mille retinaculis ceruices!

VI. Quantos inter Apicios epulones, aut Byzantinos

nos chironomūntas, vltra decem cenas ructantes, per fragores parasiticos, culinarum suffragio comparatos, docuit spumantes falerno gemmas, mediisque ardoribus crystallis glacialibus rigentes, excutere, vt viro indignas; & illa auium miracula, longinqui maris pisces, alieni temporis poma, æstiuas niues, hibernas rosas, ridere, spernere!

VII. Quantos eadem peregrinos naribus odores; quantos madescentes nardo capillos, circumfusis florum sertis, siccauit meliore voto!

IIX. Quantos, quorum comparatione digitum tollerent Massa, Carus, Parthenius, Pallas, sub pulla vili veste Christum docuit sequi! quorum, nec multo ante, si naribus afflauisset nescio cuius rubiginosi aurum marsupij, vidisses oculos Argi, Briarei manus, Sphingarum vngues, periuria Laomedontis. nunc singuli, auri argentique possessione damnata, in æternum se ab auaritia vindicarunt, paupertatis sacramento.

IX. Quantos de salute periclitantes, integra licet fide, ob obsoletam nuptialem vestem, ad secunda a Deo posita solatia, pœnitentiæ lacrymas, doloris suspiria, fluminum illorum prænuntia, suauius an fortius deduxit.

X. Quantos iam iam securi post geminatas interminationes proximos, in meliores arbores, non foliis, sed fructibus perennantes, refixit SOCIETAS!

XI. Quanta de hypocritarum semine ingenia pullulantia, adaperta veritate, reduxit in viam! a quorum animis quam arduum fuit euellere illud diabolicum commentum, satis Deum habere, si corde & animo suspiriatur, scelera licet fluant totis ostiis; nimirum salua ca-

ua caſtitate, adulteria ſpargantur; ſalua pietate, parenti venena temperentur; ſaluo cælo, peccata rupeſcant, fide modo integra, animoque cæli indubitato: tam nobile fuit victricem manum impoſuiſſe.

XII. Quam multos deſperatione iam ſucciſos & ſubrutos, poſt frequentata mortis opera, docuit, ſalutis potius quam pudoris memores, ad iterata ſuſpiria, ne cum erubeſcentia perirent, depudere; geminareque poſt eroſos quaſi fruſtratorie, quia deteriore recurſu, innumeros prope damnationis titulos, medicinã ſacci & cineris, ſordium & mœroris, lacrymarum, ſuſpiriorum mugitus!

XIII. Quam multos coccino & tyrio a cunis tectos; & nudatos; vt mollius ventilante ſerico, poſt paucorum annorum, an dierum volatica gaudia, detruderentur in gehennam; quam multos poſt ætatem tritam crinibus diſtinguendis, dentibus puluere climãdis, labris, genis coacto rubore nitoreve repaſtinãdis, docuit depericlitari; contraq; iam omnem lætitiam ſordulentos & inlotos, ad aſperitatem ſacci, cineris horrorem, oris de ieiunio varietatem impulit! Quorum omnium ſi vel vnicũ præſtitiſſet Caluiniſta, an non illi iam dudũ Gebennæ radiatum caput, & media inter Reges ſedes auro ſtaret? aut ebore, auguſtioribuſque aris, grandioribus votis inuocaretur?

CAPVT X.

Caluiniſta. SOCIETAS *omnium, qua patet Gallia, malorum cauſſa.*

SOCIETATI *hæretici ſua appingunt ſcelera.*

IAM dudum e criminationibus iſtis maledicis, ab excellentibus in parte hac viris, Coſtero, Hayo, Gretſero,

Richomio, Schondoncho, nec apex prætermiſſus, qui non validiſſimis rationibus confixus iacuerit inglorius, daturus nomina infami ſolo. ne tamen Gallicæ balenæ nimboſam alluuiem, in SOCIETATIS alueum noue eructatam, non tam diſpuliſſe, quam fuga declinaſſe videar, nihil relinquam intactum. ac licet per magnos illos calamos copioſius hæc depaſta, iuuabit tamen leuioribus hiſce inuiare veſtigiis, ſi quid fors minus tritum; ac contraire inuidiæ, & calumnioſis criminationibus: ne, ſi ſileo, obtinuiſſe ſe cauſſam iactent, victam ſui vitio, non aſſertoris ſilentio. Submoueamus contentiones, remque totam momentis ſuis penſemus; ni effecero Caluiniſtas huius criminis reos, nullus ſum.

Sexaginta prope anni ſunt, aut pleni, vt largiamur ætati; & SOCIETATEM Gallia ignorabat. Replicate annales: ſi non erubeſcent Caluinianæ ſpongiæ ſanguinem ſtillantes. Ite per Gallicas hiſtorias: qui flumina cruentatione adæquarunt? Legite campos prœliorum replicatione monſtrabiles: a quorum pingui cædibus ferro, inuidia macro, decolorati luxerunt? Nihil referam a Catholico calamo: teſtes volo aduerſarios. Vno anno Sacerdotum (credes poſteritas, & ſtabit color?) vno anno M. D. LXII. Caluiniana manu, Sacerdotum aut Deo ſacratorum XLII. millia ferro, flamma, omniq; crudelitatis genere exſtincta. Nobile Regnum, nobiliore ſanguine! fecunda tellus cruore feta Martyrum! Quos hinc fructus ſperes? quos deſperes? Ite aquæ, nouas ſedes quęrite; cruior Martyrum alueos complet. Ite pecuaria, alia aprica collium, opaca nemorum, viridaria pratorum petite; virore pulſo, ſoloq; purpurata ſanguine, paſtum negant. Quid vos

vos ciuitates Sacerdotum mortibus truncatæ? quam latum ſpiritalis ruinæ limitem traxiſtis! & viuitis? Iam Rupellanos roridos imbres quis reſerauit? quis carnifice libidine infantes per matrum viſcera lacerauit, poſt exhauſtos efferatos rabidi pectoris ardores? Gallia vidit, & tulit? non patientur inulta alterius æui flumina flammis torrentia, illę voragines cœno tetræ, vbi perpetua interitionis fruſtratione, alio viſcera ferro, alio carnifice inerrabit flecti neſcia æuiternitas. Iam quis Gallos docuit inuerecundo puluere ire per matrum viſcera, impudenti ſubiecto igne; & naturæ ſecreta fundere, erubeſcente Sole; quis cœnoſis paludibus mergere viros nobiles? quis circumactu rotarũ fruſtratim membra exterere? Audete SOCIETATIS lateri hoc ferrum cingere, & ſtate. quod ſi non alij cœnoſi gurgites, alij vos agant rotatus rediuiua ſemper carne in omnem ſęculorum perennitatem, mentior. Quid? ſpargere humanam carnem, ſanguinem, belluarũ pabulum; inagereque in viſcera, ferro prius manibuſq; inarata, feras, quis docuit? quis lenta morte ſæuire per flagra, ſoleas, clauos, ardentes laminas, cruces? quis libertatem ingenuis abrogare? quis fratrum, filiorum, patrum parricidales congreſſiones? dieſque illos, in quibus per has feritates inambulauit crudelitas, feſta hilaritate ſacrare? quis hæc docuit, ſi non *Euangelium quintum?* & inter has mortes creſcentibus per momenta pœnis, noua feritate perpetuo cachinno abeuntes proſequi? Sardonica, quæ in defluis fontanis prouenit, ſi edulio fuerit neſcientibus, neruos contrahit, diducit ora rictu; vt qui mortem oppetunt, intereant facie ridentium. Caluiniſtę nullum Chriſtianum ſanguinem fluere patiuntur ſine

 libe-

liberiore risu, sine dentium inflictu: vt credas Naturam nouercali partu tot dedisse Gallorum Regno dentatos, quot Caluinistas. Olim plurima sæcula duos dederunt, Papyrium Carbonem, M. Curium; hoc infelici nostro omnes a fasciis, vberibus, vtero, dentati Caluinistę: idque in ipsa adeo matrũ viscera; Regni nimirũ, quod illis mater altera, & melior. quæ non semel sub illis dentibus, & ferro, anceps & dubia contremuit: miserandaque reciproca varietate, modo tantum non subacta, ingemuit; modo sola desperatione extulit stratas fortunas.

Quæ cum ita sint, audetis turbatæ Galliæ ream agere SOCIETATEM? Caluinistarum crimina in Regni perniciem nata, huius sanguine luere; inque nefando illorum scelere, huius innocentiam producere? hanc legibus iudiciisque coërcere, illorum in horas congeminata maleficia, factaque crudelia, quanta explicari decẽ millibus nequeant, vel annalium, vel sæculorum, pro beneficiis habere? SOCIETATEM petere, torquere, in exsilium mittere; vt scelerum inuentoribus, satoribus Caluinianis contingat impunitas? quid tam ab omni memoria barbarum, quam aliena delicta aliorum ceruicibus vindicare? quid tam nouum, quam scelera, vt porro noceant, præmiis proritare? Vbi erat SOCIETAS, cum Pontiani Principis, Casimiri, Bipontini exercitu lassa succumberet respublica? cum Galliam traherent in triumphum plaustra Germanica? Vbi erat SOCIETAS, cum de Castellenau, de la Renaudie, armati Regium Francisci latus petebant; Regiam matrem filamentis destinabant; Regium sanguinem in omni capite ferro deuouebant? Vbi erat SOCIETAS, cum de Guitery, de Lisy, Carolũ victimam

mam designabant? cum sacro Palmarum die, quo sacratius scelus esset, nobilitas & Rex ipse ferro petebatur? Vbi erat SOCIETAS, cum caderent viri Principes: Nauarræ Rex, Monpenseius, Nemoursius, Longauillanus, Niuernenses, Aumalij, Tanannus, Bironius, Matignionius, Sanctandreanus, Mottegundrinus; sed & Præses Minardus media luce in ipsa Parisiensi vrbe? Cuius manu & hortatu, annis non totis decem, teste Colignio, Gallorum vicies centena millia ceciderunt? Cuius ferro, duobus, vt reliqua taceam, ciuilibus bellis, inauditis omnibus retro sæculis tormentorum generibus, Sacerdotum supra quinque millia exstincta? Hospitalia supra nongenta euersa? Monasteria supra duo millia? aliarumque Ecclesiarum minimum viginti millia fundamentis excisa? Iam nobilissimarum vrbium & Prouinciarum vastitas, e cuius Euangelio nata? Testes mihi, testes orbi, Aureliæ, Angolisinum, Rhotomagum, Diepa, Turones, Lugdunum, Meldæ, Suessiones, Aurangium, Nemausus, Bituriges, Montalbanum, Pictauium, Delphinatus, Guienna, Normannia, Prouincia, Languedoca, Gasconia; ac sub vno Henrico tertio vrbes aut arces validæ ducentæ. Et quæ pars Galliæ intacta? aut quid inausum illis, quorum hæ de suo capite voces auditæ non semel, *Ludouicus* XIII. *Dei gratia Francorum Rex primus Christianus*. Quid dicis Gallia? quid vos purpurati Patres? fertis hunc de hæretico ore impium lege Maiestatis afflatum? nemo retro Gallorum Regum Christianus? ego taceo: vos Iudices estote.

Nec satis fuit sæuisse in viuos, tritum crudelitatis genus; de requie sepulturæ euocandum erat in ferrum flam-

masque Caluinianas Regium germen: Pictaui Radegundis Clodouæi vxor, Cleriaci Ludouicus cum coniuge, post aliquot dierum fœdam per omnia compita raptationem, flammis adiudicati. Sæuitum deinde in Borbonios Principes, pari feritate; & Francisci II. cor Aureliis. sed & in Galliæ Apostolos, Irenæum Lugdunensem, Eutropium Arausicanum, Crescentem Viennensem, Hilarium Pictauiensem, Aignanum Aurelianensem, Dionysium Areopagitam Parisiensem, Martialem Lemouicensem, Trophimum Arelatensem. Non explent hæc Galliæ Cannibales: Nazarenus cum Iuliano petendus erat, non iam telis frustratoriis. Vidisse hæc Solem, sidera, & tenuisse lucem! Aurangij, Christi effigiem asino insidere iussam, perpetuis conuiciis & verberibus exercitam, igne cremarunt. Quæ hæc libido tam carnifex? aut qui tam rabidi efferuescentium pectorum ardores, supra omnes leænas, tigres, aspides, vt Christum in effigie per viscera dilanietis? igni pabulum submittatis? illum, qui imbres & soles suos peræquat iustis & iniustis, indiuidua beneuolentiæ significatione. Quo vos furor ageret, si constrictum teneretis vinculis, non iam Hierosolymis, in Annæ, Caiphæ, aut Pilati domo; sed Geneuæ, in nouo Caluiniano lupanari? Progredior. In agro Carnotensi Christi de cruce pendentis imaginem, & Sacerdotem illi alligatum, plumbeis glandibus turmatim traiecerunt; vt nouum feritatis genus adderent ad lanceam & Hebræos clauos. Disce Iudæa manus, elumbata Synagoga, ab hac valente, & roboris plena. Nec hic quieuit hiænæ rabies. Deus magne! in ipso altari, in calice sanguinis tui, fœdam intestinorum egeriem vidisse

vidiſſe cælum? Abite lumina, & tu amœnior dictionis pompa, tenebras hæ ſordes volunt, & in quadam noctis ſolitudine hirſutum & aſperum genus. Sed o IESV tuam patientiam! virginum & matronarum in æde tua exutus pudor. quid erubeſcis calame, aut ſuffunderis ſcelere, quo cares? Quid? de infanda proluuie altaria gement & ſuſpirabunt, & in illa ſummi Numinis ſede pudor omnis trucidabitur, & colorem tenebo? non ignis, ſiue de cælo fulmina ſtringens, ſiue de terra eructans, hæc incendij numquam decinerandi pabula vindice flamma detonabit? venient in diem iudicij, qui hæc ſe gloriantur impune tuliſſe, gehennamque comminantes decachinnantur: a quo omnis hic riſus, digniſſimus Vezeliano rictu Scaurico, æternum exſulabit. Aſt ego hæc Deo, qui iudicabit plenius; & in illum diem, quem ſolus Pater nouit; vt pendula exſpectatione ſolicitudo fidei probetur, ſemper diem obſeruans, dum ſemper ignorat; quotidie timens, quod quotidie ſperat. Iudicabit in illa die & purgabit aream ſuam Dominus, pala rigoris & iuſtitiæ euentilans confuſum aceruum fidelium, diſcernenſque frumentum ſuum a Caluini paleis. quas nemo miretur non multis annis vna Gallia tam vbere meſſe proueniſſe. fecundius enim nequiora proueniunt, ſerpentibus perenniter perditis moribus, quibus nec dies vacua, nec nox libera. Ita ſcelera ſecretum quærunt: honeſta publico gaudent. Adde, tantum huic Caluinianæ viperæ virus ineſſe in mortem, in ſuadelam, vt quemcūque vel de calceo afflauerit, venenet; vbicumque vero leuioris fidei paleam repererit, rapiat. At eo purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur.

Nec

Nec volo tamen extra metum esse Iuuentutem Gallicam: nam & fortissimus exercitus ante pugnam trepidat. Hoc volo. Si quando illo fastu mentiti coloris sui Scripturas vomat & Patres, scelerum suorum defensorium; meminerit Iuuentus magicarum apud Ægyptios virgarum, draconum. At Mosei veritas mendacium deuorauit. Faciet hoc idem Ecclesia Romana, & quisquis in ea bene institutus, excusso stibio Caluinianæ frontis, decussoque capillo alieni capitis, meretricem ostendet, quæ se mentiebatur virginem. Et tamen fuge, quisquis es; nec fide, mea Iuuentus. Apollonides vult Bithyas, mulieres Scythicas, perimere visu, si quem iratæ adspexerint; sed & reliquas non innocentibus oculis intueri, quam diu in lege sua sunt. Caluinistæ in æterna lege nocendi sunt; hebetaturque in æuum fulgor ostensus regni, in quod obtutum immiserunt. Circumferte memoriam per Galliæ Reges. vnum date a Caluini ortu, qui dentes non senserit; qui ad ferrum non trepidauerit; horruerit ad venena: qui non de regno, de capite periclitatus, ante malis circumsessum se videret, quam illa sciret. Pennatorum anguium ex Arabiæ paludibus, tam citum virus esse volunt, vt morsum ante mors quam dolor sequatur. Caluinistarum ex Lemannico lacu tam præsens venenatio est, vt qui in hanc offenderit, Rex sit, an nescio quis albis pedibus, vitam exuat. Occurrat e Societate Ibis, pestilentem hanc cateruam exarmabit, euenenabit.

Sed non omnes Caluinistas vestiit ea ferocitas. Do hoc vobis. & tamen, si non premenda veritas,

—— numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

Addo

Addo, fors & fuisse aliquos moribus quibusdam vrbicis non illaudatis. an ignoratis materiæ qualitatem, vniuersitatem elementi probare; non puluisculum aliquem perflabilem? neque mitioris aquæ gutta insalsum mare dedit. consumitur minuties ista in immenso; nec nomen habet, quod per tam spatiosa diffusum perit, & in amplissimi corporis intercipitur vastitate. Quid ergo? omnes tales? Nihil dico. vnius patris, fœmoris, seminis; vnius matris, vteri, vberis, filij sunt, quotquot e Caluini podio, tamquam sinu exclusi, caput sustulere. omnes noxia egerie, quidquid attigerint, amburunt: omnes fœda proluuie, quidquid adsperserint, taminant: omnes pestilenti afflatu, quidquid perspirauerint, venenant: omnes flexuosis moliminibus, quidquid cinxerint, circumretiunt: omnes quamcumque animam implagauerint, non vno vulnere viduam pererrant. A quibus Gallia didicit simulare, mentiri, circumscribere, adulatoria humilitate inescare; mente aliud voluere, aliud fronte polliceri; dolis & strictis insidiis nescios illaqueare; per omnia malitiarum genera virus spargere, & ad vsum temporis religionis pellaci mobilitate se formare; periuria periuriis in maiorem perfidiam cumulare? nimirum mentem iniuratam tenent. Vere olim de his dictum:

Qui, dum aliquid capiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.
Sed simul ac cupide mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.

Docebo hoc exemplis, ne quis me putet verba dare. Montbrisoni, post datam fidem de indemnitate fortunarum & vitæ, ad illustres viros in præcipitium actos,

M vidi-

vidimus matronas e prima nobilitate ad infanda ſubactas; matres vna cũ deliciis ſuis ab vberibus pendẽtibus, vno vulnere duas animas eiicientes. Quid quęritis vitam innocuę mentes? mors erit in his vberibus. & tamen felices animæ, quæ tam prodiga generoſitate vitam omnem ſpargitis in Caluiniano ferro; fortunatiſſima viciſſitudine maioribus Oceani oſtiis æternã vitam hauſturi, pro illa tenui fluxu lactea. addidit hęc barbara manus octingẽtos ciues, tam vario tormentorũ quam capitum genere. Pergo. In S. Michaële Pictauienſis agri, poſt datas dexteras, Præfectus iugulatus, & cum eo quadringenti pręſidiarij, nequidquam mentitæ dexteræ fidem inclamantes. Aſt impium & infidum hoc ferrum *— incude nefanda*

Produxiſſe parum eſt.

numquam ſtetit in ſolo iugulo Caluiniana crudelitas: inacti in cadauera canes, & porci. Edite fratres cruditãtes hos de viſceribus humanis alueos: vt ructetur ab homine caro paſta de homine. In S. Florentio, Deum volunt ſacramẽti teſtem: addunt promiſſa, roſas & mulſa; crudelitas habitat ſub hoc fauo. credidit præſidio Pręfectus tam ſancte firmatis; & credulitatis ſuæ retulit pręmium ſectus in fruſta cum ſuo milite. Iam Engoliſmæ, poſt fœdera iureiurando ſancita (quę mihi hic Neroniana, quę Sicula manus calamum?) dicam cruces, ignes, gladios, beſtias, vngulas? lallantium hæc ſunt Caluiniſtarum, a prima etiam tum gingiuarum proritatione, morſus. valentior ætas alios dentes dabit; quibus & apri & elephantes luſus. Olim Synagoga ſecuit ſerra; Caluiniſtæ fune. Olim ille mortua *—— iungebat corpora viuis,*

Componens manibuſque manus, atque oribus ora.

Cal-

Caluiniana Nemrodea racematio viuos nudos arctissimis nexibus colligat, cogitq; fame & verberibus mutuo sæuire dente. Quid ego nunc linguas vel a ceruice, vel a iugulo via non sua euulsas; coactumque cibum ire per vulnera? quid ignes e sulphure a viridi trunco lentos, aut in matronis virginibusque erubescentes?

O tempora! o sæculum!
Quid nos dura refugimus
Ætas? quid intactum nefasti
Liquimus

sub hoc Caluiniano sago? Olim Vitellius, Antonius, Sylla, inuidiam, perfidiam, scelus, odia posuerunt in hostili capite: nullus sanguis Caluinianam sitim explet. quæ numquam stabit in vno scelere; ciuium illi capita infandi lusus & meta, & sphæra.

Quid Nero tam sæua crudaque tyrannide fecit?

Sed quid inter hæc SOCIETAS? a Deo poscebat rebus fessis languentibusque certa tutamina: castas illi preces de castiore penetrali fundens, iungebat diebus noctes; alternis suspiriosis vocibus, largoque lacrymarum imbre illius Numen venerans; prostrataque supplex, ipsa cubiculorum suorum limina conuerrebat osculis.. sed ob hæc exsecrabilis religio est, infausta, impietatis ac sacrilegij plena. Credo si Faunos, si Fatuas, si Lares, si Genios, si scorta meritoria, atque in vulgarem libidinem prostituta, veneraretur SOCIETAS, cata illa vobis prudensque foret, iam cum Christum suum manibus puroque colat pectore; cum salutis Gallorum auida, pauperibus iuxta ac diuitibus, indiuiduas beneuolentias exhibet; hic auaritiæ exstinguit ardores; ibi tumida superci-

lia modeſtiæ monitis, ponit; alibi ſpe præmiorum celeſtium ad ardua incendit; irreligioſa vobis eſt; fatua dona promittit, quæ facetiis iocularibus lancinatis.

CAPVT XI.

Caluiniſta. SOCIETAS *Regiam poteſtatem minuit, cum Pontificiam auget.*

SOCIETAS *nihil detrahit Regi Regium, nil indebitum arrogat Pontifici.*

DIC Arnalde, dic quod audiri voles. ſed heus! ne mihi caſſidem aut perſonam inducas, qui debeas hominem. ergo incipe; & prome illa ex alto profunditatis & infernæ voraginis mendaciorum pabula, & potabula; quibus ſimplices in exitium, dubios in mortem, fortes in bilem figas. intima virus, quod properet in viſcera: vt proborum ſenſus, vel audito SOCIETATIS nomine, retorpeſcant; piorum ſanguis vel vmbra illius deraſus gelaſcat; apud omnes denique SOCIETATIS nominis nauſea incrudeſcat: & tota Gallia ſibi quęrat, quod vomat; aut pileum de capite; aut capillum de barba; aut vnguem de ſegmine; aut veſtigium de pede; aut dentis fragmen de SOCIETATIS ore. Ventila magne ventilator omnem ſegetem mendaciorum, & propina Galliæ, purpuratiſque tuis Patribus ſpurcum blaſphemiæ afflatum, de hæretico ore fœtentem: nam ego illud minitabundum & impurum e Nouiodunenſi ſcena Gomorrhæum os alio nimbo defricabo; rediuiua ſulphuratione nidorado; non inferiore veteri volſella depilabo. quamquam

quam nemo prudentius ad verum, ad plenum, ad omnem modestiam, Rege ipso: in cuius Maiestatem Paschasio & Arnaldo committit SOCIETAS, quod illum non anteponit aut adæquet Pontifici. Quid dicitis sepiæ Gallicæ? quibus proborum vita, tenebrarum interuomitu, tamquam afflatu Satanæ iocus & risus. aut quid vultis a SOCIETATE audire? Regem Pontificem esse? mentiri nescit illa. sed neque Rex, Pontifex audire velit; nec caput Ecclesiæ Gallicanæ; memor Oziæ, quo nemo retro Regum, victoriis, beneque instituta Republica, & militia clarior. At vestra non erubescit famulabunda (etiam Satanæ, si vsus ferat) adulatio, de quocumque mendacio monstruoso, de quocumque figmento fabuloso: magis etiam colorem tenet, quo crudius figmentum. erubescere debebat. nesciunt ruborem hirundinum pulli; nesciunt vulpeculæ. Erit ergo vobis Rex & Sacerdos, erit Rex & Pontifex Maximus. Non satis capio, in qua hæc Republica; Romana, an Hebræa; an in illa præcoqua, & Christi abortiua. Hos honores tam varios, tam Pontice mentientes, tam cum Christiana Republica pugnantes, quia Regi non arrogat SOCIETAS, hostis est huius nominis. At vos, qui induitis vestem nouæ Reipublicæ, nouæ Synagogæ, Regij estis. quem tandem (aude blasphematio) pariabitis Deo: immo erit Rex vobis Deus. si non timetis de infausto nomine, thura date Arabiæ lacrymas; hostias cędite; sanguinem pecoris sacrificiorum cruentorum, holocaustomatum nidorosorum. Perhorretis? sanguine litate humano, fors illum suauiorem experti; & alicuius e SOCIETATE: quæ Regi illustriorem hostiam, orationes nimirum promit

de carne pudica, de pectore innocenti. vos illi poſt omnia inquinamenta etiam conſcientiam ſpurcam, etiam innocuo ſanguine taminatam. Quid adulteratis Regium Chriſtianum nomen? quid immittitis non miſcenda? vultis compendio vobis conſulere, & de vno figmento tot obliquos tramites & inextricabiles ſcinditis, vt nulla vos Dedalæa manus vindicet in libertatem. & tamen vos Regij: SOCIETAS vero circa Maieſtatem eius infamatur; in qua nulli in Præſides Pradellæ, nulli in Principes Poltronij, nulla in Franciſcum venena, nullæ in Carolum ſicæ, nullæ in Ludouici cineres flammæ, nullæ Gebennenſes conciones, nulla Regina Mater porca, nulli Reges nefrendes; digna Caluini podio nomina, ſeditionum pabula: & tamen Caluiniſtæ viuunt, Gebennenſes viuunt, non niſi de ſcelere noſcibiles; poſt eiaculata in Reges venena, poſt inactum ferrum, poſt exercitus in rempublicam ductos, populatas Prouincias. Caluiniſtæ viuunt; toties falſarij, quoties reipublicæ Gebennenſi placuit; toties adulteri prædicationis & carnis, quoties praua libido ſuaſit. Caluiniſtæ viuunt; reliquatio Montani infamiæ, hereditas Valẽtinianę perfidię, ſcintilla Neſtoriani incẽdij, puluis areæ Manichæorum, tonſura inſoleſcentis Berengarij, ſuperfruticantia ſemina ex Ariana redundantia, luxuriantes rami de Pontico nemore, nobiles candidati de nidoribus Lutheri, omnium denique prædamnatorum hæreſum ſtillicidia de mari, prima portio ſpiritalis nequitiæ; cum quibus eſt SOCIETATI eluctatio. & hi tamen accuſatores SOCIETATIS, tanto peroſioris, quanto virtute & in Deum pietate plenioris: hi delatores non de poculo, ſed de patibulo:
deci-

decineratis etiam oſſibus; ne poſteritas amaret, quod amor legiſſet, ſæuitia reliquiſſet. exhauſit ergo feritas ingenium in vno capite. hoc ne eſt tueri auctoritatem Regiam, caupones fieri humani ſanguinis, quo ſignarent præmonitorium illud edictum, ne quis e SOCIETATE Galliam videret ſaluis oculis, vita, bonis? Quid faceret SOCIETAS, dũ erraret per ignota: ſperabat. ſciebat enim non raro in procella, cõfuſis veſtigiis cæli & freti, portum oſtendi, proſpero errore: ſciebat aliquando etiam in tenebris aditum & exitum deprehendi cæca felicitate: ſciebat Dei mira manuductione præter ſpem in ſpem venire. Factum: & Rex ipſe manum admouit, cum commentitias veſtras ſtrophas aſſueta ſibi facundia eliſit. Olim Simon & Elymas Magi multa aduerſus Apoſtolos dederunt: ſed plaga cæcitatis de pręſtigiis non fuit. Hac ætate Caluiniana æmulatio plura etiam, a ſanguinis & lanienæ ſpiritu, in SOCIETATEM vomuit: ſed repercuſſio Regia de crudelitate nõ fuit; de veritate fuit. Olim Crotonienſis Milo ictu nudæ manus taurum fecit victimam; eumq; ſolidum, qua mactauerat die, abſumpſit nõ grauatus. Ætatis noſtræ noui Druides, SOCIETATEM vniuerſam, vno ductu mendacis calami, ſperauerãt Galliæ dare victimam, & abſumere rediuiui Milones. fortior fuit manus Regia: & hos Getas docuit miteſcere, vno ductu oris, vno calami. qui nunc ſe continent, vt vires viruſque colligant; quod, nacti tempus, vltra omnium ſæculorũ crudelitatũ margines intumeſcentes, excutiant in SOCIETATIS læta paſcua. ardent interim Ætnæa ſiti; quã nulla maria, nulla imbridi cæli largitas reſtinguet. vilis huic hyænæ aquæ potus: ſed nec vlla ætas, vllo fuſu, vllo

hauſtu

haustu sanguinis, mitigabit. crescit sitis illa potu; vt iures Arcadiæ lapidem, qui accensus semel exstingui nequit: iures supra omnes Neuros, lupos: nam illos volunt post æstiuos menses in hominem reuerti. at Caluinistæ semper lupi, numquam homines, ferrum, hastile, sclopum, pro Deo, cęlo, patria venerantur. docebit hoc te libellus, *Miles Gallicus*: qui pacatissimi Regni,

—— fessa putri rubigine tela,
Hortentesque situ gladios, in sæua recuruat
Vulnera, & attrito cogit iuuenescere saxo.

Illum lector vide, si non supra omne Phrygię monstrum perpetua proluuie linguæ & calami regna dedecoret: si non sola hebetatorum maledicentia calamorum, sola primorum orbe purpuræ decoloratione, sola inuerecunda verborum incestatione, sola egelidatæ erubescentiæ impudenti fronte, in posteritatem iturus. O videam hũc militem in prætorio leonem, in castris leporem; qui nullam extra spectacula tubam audierit, nulla extra chartam castra viderit; ex illorum numero,

—— quibus in celeres gloria nata pedes:

discinctum, virum; parma protectum, feminam; Iani Numæq; ninguidos mẽses in otio fuliginoso, & tunicata quiete, anni reliquum inter noualia pecuaria feminina, inter omniferos vteros, magnum virum transmittẽtem. Videam hunc stolidissimum Hermam, ferularum assiduitate derasum; inter animi supplicia, sola magnorum inuidentia, glacialibus fibris suspiriosas noctes ducentem. Videam iocularis impudentiæ crapulas, tamquam a cæparum alliique esculentia, cruditantem. Videam hunc lupanarium lallatorem, magnæ matris Galliæ

suæ

ſuæ ſinum fœda egerie contenebrantem;ſolaſque cædes, ſanguinem, viſcera ructantem: vt videas in vno Gallicano ſtomacho

Biſtonij ſtabulum Regis, Buſiridis aras,
Antiphatæ menſas, & Taurica regna Thoantis.
—ſolitoſque cruentum
Lac potare Getas, & pocula tingere venis.

Quid refero hos ludos, præſepia, buſtuaria altaria? Polyphemus Gallicus

—membra fluentia tabo
Manderet; & tepidi tremerent ſub dentibus artus,

ſi qua feſta dies hos intuliſſet. ſed & leuia narro ex hoc Cyclopis antro,ſaniem cruentaſque dapes:flumina vult. & iam ſordent:maria vult Iberici ſanguinis, in quibus ſe proluat Gomorrhæa hæc racematio, ex liliata Nouiodunenſi tergidemia. Quo tu Heliogabale vinoſas Naumachias, vrbis delicias, tot odoribus perplutas, quot nares cauea præbuit curioſiores? quo Vedius Pollio calentes adhuc de ſeruulorum carnibus, exedentulas, & excornes murænulas coquendas tradit, vt humanam in his carnem guſtet? Gallo Militi, Druidarum ſemini, deliciæ ſanguis. Gallo Militi, ſuper Nabathæa thura, odores Arabum,humanus ſanguis. non ille venis fluens Neronianus. non quem

Sauromatæve truces, aut immanes Agathyrſi

hoſpitali fundant dextera. ſed neque paucorum totis ceruicibus infantum, Africo Saturno; maioris ætatis, Gallico Mercurio;promiſcui ſexus,Ioui Latio, protuens. ludicrus hic huic Militi, & quaſi a mamantium adhuc primęua dentium prurigine papularis ſanguis:totius vult

Oceani latissimis spatiis ludentem, liuentem. Ergo procul aquæ, ex voto nostri Militis, qui laxissima hæc vult spatia, in quibus parricidalis classis infrendens ruat proscissis vastis densati cruoris fluctibus. Et iam ferrem hæc Massagetum vota; si non ad eadem, ausu Scythotaurico, magnum prouocarent Regem.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Iberi sanguinis?

parumne Gallicani? cum annis non totis viginti vna Gallia, Caluiniana perfidia, & sanguinis inexplebili siti, funera suorum sexaginta quinque supra septingenta millia viderit.

——vos quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

Vixisset Republica Romana, si non hunc votiuum Militem, in obumbratricibus optati Oceani arboribus, votiuis crucibus exposuisset Tiberius, aut illo melior: si non illæ rupes, infrementis Oceani repercussoria repagula, adspersa natarent sanguine maledicæ huius linguæ, decem-viralibus scitis: si non os hoc venenarium, labra mortes ructantia, elidat sulphuratior non multo post gehenna: si non in Brasiliensem lanienam, in Salaminam scholam, Diomedi & Dionysio sacrauerit hanc mentem ebriam sanguine, seu nudam & adhuc exsulem carne, seu reuestitam illa in augmentum pœnæ exactor ignis, in vltimum quadrantem, mentior.

CAPVT

CAPVT XII.

Caluinista. SOCIETAS *euertit Galliæ regnum, cum docet Pontificiam excommunicationem in Galliæ Reges inualidam.*

SOCIETAS *magnorum impetigini nescit adulari; non dignitati decrescere: frontem expandit, vt calamum, nulli subducta. quare nec quidquam adscribit Pontifici, non testatum omni retro memoria.*

PANDE sinum Victoria: profundet nescio quem triumphum Arnaldus. Eia Paschasine catule,

Longe alio pacto gannitu vocis adulas.

at iam *Longe alio sonitu rabie districta minaris.*

Olim memini, siue cum penderes etiam tum e collo magni illius molossi,

Suspensis teneros imitantem dentibus haustus:

siue cum exemplo in solido iam pedem figentium catellorum,

Qui cum desertis baubantur in ædibus,

lamenta fundunt, querulasque voces; tu modo gemitus excutiebas irritæ in SOCIETATEM plagæ; modo (si quando

—— magna lacrymas incluserat ira)

—— fragili quærens illudere dentes,

offendebas solido. sed nunc quid, rogo te, latratus ille tam immanis? si me audis, vno ductu

—— rumpe miser tensum iecur; vt tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.

Et tamen, fide bona, quid volunt hi rictus? Triumphum e SOCIETATIS IESV Patribus. Quo Senatu censente? quo populo deferente? Gebennensi. Nil vltra quæro: triumpha; —*& æquam*

Rem imperitas. Arnalde Regum maxime,

Dij tibi dent capta classem deducere Troia.

Sed tamen quæ tam insolentis triumphi caussa? Vos, ait, Regem Pontifici, illius fasces huius clauibus submittitis. Quid? vos non agnoscitis illam potestatem, per quam Pontifex Henricum IV. fidelium cœtui, & per hoc Galliæ regno reddidit? Audete Nouiodunensis siparij mendicabula, aut illam negare, aut Regem damnare. audete.

Tacent, & ora pallor albus inficit,

Mentesque perculsæ stupent.

Sed non potuit Pontifex Galliæ Regem anathemati subdere. Factum tamen: & Rex potestatem agnouit, cum ab eadem euinculari se & enodari nō vno voto posceret, a qua vinctum se, omnique Gordio nodo valentiore implexum senserat. Quid? Arium, Valentem, Nestorium, Manetem, Mahometem verbo & ense referat Rex; Israëlem induat, extima iam membrana minor, & ad eadem sacra Gallos cogat: nihil tamē Pontifex in Regem? Transeat exinde Rex ad summa papauerum, Tarquinij mores; ad Milesias aristas; insidiosam cinerū congeriem, viuamq; defossionem Ochi; Physconis natalicia munera, vt munimentum ex se capiat furor; Phalaridis portentum, in quo quidquid Gallia doctum, quidquid adlectum in Senatum, mugiat taurus; Agathoclis sedem, in qua lenta illa viuicomburia omnium quos Gallia dedit pro-

proborum:nihil tamen Pontifex in Galliæ Regem? Pergat Rex.nobilitatem omnem exuat posteritate,& quidquid masculum Saturno victimam statuat, virgines Palladi,pueros Ioui;vt rediuiua gaudeat Carthago, Laodicea; Arcades saliant: nihil tamen Pontifex in Galliæ Regem? Auerte Deus. Dionysij,Machanidas, Aristotimus,sæculorum portenta,Galliam premant:nemo Pontifex Dionem, Timoleontem, Philopæmenem, Helematum securus animauerit? Plura etiam monstra Rempublicam in vinculis teneant; nemo Thrasibulus manum moueat? Disce Roma ab hoc Galliæ quadrigario, ab hac hominum ructatoria carne, ab hoc stomacho cruditante de visceribus Iberorum, ab hoc Oceani sanguinum natatore. Nam qua tu lege imperium Tarquinio abrogas;exsulesque esse iubes,patrem,coniugem,liberos? Vestigia P. Tarquinij in Collatini lecto sat iustam caussam dederunt: nulla iusta est Gallum abrogandi? Rex tyrannus, oppressor libertatis, virginum, matronarum, puberum omnium inundator, ferro,flamma,nulloque non mortis genere sæuiat in innoxia pectora, Principes viros, nobilitatem; nec eos modo, a quibus nihil præter prædam sperare aucupabundus raptor poterat, sed & Gallos omnes in ignem agat, vt Galliam doceat barbarum nescio quid infrendere,viduatam suis:nullus tamen in hanc belluam homo miles erit? nullus Pontifex nobilissimum regnum securi eximet, vitæ donabit? nemo innocentiæ tamquam scelerum mercedem patibula, culleos, vncos, bestias, scopulos, ignem lentum, subtrahet ab his manibus? Quid si non contentus his, regni propugnacula,vrbes,incendio non vexet;auferat;vt nihil

iam alteri ſuperſit incendio: & quidquid maiorum labor ſtruxit, & indulgentia, ſpargat, & diſſipet: eaque inter hæc magis quatiat, & euertat, quæ ſpecioſius fulgent. e cuius ore nihil haurias, præter Aſiæ, Achaiæ, Syriæ, Macedoniæ, Cypri vrbium, vnum tremorem. ſed & nouercalem hanc naturæ manum, cui nihil inauſum, vincat totius regni vno e fundamentis excidio. Doceat exinde ſuos habitare in plauſtris, incertis ſedibus, libidine promiſcua; humanaque corpora, cum pecudibus cæſa, conuiuio coronare; omneſque qui non ita deceſſerint vt eſcatiles ſint, perpetua lege maledicta morte cenſeantur.

Progredior. volo enim aliquid dare Arnaldo, omnem curioſitatis libidinem effundenti; ac ſi quid vel ambiguitate pendulum, vel obſcuritate obumbratum, excutere. volo hunc ſpiritum ſeductionis, transfigurantem ſe in Angelum lucis, a Candidæ genibus, Gallorum prurientibus auribus natum, tamquam de ingenio prudentiæ ſæculi, in patentes campos deducere. volo hunc artificem deſtruendi verſipellem, ex penu Gallica, Gallico gladio, in arena Gallica iugulare. Hiſtorias obtendit florentiſſimi Regni. qua impudēti audacia infirmos capit, medios turbat; fortes, veritati obſtrepens, ſi non adultero ſenſu, ſtilo corruptore, claro ſane mendacio fatigat. At nos reuocemus controuerſiam ad initia naſcētis Eccleſiæ Gallicanæ; ad illam matricem, & originalem Gallicanę fidei vterum, Rhemenſem Eccleſiam. Erit indubie veritati deputādum, quod ipſa in origine ſui profeſſa eſt: reliqua vero omnis doctrina de mendacio præiudicanda; vt quæ ſapiat diuerſum ab Eccleſiæ veritate, ab Apoſtolis, a Chriſto.

Christo. Neque ego hic aliis vtar verbis, quã primi Galliæ melioris vitæ parẽtis. ille nos doceat, quid possit Episcopus in Galliæ Regem. *Si regium genus, quod ad honorem sanctæ Ecclesiæ, & defensionem pauperum, vna cum fratribus meis & Coëpiscopis omnibus Germaniæ, Galliæ, atque Neustriæ, in regiæ Maiestatis culmen perpetuo regnaturum statuens elegi, baptizaui, a fonte sacro suscepi, donoque septiformis Spiritus consignaui, & per eiusdem sacri Chrismatis vnctionem ordinaui in Regem: si inquam, aliquando genus illud regium, per benedictionem meam toties Domino consecratum, mala pro bonis reddens, Ecclesiarum Dei peruasor, destructor, depopulator, grauis aut contrarius exsistere voluerit; conuocatis Rhemorum Episcopis, primum moneatur, & deinde Ecclesia Rhemensis, adiuncta sibi sorore Ecclesia Treuirensi, iterum eum conueniat: tertio vero, Archiepiscopis Galliarum tantũmodo tribus aut quatuor conuocatis, Princeps ille, quicumque fuerit, admoneatur. Quod si deinceps incorrigibilis, contumaciæ spiritum non deposuerit, & se per omnia Deo subdens, benedictionibus Ecclesiæ participare noluerit, elogium segregationis a Christi corpore ei ab omnibus porrigatur: totumque quod in persona Iudæ traditoris Domini nostri* IESV *Christi cantare solet Ecclesia, per singulas ei decantetur Ecclesias: fiantque dies eius pauci: & Principatum eius accipiat alter*. Quid dicis Oleaster de hoc Oliuæ nucleo miti & opimo degener veritatis grano, soloque siluescens mendacio? Remigius, heres Apostolorum, quam ad lineam contesserarit cum Apostolica sede, an non vides? Regem agnoscit: nec ignorat tamen pote-

potestatem sibi suisque a Domino concessam, per Apostolos traditam. Responde: & adfer aliquid de doctrinis Caluini venenorum; ex illa excogitandi instruendique errorum de Euangelio maligne fructificantium felicitate, cui illud *Vae* adiicienti & detrahenti est destinatum: ex illo ingenio spiritalis nequitiæ, cum quo SOCIETATI perpetua luctatio est. Quid dicis Arnalde? vis curiositatem etiam fortius exerceri? flecte oculos ad Concilium Lateranense IIX. sub Innocentio III. Apostolici seminis viro. verba Concilij dabo. *Moneantur autem, & inducantur; & si necesse fuerit per Censuram Ecclesiasticam cogantur sæculares Potestates, cuiuscumq. officij: & sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstēt publice iuramentū, quod de terris suæ iurisdictioni subditis, uniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studeāt. ita quod modo, quandocumque quis fuerit in potestatem, siue spiritualem, siue temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum firmare. Si vero Dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum, & Comprouinciales Episcopos, excommunicationis vinculo innodetur. vt si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pōtifici; vt ex tunc ipse vasallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupādam; qui eam, exterminatis hæreticis, sine vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent.* Quid tu ad hæc Arnalde? Consule illas nominis Christiani extrinsecus superficies, lupos sub pellibus ouiū, adulteros Euangelizatores a Caluini cauterio, spiritu sapientiæ sęcularis,
teme-

temerario interprete diuinæ dispositionis, ad interitum fidei protrusos. aude negare: aude damnare de triuio scurra. Dices neminem retro Gallorum Regum anathemate concussum: & mentieris. Vrbanus II. Gallus, Philippum Galliæ Regem, quod Fulconis Andegauensis Comitis vxorem, suam fecisset, anathemate feriit. quo assensu Galliæ Episcoporum, cognosce ex verbis D. Iuonis Carnotensis Episcopi, ad Romanum Pontificem. *Notum facio Sanctitati vestræ, quod Francorum Rex Romam se in proximo venturum dicit; quod tamen non credimus: sed seu veniat, seu mittat, cauete & vobis & nobis, vt semper clauibus & catenis Petri fortiter teneatur. & si forte absolutus fuerit, & ad vomitum (sicut iam contigit) reuersus fuerit, e vestigio eisdem clauibus recludatur, iisdem catenis religetur: & hoc litteris vestris omnibus Ecclesiis manifestetur.*

Vide non inferioris roboris monita Nicolai I. ad Carolum Caluum. verba eius sunt. *Quapropter obtestamur & obsecramus, vt piis nostris monitis, non prauorũ hominum suasionibus, pareatis. scientes, quia si pessimo Regi (quod absit) vos æquiparãtes, super hoc nobis negotio concordantes obaudire renuitis, vos procul dubio de charitate & memoria nostra deletos. quoniã ita Dei & Apostolorum auctoritate decreuimus, & statuimus, vt quicumq; sæpe memorato Rothardo Episcopo, ad recipẽidam Ecclesiam sibi diu commissam, vel ad Episcopale ministerium peragendũ, aliquatenus impedimento fuerit, donec acquiescat, & ad illi resistendũ conatus deponat, a Sacrosanctis Mysteriis & ab Ecclesiæ fieret ingressu remotus, atque ab omni fidelium communione sequestratus.*

Vis etiam certius experimentum Pontificiæ potestatis? Figulus argillam temperato ignis afflatu in materiam robustiorem recorporat; & aliam ex alia fingit speciem. Galliam Zacharias Pontifex in meliorem animam adflatus sui cura fingit, cum Childericum III. abire iubet regno. Videbat nobilem gemmam defloratam; videbat oblaqueatam insulsissimæ ærugini; selectissimo in Pipino descrobuit auro; immissam ante vilissimo capulo, operosissimæ inornauit vaginæ. tenebris vsquequaq; sepultum funestabatur in suo Rege Galliæ decus; accessit manus Zachariæ, & cum nouo sidere emortuum iam Regnum vniuerso orbi reuixit; cum nouo Sole rescidit tenebras, regni sepulturam; interfecit noctem, regni mortem; & totam lucem dedit Galliæ, cum Pipinum dedit. Mira ratio. regnum Pontifex Rege suo defraudat, & seruat. perdere credas, vt custodiat; intercipere, vt reddat; spoliare, vt vestiat; vitiare, vt integret; decoquere, vt ampliet: cum cultissima restituat, exterminatis sterilibus; reuera fenerario interitu, vsuraria demutatione. Nosti illum Orientis alitem, de singularitate miraculum, de posteritate monstrum; qui semetipsum funerans renouat, natali fine decedens, atque succedens iterum Phœnix? quid expressius atque signatius in hanc caussam; aut cui aliæ rei tale documentum? non quod Galliæ Phœnix Childericus: & Phœnix tamen; quia Galliæ Rex vnus. hoc vno diuersus; quod Pontificis manu, non sua, funeratus, Regem alium vicaria largitione dedit, ne viduata lugeret Gallia. sed Regem, qui Galliæ radios, quos priores tenebræ exstinxerant, regno exemerant, redornaret. qui mortuam lucem,

aut

aut ſupercineratam ingenti neglectus mole, reuiuificatam, diſcuſſa nebula, velut de ſepulcro ereptam, redanimaret. Et audes damnare hanc manum, quæ a Merouei & Clodouei domo ad Carolinam ſceptra tranſtulit? Hęres? Hugonem Capetum noſti? illum Eudonis & Roberti nepotem? non viuebant, Carolus ſimplex, non Lotharij filius? teſtes Aureliæ monumenta Regum. Damnas hanc manum, & ſaluis oculis Galliam vides? Borbonium genus an non ab hac luce, hoc Sole, in Gallico cælo Pontificis manu defixum? aude & nega magne Achitophel, etiam vltimo ſpiritu & fune.

Tranſeamus ad Imperatores: & vide, quanta ſecuri feriant Romani Pōtifices ruderantia & in agro Domini palabunda ſceptra. Innocentius 1. in Arcadium & Eudoxiam excommunicationis fulmen eiaculatur, Symmachus in Anaſtaſium, Gregorius 11. in Leonem Iconomachum. Sed & audi D. Ambroſium Mediolanenſem, non iam Romanum Pontificem, ad Valentinianum Imperatorem. *Certe ſi aliud ſtatuitis, Epiſcopi hoc æquo animo pati & diſſimulare non poſſumus. licebit tibi ad Eccleſiam conuenire; ſed illic non inuenies Sacerdotem, aut inuenies reſiſtentem. Quid reſpondebis Sacerdoti dicenti, Munera tua non quærit Eccleſia; quia templa Gentilium muneribus adornas. Ara Chriſti dona tua reſpuit; quoniam aram ſimulacris feciſti.*

Sed & vide, an impari facto ſtilum dedecoret. Magnum Theodoſium, maioribus animis, excludit ſacris, fidelium cœtu: nec ante reſerat negatum aditum, quam Dauidis exemplo lacrymarum imbrem indulgentia diuina ſiccaſſet. Docuit reapſe Magnus Pontifex flere

purpuram, quę ſolas alienas norat lacrymas; & famulam fieri pœnitudinis in ſanctificium, quæ famula fuerat ſanguinis in iniquitatem. Docuit Chriſtianam veſtem, delinquentiæ maculis in ciuium ſanguine luridatam, exalbare inſueto oculorum flumine. Vis experimentum maius? ipſius Solis radio putes ſcriptum, ita claret; ridetque Caluiniana Gallicana obſtrepitacula. Sed optas fors etiam ex hoc Apoſtolico cenſu, diuite penu, lacertoſius exemplum. Gregorius VII. Henricum IV. Innocentius III. Othonem IV. Innocentius IV. Fridericum II. Clemens VI. Ludouicum VI. purpura exuit, Imperio nudauit. Iam Occidētis Imperium quis Orienti ſubtraxit? quis illius purpura Carolum veſtiit? Olim dices eadem poteſtas fuit in Galliæ Reges. Duos Pontifices ſtatuit, vt video, nouus Galliæ Ponticus, tamquam duas Symplegadas naufragij ſui. primum, quem negare non potuit, roboris plenum, noſtrum; alterum, quem probare numquam poterit, elumbem, ſuum. Neſcis mus Gallice, corroſor virtutis Pontificiæ, Pontificem eſſe, & illam in diademata cenſoriam poteſtatem ſimul fieri, ſine calculo temporis? contemperant fetu, coëtaneant natu; nec poteſt vnum elidi ſine alio. ſed nec poteſtas hæc per vllam anteceſſam poteſtatem refringi, nec per ſupergreſſum cuiuſcumque dignationis, poteſt. ac inter ipſos Romanos Pontifices, antrorſum, retrorſum, ex æquilibrio æquiparantia eſt, æqui poteſtas eſt. ſuperare nemo alterum poteſt; nec prior ſucceſſoris neruos ſtringere, potentiam limitare, vires arctare vlla ætate potuit: pariauit omnes Deus.

Sed heus Arnalde, a cuius inſtitutione hauſiſti, nul-

lam

Iam posse intercidere caussam, quæ Regem cogat abire regno? non religionis, non morum; reclamante Scriptura sacra? nisi forte tibi Athaliæ iniusta & abdicatio & cædes, iniusta Amasiæ; iniusta Oziæ a Sacerdotibus pulsio: aut Idumæi nullo iure Iorami iugum excusserunt: aut denique Mathathias Machabæique fratres impia in Antiochum arma mouerunt. Sed & intuere regna, & imperia: Angliam, & in illa Henricos quartum & septimum pulsis cæsisque Richardis. Iam Svvetia in Henrico Gustami filio etiam carceres reperit, & vincula: Polonia, & Dania, in Boleslao, Christerno, exsilium: Gallia in Ludouico monasterium: Oriens in Iustiniano vndecimo, Michaële Temulento, Michaele quinto, Andronico, etiam sanguinem; in Michaele Calaphate, & Nicephoro Brotoniate, Monachi comam: Occidens in Othone, VVenceslao, Ludouico, Henrico, Frederico; Gallia in Philippo, Ludouico, Childerico, Pontifices Romanos. Consule deinde Patres. vide quantis animis feruntur in Imperatores, Reges, tyrannos, impios, crudeles, hæreticos. Chrysostomum in Eudoxia, Basilium in Valente, Nazianzenum & Babylam in Iuliano, Ambrosium in Theodosio; Hilarium, Athanasium, Luciferum in Constantio. At quid ego vetera? quid nostra? iugulemus Caluinistam in arena sua, ferro suo. Lege Commentarium de statu Religionis in Gallia, reperies hæc verba. *Regi manifeste tyranno, & ad Leges euertendas sua potestate abutenti, opponere se debet inferior Magistratus, ex iureiurando præstito obligatus, ad eorum salutem & conseruationem, qui suæ fidei commissi sunt, armis etiam, si opus sit, adhibitis. & ius*

 naturæ,

naturæ, ex qua pendet conseruatio societatis humanæ, numquam patitur, vt hoc caput in dubiũ vocemus. claudunt. *Doctrinæ nostræ eo redit summa. Supremum rerum imperium, summaque auctoritas, ita est penes Reges, vt si leges eas, quibus præstito iuramento se obstrinxerunt, violent, & tyranni manifesti euadant, nec potiori consilio locum dent, licet inferiori Magistratui, potissimum iis, qui vocantur Officiarij Coronæ; quique ita sunt summo Magistratui inferiores, vt tamẽ ex Patriæ institutis ac legibus, summi Magistratus caussa tamquam frena quædam constituantur; istis licet & sibi, & eis qui ipsorum fidei commendati sunt, prouidere, seque tyranno illi opponere. Nam quod ad Ordinum cõuentum attinet, ei non tantum licet, sed etiam obligatur, vt se tyrãno opponat, resque instauret, & in pristinum statum restituat, ipsumque tyrannum coërceat & plectat. Estque illa detestabilis vox, Regem esse omnibus legibus solutum, vt à Republica non poßit coerceri*. pergunt. *Est enim mutua obligatio, & Patroni, & Clientis; mutuum etiam feloniæ crimen, vt subiecti erga Dominum, ita Domini erga subiectum. Perit ergo ius Domino peccanti, & contra subiectum præter conuentum aliquid agenti. Vt autem Imperator Imperij primus est cliens; ita & Regni Rex. immo interponitur iusiurandum, cui obseruando profecto tenetur. Quis ergo dubitet summum Magistratum auctoritate sua ad subiectorum perniciem tyrannice abutentem, eo ipso iure feloniæ crimine reum peragi, atque adeo suam illam auctoritatem amittere?*

Quid dicis Arnalde? nullus hic crescens aut decrescens stilus: nullus vel vnius litteræ derasor, aut detractor api-

apicis. verba tuorum dedi. Vis & audire quid ſentiant Luthero geniti? Sleid. lib. 11. *Quia Cæſar religioni* (Lutheranæ) *exitium molitur, & libertati; cauſſam præbet cur ipſum oppugnemus bona conſcientia. cum enim in eum caſum res deuenit, licet reſiſtere; ſicut & ſacris & prophanis hiſtoriis doceri poteſt.*

CAPVT XIII.

Caluiniſta. SOCIETAS *Caſtitatem mentitur.*

SOCIETAS *mentiri neſcit; cor nudat, & frontem. & libidini quidem cauterium adegit, ſcalpellum immerſit. Hæreticum videbis, virum clanculo functum in quauis filia, quauis muliere, quouis viro, etiam calamo euaporantem has ſordes, ne quid deſit ad omnem purulentiam.*

QVI pudicus, qui caſtus eſt, carebit etiam aurium macula; magis calami, quæ æternat. & eum ego apud Paſchaſium video ſpeluncam mœchorum: video in illum commigraſſe, non iam tota lupanaria, ſed Sodomæos, Gomorrhæos propudioſos ignes. neque interim ſuffundor delicto, quo carere SOCIETATEM ſcio: erubeſco tamen ad hunc calamum, cuius pudicitiam in Sodomis trucidauit. Non te puduit, depilate ſenex, libidinum tuarum furias in meliorem ſexum, vltra naturę iura mittere in chartam? neque ad illam erubuiſti, capulare ſilicernium, miſeram chartam, tantarum ſordium ſtabulum, quæ præferret ſtigmatici liliati parentis tui, quæ tuos hinnitus? texiſſes parietibus hæc monſtra, at tu alter-

alternator ſexus hyęna, quaſi ab alieno calamo liberiore, retexiſti ſcandala cortinæ tuæ. Vbi frons, vbi pectus? nocte forte ſcribis.

—ſed Luna videt, ſed ſidera teſtes
Intendunt oculos.

Taceo Deum. cuius numquam fruſtratoriam vindicem dexteram an non verebare? aut ne terra ſcelere fatigata

Se pedibus raptim ſubduceret?

Et ſteterit illa. neſcis dictum vere:

Si qua venit ſero, magna ruina venit?

Memento viginti quatuor millia populi fornicantis in Moab vna plaga ruiſſe. quid fiet de hac Gomorrhæa penna? de hoc omnis pudicitiæ in omnem ſexum funamblo? Negas? illi verſus, vicarij ſordium tuarum, in die iudicij aduerſus te proferentur, inuſti Sodomæ ſignis. Quid? neſcis quanta ſecuri non illam Gomorrhæam proluuiem, ſed omnem verecũdiorem libidinum ſiluam cædat & excaudicet Apoſtolus? *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* &, *Qui habent vxores, tamquam non habentes ſint.* At tu a nouo poſt igneos imbres Antiſtite, melius ais eſſe nubere quam vri. Ita eſt: fateor. at nulla inter nos de vxore diſceptatio. ne cinis audias, vxorem ducito: Audebertum ne tangito: Sporum ignorato: Menalippum ne videto. Sæuit in medullis Democles? reſtingue hunc æſtum Chriſti igne, immo ſanguine. Sed redeamus ad Apoſtolum. etſi extra lineam, parebo tamen tibi: *Melius eſt nubere quam vri.* plane. ſed & melius eſt vnum oculum deperire, quam duos: melius vno membro perſecutrice flamma corpus viduare, quam pluribus: melius equuleo torqueri, quam igne: melius naſum

nasum præscindere, quam caput. Miserum bonum, quod mali comparatio commendat: vt ideo melius sit nubere, quod deterius sit vri. & tamen nemo negat singulis vobis vxores singulas. Sed vos a Lutheri, a Caluini ore & discipulatu aliud didicistis. *Negat vxor; duc Estherem, dimitte Vasthi. & vt neget illa, vicariam operam dabit ancilla.* dabit in illa schola, in qua omnis mulier, omnis viri vxor est. quæ &, vbi libuerit,

—— spreti repetat vestigia lecti.

Sic crescit numerus, crescente praua libidine: fiuntque, non iam *—— octo mariti*

Quinque per autumnos;

sed vere vno, supra quinquaginta.

—— titulo res digna sepulcri.

Et speret quisquam natas ex his filias fore continentes?

—— quæ numquam maternos dicere mœchos
Tam cito, nec tanto poterunt contexere versu,
Vt non ter decies respirent.

Et miraris, si omnis ibi adolescentula mater est; omnis virum patiens passa est; vbi omnis vir Audebertulus est, Sodoma, Gomorrha est? Reprimo te stile: vos pergite. pergite, quoad impleatur illud *Væ* incontinentiæ. nauseent ab vno Caluino quinquaginta vteri; fluant ab vno Beza quadraginta vbera; triginta infantes pipiant ab vno Paschasio; viginti cunis insterrant ab vno Arnaldo, totidem matribus obstetricantibus, clamante Scriptura, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* sed & in quamcumque commoti fueritis, vsurariam sumite. At vobis alius crescit ignis, in quo

Insatiabiliter deflebitis, æternumque.

Legeram in gentilitate, Adolescentes, Vestæ de virginitate censeri: sed & quæ Delphis insaniunt, nubere nesciunt; quæ Dianæ Scythicæ, quæ Iunoni Achaicæ: Cereris etiam Sacerdotes, abdicato matrimonio, adsenescentes amica separatione, omni contactu masculo viduantur. Erubesce caro, quæ Christum in lauacro induisti. Illis diabolus continentiam præcipit, & auditur: tibi Apostolus castitatem prædicat, optatque Christianos omnes virgines esse, & negligitur. Diabolus Christianos continentia suorum prouocat, quasi ex æquo; & huius imperia, tamquam de priuilegio, mira contentione & certamine partium arripiuntur, & felicem se iudicat æmulæ suæ prælata: Apostolus exemplo suo Christianos prouocat; at eius monita de impossibilitate culpantur; Lutheri tamquam de necessitate laudantur: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram; non est, ait, præceptum, sed plus quam præceptum, quod nos non possumus impedire, vel prætermittere: sed perinde necessarium est, quam edere, bibere, ludere, exspuere, purgare, euigilare. & sicut in mea manu non est, quo minus sim mas; ita minime situm est in me, vt sim sine muliere.* Et Caluiniani, libro Scuti fidei suæ, negant marem feminamve quinque diebus continentem esse posse. Quis ex hoc puluere speret exemplum continentiæ: in quo nemo, etiam post prostratæ libidinis exhaustionem, supremam carni fibulam potuit imponere; non magis quam non comedere, non bibere? Voluite annales: Lutheranus aut Caluinista continens, monstrum est. nulli in illa schola voluntate spadones sunt; morbo sunt. sed & tunc magis etiam ardent. Miraris? Deus illis venter est;

eſt; ita & quæ illi proxima fœda proluuie. Vultis rem manu tangere? replicate Commentarios ſæculi ſuperioris. videte an vllum Caluinianum pectus ſine vulnere ſit: omnia tamen ſine cicatrice ſunt, niſi forte a muliebri dente. ſed & videte quis Galliam docuerit inceſta libidine, etiam in neceſſitudinem ſanguinis, inardeſcere: quis matres liberorum, patres virginum ſuarum vota in ſe vertere. vidiſſe hæc Solem, nec retraxiſſe radios? Iam Pontificis veſtri Maximi muliebris patientiæ ſcorti, *ſolaque libidine fortis*, inter illos ſtercoris vtres, os purum. O digna culpæ merces, digna talibus labris! horror & ſtupor vbi eſtis? tuque

— magne regnator Deum
Tam lentus audis ſcelera, tam lentus vides?
Ecquando ſæua fulmen emittes manu,
Si nunc ſerenum eſt?

Quod purgante flamma piari, quod omnibus retro pœnis in omnem poſthumam memoriam decebat, & ex humani generis coalitu æternũ tolli, hoc vos eloquentiæ viribus, incentiua extollitis laude? Et ne quis forte exiſtimet me per calumnias crimina continuare, legat verſus Pontificis Gebennici Maximi. quos ne qua vis temporis, ne qua vetuſtatis obſoleſaceret longitudo, perpetuitatis honore, impuro calamo, tamquam ſecuri mactauit.

Priores tibi defero Auduberte.
Quod ſi Candida forte conqueratur:
Quid tum? baſiolo tacebit imo.

Quid tu Candida? Verbum, ait, Dei purum, putum; Spiritus ſanctus Conſiliarius; mundo lux noua, Sol alius. quid? verba illa mellea,

Tu mihi ſola domus, tu Candida ſola Parentes,
Omnia tu noſtræ tempora lætitiæ;

non ipſa mulieri ſat magnum, ſat iuſtum mendacium fuere ad nouas nuptias? Fuerint. ſed ad illud os impurum M. Bezæ Scauri, quid prætexis? Puduit fateor. quid agerem? dura imperia Pontificis mei Maximi. quid facerem? ſola, mulier, verbum Dei quod ſceleri prætendebatur. erubui. ſed an non iure bono magis illi, qui poſt hæc baſia ſecuti ſunt docentem? Taceo. ſed tu perge Magne Pontifex. patent, qua Occidens, qua Oriens, impudentiæ campi. Poſt hæc baſia, etiam ſudores eant perpetuo verſu:

Seiche de douleur, tout cuit de chaleur,
Seigneur tu me vois.

Et te delegit magnum cæli Numen Galliæ lucem, poſt denſas ſæculorum tenebras? tu Sol, aut non impar ſidus, poſt mille quingentorum annorum ſpiſſam noctem, diem mundo præferes? poſt exſudata muliebria venena, tamquam rediuiua carne nouus homo, poſita veteri coma, barba, extimaque cute, veteri ac ſeneſcenti iam mundo viam intriueris in virides annos redeundi florentis Euangelij? iam video quo duce hæc nata: *Femmes & filles violees, douze mil trois cēs.* eia macte animo. *la preuue eſt plus patente, que ie ne voudrois. & au lieu de douze mil trois cens filles, ou femmes, qui ſe treuuent violees par les proces verbaux, & autres diligences, l'on peut bien doubler, voire quadrupler le nombre.* Quis hic verum Patrem nouerit in hac luxuria inceſti laſciuientis? Et audent horum mōſtrorum Artifices, quibus tota illa peſtilentiaria Gebennenſis Synagoga vnum lupanar eſt, ex illo

illo ſuo impudenti æſtuario, SOCIETATIS caſtitatem impetere? illo calamo auerſarũ libidinum euaporatore, impudentiſſimæ linguæ vicario, SOCIETATI ſordes appingere? Neſcit eas SOCIETAS, quas virgine continentia æternum arcet. nimis illi perſpectæ hæ libidinum peſtes, quæ latronum more amplexantur, vt ſtrangulent. ergo indurat animum, & a voluptatum harum blandimentis auocat; nimis docta exemplis vtriuſque memoriæ. Indomitum Goliade, Philiſtæoque ferro, vna mulier eneruauit. inuictum quaqua hoſtibus, ſeptumque prudentia, qua nulla ſæcula parem dederunt, fomenta pellicum edomarunt. armis, ſapientia, qui modo vicerant, mollitudine victi ſunt: quæ omni ætate etiam Martia ingenia ad ſe rapuit. Quo maioribus animis opus, cum tam potente, tam importuno hoſte depugnaturis. ſi ſemel iugum recipis, dura patiere imperia; nec quibus vlla ſeruitute facias ſatis. numquam enim expletur voluptuaria illa officina. ingeras, ſemper appetet: obſequere, maiora imperabit: nega, vim faciet: cælum proponitur, diſtrahet: quin & diſcerpat. tu illi colla ſubmittes, quæ tuam tibi libertatem tollet, rationem adimet; vno verbo totum te homine tuo exuet, beſtia induet? At difficile eſt amorem vincere, aut ponere.

Difficile eſt; verum hoc qualibet efficias.
Vna ſalus hæc eſt; hoc eſt tibi peruincendum.

Quare indura te anime. quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aſpero vngula eſt. nullum ſudorem reſpuunt manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur. hoc te docebit SOCIETAS. ad hæc pectus armabit, animum indurabit, occinetque illud tritum cæ-

lo monitorium: adoleſcentularum frequentiam deuita. exhibeant licet faciem frugi, ſemper ſecum trahent ſtudium placendi per decorem; quem natura ſua imitatorem libidinis ſcimus. librent licet oculos diuinæ condignos ſimplicitati, natura ſua omni viro gladij ſunt; dracones ſunt, etiam de longinquo ſpiritu abſorbent alites; ſagittæ ſunt, etiam vſque ad cælum ſcandala eiaculantur. iam cetera corporis, laciniosis pomparum & deliciarum ineptiis occupata, an non de proximo curant luxuriæ negotium, & obſtrepunt pudicitiæ diſciplinis? nam quid hæc agunt, niſi vt exornatum corpus, & velut naufragum decoris, adminiculo nitoris ſui in incr[illegible]ta lanuginis primæ demittant lumina? quare,

Quiſquis es, aßiduas aufuge blanditias.
Illis & ſilices & poſſunt cedere quercus;
Nedum tu poßis, ſpiritus ille leuis.

Audeo & maiora imperare e SOCIETATIS ſchola. etiam ætates requietas iam, & in portum modeſtiæ ſubductas, fuge. nam & edentatus & exungulatus leo, & elinguatus ſerpens, iuſtum metum adfert. magis etiam quando tales, habitus irritamēto, & alieni capitis, forſan gehennæ deſtinati, exuuiis, compenſant frigus ætatis. quando tot furtiuæ capillaturę ſtructrices adhibent, quot grandior illa ætas excuſſit dentes; quos peregrinæ beſtiæ dentibus ſupparant. quando oculorum molli petulantia; inceſſu tam ad artem compoſito, vt ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrent, formam proſtituunt & vendunt. Nulli ergo te fide: nulli ſalutem tuam committe. quamcumque dabis, dum blanditur, ſæuit; dum ſpernit, rapit; dum negat, pellicit; ſi tacet, trahit; ſi tangit, cogit;

cogit; numquam magis noxia, quam dũ fugam simulat, docta mentiri. Ergo omnes time. timor fundamentum salutis est: præsumptio impedimentum timoris. quæ quo minus præcauet, eo plus periclitatur in hoc infido femineo mari: quod nunc in breuia crescit dorsuosa; nunc inundatur æstibus inquietis; nunc sorbet, nunc reuomit; nunc iures rigere glacie, igne æstuat. sed & lacrymę fluũt, ore ridente; vt odisse & amare, velle & nolle, placere & displicere, nullo momento interlabente credas.

Scilicet & risu tremulo concussa cachinnant,
Et lacrymis spargunt rorantibus ora genasque.

In tam dissona varietate quæ tuta fides? Si castitatem laudas, illæ frigidiores hieme Moscouitica sexum nesciunt. si pietatem, cęlum sonant, videbisque hic ad ostentationem paratas

—— fletum inuitis ducere luminibus.

quin immo plenas

Vberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua: ipsis exspectantibus illas
Quo iubeant manare malo.

si paruo laudas contentam naturam, illæ luxum detestantur, cum vna interim ceruice prædia circumferant; ab auribus, collo, brachiis, saltus dependeant; deque solis serpentibus, draconibus, conchis, auro, lenocinium mutuum præstantibus, cultiores. Flecte vela. ama, ardebunt: mollia cadant verba, Ætnam videbis, & senties etiam fortius: ride, flammas eiaculabuntur: tange, amburent. At tu fuge præmonitorium hoc ignis æterni, qui numquam canescit in fauillas; numquam tabescit; numquam dormit in illa inherbida damnata mundi

parte;

parte, in illo æternum ieiuno ſolo, ſemper niuali, ſemper glaciali,& ſemper tamen flammeo: adeo vt ſi inhorrentem algorem ſpectes, numquam aliud exiſtimes, quam perpetuo rigere; ſin flammas conſulas, ineſſe illi ęternum ignem videas. Has flammas quomodo expiabit ille omnis pudicitiæ deſpumator, Veſpillo Bockhoringus carnis & ſtili adulterio, & illo faſtidioſiſſimo parente ſuo rogalium cadauerum pollinctore, non a mentito Boxhorniorum genere nobilis? qui fidem virginem ab Apoſtolorum in Belgio ſucceſſoribus ſibi traditam, in meretricula conſtuprauit. At, *Si nupſerit virgo, non peccauit.* Ita eſt. fibulam illius boni Apoſtolus laxat, vt fornicationi obuiam eat. Et vide repercutientem. *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* Sed, *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit.* Plane; *& qui non iungit, melius facit.* Sollemne eſt hæreticis, alicuius ſententiæ ancipitis occaſione, aduerſus exercitum ſententiarum Inſtrumenti totius armari. Intuere epiſtolas Apoſtoli: omnes in luxuriæ & libidinis negotia iaculantur. at tu magis audies Hermogenem neſcio quem, plures ſolitum mulieres ducere, quam pingere. Inclamas: *Qui poteſt capere, capiat.* Sed nulla ad libidinem vis eſt, niſi ipſa: & nemo nolens fornicatur, aut mulierem tangit. Audi Apoſtolum: *Bonum eſt homini mulierem nō tangere.* damnabis, credo, illum de impoſſibilitate: cum perceperis eum a iuſta fruge naturæ, a matrimonij dico pomo, Chriſtianum ieiunare cupientem. & vide iam ſine numero virgines, quæ indutæ pudoris armaturam, circumdederunt vallum verecundiæ, ſexuique ſuo murum, qui nec ipſarum emittat oculos, nec admittat alienos. quin & docebunt

bunt te tot illarum millia, ſub gladio, in patibulo, ſtipite, leone, tauro, axe, incendio. Mori ergo potuerunt: ad virginem ſuam proſtituendam nulla tyranni manu, nulla Satanæ, cogi potuerunt. ſed & Virgines Veſtæ, & Apollinis Pythij, Ægyptij bouis, de continentia te iudicabunt. Et magnus ementiti diuini verbi præco, niſi decurrat ad prę̨meditatorium latrinarũ, ad illud ſtercoris æſtuariũ alicuius meretriculę, viuere non poterit? Poteſt Ethnicus, & Deo Idolo æſtum ſuum mactat; caro quę Chriſtum induit, non poterit? Credo & nouus Eſau non iam totos primatus tuos, ſi lenticulam defruto inrufatam obtulero, vendes; ſed ad propudioſiſſimæ meretriculæ proluuiem, ſit illa in lege ſua, aut extra illam, cælum vendes: tradeſq; immunditiarum gurgiti non iam manum, ſed corpus totum. Quid? audes illo ore tuo Pontico, omnis impudicitiæ diuerſorio, iactare, a Papiſmi te erroribus & tyrannide rem Euchariſticam aſſeruiſſe? nimirũ Achamoth, expedita tandem de malis poſt Caluinianum partum, & in opera maiora frugeſcens, pipiauit tibi in aurem hanc tyrannidem; aut Ogdoas mater impluit in pectus tuum hos errores. Viueret Ouidius, ſi non Metamorphoſeis ſuas deleuiſſet ad hunc de meretricio genu vomitum, ad hanc Æoniam ſcropham. quę vbi a Chriſti diſciplinatu in mulierculam carne lapſa eſt, hauſit a noua Philumene illud Caluinianum delumbatum Euchariſticum verbum, ædificatorium mortis, exſtinctorium vitæ. Reſponde mihi Thenenſis vpupa. An non illa vera & Chriſti doctrina deputanda eſt, quæ cum Apoſtolicis Eccleſiis originalibus fidei conſpirat? & non omnis doctrina reliqua de adulterio ſtilo præiudicanda? At vero

doctrina nostra cum primis Belgij, Galliæ, Britanniæ, Hyberniæ Doctoribus adeo ad regulam, ad circinum cõsociatur, vt nec apicem videas loco motum. Dices forte, primos illos fidei nostræ vitæque melioris Patres Scripturarum primogenium sensum ignorasse. Et te credam integræ mentis, qui aut indiuiduos cum Apostolis in comitatu habitos, aut ex illorum conuictu prodiisse arbitreris ignaros, aut primordialis illius verbi & sensus falsarios? Vis a me cognoscere, quibus Scripturarum & expositionum adulteratio deputãda sit? apud quos diuersitas inuenitur doctrinæ: quam tam prope variam apud vos video, quam varia sunt capita. & interim, quidquid a tam male sanis, tam cum Veritate, Scriptura, Patribus pugnãs, proiectum in chartam fuerit, sacrum esto. Olim e Phidiæ manibus Iuppiter Olympicus non iam insulsissimæ bestiæ dens est, sed summum sæculi numen. hac ætate nostra a meretricularum vberibus, genu (plura vetat pudor) quidquid subantes Ministri impuris profuderint labris, a Spiritu sancto est; Dei verbum est; Christi præmonitorium decretum est. Ad cuius tribunal vbi te stiterit dies illa magna, quid dices, aut qua purgatrice flamma, aut aqua, te expiabis? immo quæ lacrymæ ignem illum circumstagnantes exstinguent? nisi forte aut cum non vno Caluinista nullus tibi ignis coquitur in gehenna; nullus dentium frendor horret in tenebris: aut sane, cum

Sint apud infernos tot millia formosarum,

tu tibi iam apud eos, anteprouida illa tua prudentia, sedem delegisti. Fruere.

CAPVT

CAPVT XIV.

Caluinista. SOCIETAS *temperantiam præfert publice; priuatim necat.*

SOCIETAS *nihil claudit muro, quod cælum videt: & nescit illa adulterinos sapores. Hæreticos videas supra Aufidios lurcones, Æsopos histriones, Apicios, Rufos, in pastum potumque inæstuantes: ne, si illis mendicius cenent, minus cenent.*

MONSTRVM sit libido sine gula. specta corpus; vna regio est: & pro dispositione membrorum, ordo vitiorum. prior venter, statim cetera; saginæ substructa lasciuia est. ergo vt apud æui nostri hæreticos nihil sollemnius illa omnium in quas incurrunt omninubentia; ita nihil familiarius omniuorantia: vt non mireris incontinentiam, qui videas delicias. Alia exempla præfert SOCIETAS, vita, verbo. frugalitatem nimirum, quæ nulla nouit supplicia luxuriæ: quę vsuras ignorat in præcipitium ituras: & paruo quidem diuitem, soloque vsu metientem opes; non admiratoris insano irritamento, aut spectantis turbæ fremitu: sed tamen felicem, & beatam, explentemque mentis bonæ etiam amplissima spatia. magna sors spondeo, maiora dabit. nam & omnem illam seu ingenitam, seu aduenticiam cupiditatum catenam, vexabit, quoad discat parere; ne vltra rationem se protendat insatiabilis hæc bellua: quæ non contenta domi nascētibus, maria scrutatur, & vltra illa; vt e pridiana cena crudus & nauseans dominus fesso aliquid libet ore.

Apage hæc voluptuaria venena: æstiuam niuem, caniculæ glaciem, ostrea cœno saginata, concharum inertissimam carnem; subactæ prius farinæ, deinde coctæ, & deraso caseo tectæ, limosam tendinem: purulentarum sordium excrementa, fungos; piscium saniem, salsa tabe præcordia exurentem; vnde illi pestilentes ructus veteris crapulæ. Apage hoc monstrum, per tot luxuriantia portenta nociturum. Olim adhuc integra Christiana virtute, minimo natura contenta, in aqua & polenta, & paucis dactylis, de felicitate Cælitibus controuersiam faciebat. nunc nec tota quidem luxuriæ explicata pompa, æstuantis stomachi solatium explet; placetque cibus, qui, qua intrauerat, redit; sequiturque illud rabidum deliciarum, *Quousque eadem?* quod ne fiat, eunt per mille sapores nouos, quasi redintegrata vita. At tu quisquis es, vis hos contemnere? specta exitum. Vis hanc gulam, a primordio homicidam, quæ salutem vendidit, & periit, commeritis pensare? inedia torque. Vis illam, æmula mente, redaccenso studio, Deo propitiare? cibi interdictione delicta si expiaueris, Deum placaueris. Exempla quæris? deliquerat Israel: deliquerat Niniue. delictum ieiunio diluit. Achab post idololatriam, post necem Nabuthæ & hereditatem, sacco & ieiunio læsuram abduxit a diebus suis. Anna Helcanæ inanem cibo ventrem, filio impetrauit adimpleri. Hæc sunt recisi pabuli officia. Moyses post quadraginta dierum ieiunia Deum videt, quantum homini fas est. hæc est circumscripti victus prærogatiua. Risum ista moueant hæretico stomacho: cui *comedamus & bibamus* primum Euangelium. Vis ipsa verba?

Vino

Vino si te impleueris,
Dormire statim poteris:
Et post somnum, ventriculum
Vino implere iterum.
Nam Alexandri regula
Præscribit hæc remedia.

Vis etiam fortiora? *Ego Martinus Lutherus vix vllam consolationem ex morte & resurrectione Christi capere possum: bonis autem corporalibus a Deo acceptis, vt edere panem, & bibere cereuisiam optime possum.* &, *Nos Germani ingurgitamus nos potando ad paupertatem, mortem, & insaniam vsque.* Post hæc pocula quod speres Euangelium? ex quo

—— nulli toto certamine nasus
Integer. —— ex quo cuncta per agmina vultus
Dimidios

videas; & inclamantem tamen magnum Patrem: Quisquis es,

Indulge genio: carpamus dulcia.

nimirum *—— pocula pulchrum*
Spargere, & immerito sociorum sanguine fuso
Instaurare diem, festasque reponere mensas;
Donec ab Elysiis prospexit sedibus alter
Castor, & hesternas risit Titonia mensas.

At non hæc sat illustria noui Euangelij documenta, quæ nouus deuomat præco, vbi præpedita fuerint

Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi; clamor, singultus, iurgia gliscunt?

Tunc, cum pocula tenent socij,

—— & inumbrant ora coronis;

magnum illud prodit, & reconditum nouæ ſapientiæ,

—— breuis hic eſt fructus homullis.

Jam fuerit, neque poſt vmquam reuocare licebit.

Quod reliquum:

Frange toros, pete vina, roſas cape, tingere nardo.

Si tantus Pater, qui doctus eſt non ad libros, ſed

—— ad calicem vigilanti ſtertere naſo;

quantum credes filium? Non ingurgitat Caluinus; ſeligit electibiles partes ex ſingulis, cum tota faſtidiat. vinum niſi argentum ſuum claudat, non reſpõdebit verbo Dei. panis, ſi non cinnamomo, ſaccaro, roſarum ſucco perſperſus fuerit, permaduerit, non ſapit Euangelium: in quo templum venter eſt, ſtomachus altare, Sacerdos iecur, Sacrarij operimentum pulmo, nidor thura, ſed & ructus Prophetia vetus eſt. Hoc eſt demum ſapere Lutheranum, Caluiniſtam, ſi fides in culina caleat; ſpes in ferculo iaceat; caritas in cacabo ferueat; totumque Dei regnum in macello ludat. Merito ergo comedite, bibite, ludite,

Sic noctem patera, ſic ducas ...... donec
Iniiciat radios in tua vina Deus.

comedite, bibite. quid enim vobis cum illis ſordulentis, & extra lepores diuerſantibus? quid cum illis de ieiunio oris varietate notatis? nihil. Sed quid vobis cum cælo? quid cum perennibus gaudiis, incommodorum præmiis? vultis quid ſentiam? exquirite balnea, illa natiuo colore medicabula, illa ad inuidiam naturæ artis beneficio varia; lætioreſque hortulanos maritimoſque ſeceſſus. adiicite ad ſumptum ſupra omnem oculi auaritiam: coccino & tyrio vix pudorem tegite: ſed & gehennam

ſperate,

ſperate, huius volatici gaudij mercedem certam. Et quæ amentia ignes amare? & quales? inſpicite noſtros: fumariola quædam ſunt ignis æterni. illorum tamen flammis & vrbes, & non infrequentia regna, iam nulla ſunt: ſed & montes diſſiliunt horum ictu; nec tamen finiuntur cum diſſiliant. exemplaria ſunt minantis iudicij: miſſilia ſunt, & exercitoria iacula ignis æterni.

CAPVT XV.

Caluiniſta. SOCIETAS *paupertatem vouet; diuitias ambit.*

SOCIETAS *illam vouit: has eiurauit, impedimenta maioris boni, ſcientiarum, & cæli.*

DOCENT hoc tot capita, quot ipſa SOCIETAS numerat: quæ vt ſtercora calcarunt ea, propter quæ calcamur & premimur: propter quæ numquam pacem ſub Caluiniano ſago ferrum agit. illa dico ima terrarum (quamquam Gebennenſibus ſumma cæli) paullo ante merſa cœno, & inuoluta fæce ſua. quę lõge magis inquinant animos, quam artificum manus, per quas perpurgantur; cum rariore fuligine hæ oblinantur, quam illi ſordibus inſatiatæ cupiditatis. quam reperies protritam, & iam ſine anima, apud eos, qui in SOCIETATIS contubernium peruenerunt; obtritis ante Dei munere, Sociorum hortatu, popularibus his bonis; firmatiſque auribus ab iiſdem doctoribus firmiſſimo ſpiſſamento amoris & timoris Dei, ad illas publicas Gebennenſium voces: *Diuitiæ & opes virũ faciunt*, & *Omni ingenio formoſior*

auri

auri massa: quæ non ex vno Galliæ ſcopulo, ſed ex omni parte circumſonant; inſidioſa ſui venuſtate etiam generoſos animos in auia rapientes: ad illas voces Rupellani ſaxi: *Diuitiæ magnum faciunt.* &;

Quiſquis habet nummos, ſecura nauiget aura,
Fortunamque ſuo temperet arbitrio.

Quanto prudentius: *Heu, quis primus fuit ille,*
Auri qui pondera tecti,
Gemmaſque latere volenteis,
Pretioſa pericula fodit?

Et quid diuitiarũ aceruos, quid baſes aureas, quid coloſſos gemmeos metiris? extra hominem ſuum hæc ſunt: nam & erit pumilio, licet in illis ſteterit; licet ſidera crine verrat. Procul hæc externa Fortunæ mendacia: animum intuere, non alieno, ſed ſuo magnum. Vide an ſentiat; per iugulum, per latera, an per os exeat. mitte in exſilium; veſtes detrahe, & quidquid adiecit Fortuna. iube in hoc corpore, carcere magnitudinis ſuæ, contentum eſſe pane & aqua; & obſerua, an ſecurus capiat, hauriat etiam cum voluptate; & magnus erit; & veræ paupertatis cultor erit. Ex hoc numero, iam ſine numero reperies e ſcholis SOCIETATIS. intuere Orientem, Occidentem Solem; an non quotquot ibi, tot illorum contemptores, tot huius cultores? negas? oſtende mihi vnum ex his cothurnatum, vnum purpura tectum, vnum auro grauem, vnum ſeruorum turba ſtipatum. nec tamen nudos dixeris, quos innocentia veſtit; non byſſus toties tincta, quoties luxuriæ libuit. minus hæc frigus arcet: ferrem, ſi pudorem tegeret, ſi ſexum celaret. ſed nec incomitatos dicam, quos circumſtat, non amicorum huius ſæculi co-

rona (vultures illi ſunt, cadauer exſpectant. vis ſcire? euerte; diffugient iſti mergi: aut mitte in medium aduerſa; ingens ſuccedet ſolitudo: iniice catenam, immo oſtenta; erunt ex hoc numero, qui nectent) ſed vberrima virtutum ſchola: amicos enim pararunt ſeipſos ſibi ad omnes caſus; nullius futuri præda, nullius ſpem tabulis ſuſtentaturi. hos cinget conſcientia benefactorum: & ille animus, qui ſe iam diu extra ius ditionemque Fortunæ poſuit. hos claudet virtus, quæ ſibi ſat magnum theatrum eſt; cuius vmbra gloria eſt, quæ reluctantem fortius comitatur.

Claudo hoc Caput, & ſimul Librum:

Nam mea iam longo meruit ratis æquore portum.

Tantum Stephane verum audi. SOCIETAS paupertatem ab ortu ſuo vt parentem amplexata, in hanc diem intaminatam coluit; &, quo ſacratior res foret, perpetuo firmauit voto, tamque ſancto, vt illi

Si Babylonis opes, Lydæ ſi pondera Gazæ,
Indorumque dares, Serumque, Arabumq; potentes
Diuitias, mallet cum paupertate pudica
Intemerata mori, vitamque impendere voto.
Nec frons triſte rigẽs, nimiuſq; in moribus horror;
Sed ſimplex hilariſque fides, & mixta pudori
Gratia.

Poſſidet tamen piorum munificentia reculas quaſdam nimium quam paupertinas: quibus vitam verius præſcindit, quam tuo exemplo trahit in octogeſimas æſtates. Et tamen vis a me reſerari SOCIETATIS in Gallia theſauros? excute Regium fiſcum: vide quantis aureorum millibus illum auxerit iuſſa exſulare SOCIETAS.

nescio an totis decem millibus. inferiora etiam daret Belgium. Iam Hispanica Collegia plus prope norunt alieni æris, quam sui. Italica dinosces, si mensas curiosior scrutator lustraueris. videbis eas perpetuo Socraticas; ac non raro etiam infra illas. Germanica demum, si paucorum virorum Principum staret dextera, arescant paucis autumnis omnia. Hoc ego Paschasi

—— adiuro te tuumque caput.

Digna ferat, quod si quis inaniter adiurarit.

& tamen te præcone Picos SOCIETAS vincit diuitiis: quibus nec par sit Ister, nec Lydia tota,

—— nec quæ Zephyro
Subdita tellus stupet aurato
Flumine clarum radiare Tagum.

Ridete quidquid est domi cachinnorum: & simul

Hic viuum mihi cespitem; hic
Verbenas pueri ponite; thuraque

nouo Ioui, Mendaci-figulo, Mendaci-bibulo, Ter Max. Sed heus! *Auditisne aliquẽ, tergo qui sustulit orbem?*

—— quis habere profundi
Endo manu validas potis est moderanter habenas?

Paschasius ille est. Non creditis? veriora tamen hæc, quam quæ illutibarbus ille Marsyas, ceneroso mento, in SOCIETATEM exspuit: qui vno libello plura euomuit mendaciorum millia, quam viderit hiemes post octogesima solstitia. Quid? mensusne es agrorum SOCIETATIS illa vastissima æquora, in quibus sine periculo fluctuant in segetibus vndæ quæstuosæ? quæ, rogo te, montium dorsa cingit pascuis, quæ latera vinetis, quæ saxa castellis, quæ opaca lustris, quæ aperta culturis, quæ concaua

caua fontibus, quæ abrupta fluminibus? Vis ſcire quæ SOCIETATI menſura

Sufficiat cenſus?

Inquantum ſitis, atque fames, & frigora poſcant.

At tibi tuiſque

Nec Crœſi fortuna vmquam nec Perſica regna
Sufficient animo, nec diuitiæ Narciſſi.

Finio, & repeto: SOCIETATEM, vt ſanctioris, vt ſecurioris vitæ parentem paupertatem amplexam, in hanc diem inconcuſſam tenuiſſe. Sciebat paruo naturam contentam eſſe. nam quis neſciat a lacte initia duxiſſe? at nunc cadunt lacrymæ ob anguſtias orbis terrarum. vnus non explet, non ſaturabunt mille. Sciebat, quam ab ortu ſuo adamauit, Philoſophiam Paupertati totas reſeraſſe valuas; clauſiſſe diuitiis. ad illam enim (repete retro memoriã) quotquot peruenere, ſine viatico venere. Si tamen ad veteres codices, comeſas membranas, exſtiriata marmora, locuplete opus ſit penu; vt nauiges, vt videas, vt tibi pares ſæculorum portenta; nihil habeo quod dicam. hoc ſcio, nulla ex his virtuti incrementa accreſcere. dicam. ex hac vana ſtudiorum oſtentatione, ex his nihil medentibus, nihil ſanantibus litteris, nulla menti ſerenitas: quę ſola naſcitur ex virtutũ conſcientia. quam numquam dabunt pulchra verba, ad opinionem vulgi proiecta: numquam dabunt interpunctiones, interrogationes, capitales litteræ, initiales, mediæ; terminales, aut redditæ, aut enectæ: numquam dabunt verba, numquam nomina, a quacumque critica manu ſuccenturiata; a quocumque caſtigatore pollice criſpata; a quocumque Parnaſſico vngue deſudata.

AMPHITHEATRI HONORIS

LIBER SECVNDVS.

Lectori meo.



ON *tego Caluinistarum in* SOCIETATEM *criminationes . nam & retecta mendacio suo ruunt; & maledicendi lubentiam dum aperiunt, occidunt. Ita fit. Venena recludas, immorientur sibi: dentes nudato, nec extra se sauient: ferrum minitare, & nesciet inimicum sanguinem : ignem denuntia , ieiunabit alieno : sed & illud mentita frontis stibium , incauti pectoris decipula , vno flatu meretricem suam dabit. Eadem hic spera. calumnias veritatis radio verre , & perimes. quid radium? auroram huius pranuntiam tantum ostenta, & vixerint . Non ero longior , dabo illas ab hostili lingua & libro.*

Calui-

Caluiniſtarum de SOCIETATE IESV criminatio.

„ OMNES *Ieſuitæ, quotquot exſtiterunt, vix*
„ *vmquam digni ſunt, qui vnius de quatuor*
„ *illis Galliæ luminibus, litterarum Regi-*
„ *bus, qui tales agnoſcuntur & cenſentur in*
„ *vniuerſo Mundo, quorum tres adhuc ſunt ſuperſtites,*
„ *& quartus adhuc viuit optima ſua parte, diſcipuli*
„ *mereantur dici.*

Probat hoc Gallus Galuiniſta.

„ *Nemo in hanc diem Jeſuitici ordinis, veteris Hiſto-*
„ *riæ, nemo Romanæ Reipublicæ veſtigium vidit.*

Probat Caluiniſta lingua ſua; ego dabo Romana.

„ *Nemo Ieſuitarum vel crinem adlegit Monumento-*
„ *rum priſci æui: Numiſmata, reconditoria ſcientiarum,*
„ *nemo attigit: nemo ſtatuas æreas, marmoreas, viua*
„ *exemplaria emortuæ antiquitatis; nemo Circum, Sce-*
„ *nam, Amphitheatra, omnis eruditi calami phare-*
„ *tram, vel a nomine ſalutauit. iam Veteres membra-*
„ *nas, doctiſſimorum calamorum theſaurum, rident,*
„ *cum ignorant. Ita fere euenit, Ignorantia comitem ha-*
„ *bet contemptum. Poëticam vero & Oratoriam fa-*
„ *cultatem, quis illorum vel extremo calamo tentauit?*

Ego ſingula hæc capita litteriſticæ Caluinianæ eruditionis dum euerro, quam fecunda poſſeſſores ſuos largitione opulentent, iudica quiſquis hæc leges. Nec terreant hi ex alto

——fremitus & murmura magna minarum;
Quæ pueri in tenebris pauitant, finguntque futura.

Dabo enim operam, vt intelligas, planeque perſpicias audax hoc commentum Caluinianum. videbis, quam ementitis

—— aures verbis diuitent
Alienas, ſuas vt locupletent domos;

veſtiantque opima, ad oculorum decipulam oſtentationem, eruditionis ſupellectile. Quod dum facio, arctabo dictionem; memor illius:

Paruus vt eſt cygni melior canor, ille gruum quam
Clamor in æthereis diſperſus nubibus Auſtri.

& ſimul retegam meretriciam hanc Arnaldinam frontem. nam quis eruditionem, non illam ad oſtentationem factam, ſed veram, ſed ſolidam, aut vidit, aut audiuit a Caluini ſipario? pictæ nebulæ:

—— neque flamma creari
Fluminibus ſolita eſt, neque in igni gignier algor.

Nam illos IV-viros Arnaldinos, litterarum regulos cenſu Orbis totius, ego non noui, & neſcio an Gallia. Amicus quidam meus volebat indigitari Scaligerum, Caſaubonum, Stephanum, Iunium. & credam non admodum aberraſſe ab illo Arcadico, & ab aratro verius, quam a litteris digito. Quam vellem prodidiſſet Orbi hos regulos ſuos Arnaldus. An miraris, etiam ipſam erubuiſſe Impudentiam? comes illa mendacij eſt perpetuo nexu. at Sinceritas non erubeſcit niſi abſcondi: quam non reperies apud conſcientiam tot ſecuribus truncatæ legis: non reperies in his ad omnem oculum exancillantibus Caluinianis legibus.

CAPVT

CAPVT I.

Monumenta Veterum.

AN non dignum perenni calamo, terras alio calentes Sole mutasse; Orbemque, qua patet, cursibus oculisque lustrasse, & in eo Vrbem terrarum victricem? in qua

Ædificant auro, sedesque ad sidera mittunt:
Expelluntur aquæ saxis: mare pascitur aruis:
Et permutata rerum statione rebellant.

illam nimirum Vrbem toties cinctam marmore, quoties eam libido maluit perdere molli luxu auream, marmoream, eburneam; quam vincere terream, luteam. nec tamen illam stantem; sed tot sepultam sęculis, & alta mersam nocte super noctem. Quanto adirent felicius, exciti fidei melioris solatiis, si abruptis insitæ perfidiæ, e Caluiniana vindemia labruscata, retinaculis, peruigili cura cælum, non terram, cogitarent! Quid? an non pulchrum est digito monstrari prætereuntium, & dicier; *Hic est*, qui quidquid retro docta manus e natiuo, vel ad illius inuidiam æmulabundo marmore commenta est, lustrauit oculis, signauit stilo? & in illis magna illa ingenia vna cum arte sua sepulta?

Grande operæ pretium est: vt tenso folle reuerti
Inde domum possis, tumidaque superbus aluta,
Oceani monstra, & iuuenes vidisse marinos.

Quis risum teneat? Quantula rogo res est, oculos pauisse curiosiores in toties sepultis vrbibus, toties rediuiuis? Quod si & seipsis post cineres maioribus: etiam post

fastigia,

fastigia, nouis incendiis cladibusque punientibus luxum, posito fastu Fortuna sua minoribus, & iam super non vno suo monumento infida sede pauidis. In quibus quid admodum delectet? tot cadauerum myriadibus numquam satis parentatum Saturno? etiam feritas fastidit copiam. An hilarescit animus, si calcat campum, toties ebrium sanguine, quoties sitiuit illum, quoties hausit tamquã imbrem? etiam ingemiscit ferrũ, si frequentaris; & humano durior pede cedit chalybs. Magnum forte,

Infra vrbes, populosque premi per auitaque toto
Rura abiisse mari?

terrasque perpetua sepulchra suorum, sublimiore pede terere? gloriarique, quod nullum vestigium non integat corpus, aut sui Principis, Consulis, Ductorisve exercitus? etiam satias fastidium parit; & formicæ proterent insolentem hunc inambulonem. Iuuatne fors in fratrum, parentum, filiorum iugulo ludibundum tamquam inter epulas ferrum? procul Herodes, Nerones, Romuli. Christiana manus nescit hunc sanguinem: nouit lacrymas, quas solas amat in hoc Amphitheatrico crudeli ludo. Monumenta oblectant magna? omnes æquamur terra; & maius claudit maiores sordes. Gemmata delectat vrna? æqua cineri vilitas, seu illum tegat gemma, seu indolatum lignum; seu lambat aurum, seu ventus spargat; seu cingat ebur, marmorve Parium a manu Phidiæ, seu crusta tegat indoctæ manus. dictum vere:

Mors spernit altam gloriam:
Inuoluit humile pariter & celsum caput,
Æquatque summis infima.

Crassum

Crassũ Parthus habet: Libyco iacet æquore Magnus:
Tertius ingratam perfudit sanguine Romam.
Et quasi non posset tot tellus ferre sepulcra,
Diuisit cineres. hos gloria vendit honores.

An mentem recreant cariosa illa segmina e Palatinis Cæsarum domibus? Cæsarum illorum, quorum cellaria populos caperent; quorum surgentes columnæ, seu marmore variæ, seu ære solidæ, exercitus clauderent? adde & cedrina laquearia, auro grauia; illorum Cæsarum, quorum a lintreo pastu, vel a gregario sago, vel a spissandis ramalibus libidinem nullus expleuit lacus; nullum orbe flumen, nullæ calentium aquarum venæ, sine fastigio, sine luxuriæ diuersorio, in vastum terrarum marisque prospectum: quorum gulam nulla introrsum acta clauserunt maria, nulli saginarunt piscium greges e domestico Oceano (qui quouis Æolo sæuiente, & ventri præberet portum, & palato malaciam, & tempestatum pericula excluderet) nisi & conchylia ex supero inferoque aduecta mari, nisi illa ostrea cœno saginata, per crudum nauseantemque laberentur stomachum. a quo nulla animalibus, nisi ex fastidio, pax. nec illa longa, egestis qua via venerant. ita inexplebilis, non fames, non vnius pedis venter est, (qui paruo contentus, rugitum fremoresque ponit) sed oculorum, sed illius supra omnes voragines profundissimæ gulæ. Cæsarum, quorum (taceo publicam) priuatam auaritiam nulla explerunt latifundia; cingerent licet orientia ac cadentia flumina, maria. quibus insulæ, Regum domicilia, stabula: quibus Prouinciæ ingentium populorum, pro suffossa rupe, aut exesæ arboris trunco. parua narro. quibus

ab oculis maduere genæ, ob solas terrarum angustias: cum illi terrarum mergi, miluique, non totum explerent lectum duodenum pedum.

Ab his virtutem non disces: disces tamen si propius exitum spectes, vere dictum; Magnas arbores diu crescere, vna hora exstirpari. disces, Pares omnes nasci, mori pares. licet quod intercurrit, in illis purpura fulgeat, gemma niteat, auro splendeat; in aliis vix trita tegatur lacerna. nemo tamen fuit tam nudus, tam vilibus tectus, quam cum nasceretur: illud momentum æquauit omnes. De morte quid dicam? corpus hoc, sub quacumque purpura sudauerit, arescet in puluerem; sub quacumque gemma suspirauerit, tenuabitur in cinerem; sub quocumque odore spirauerit, in nidorem putoremque laxabitur. Sed neque te virtutem docebunt adesa rudera superbissimorum moliminum: neque ad illam facient regnorum educatio, instituta. Mores tuos adfers? tuos referes. illi te sequentur; & ab his censeberis, si a tuis censeri debeas. neque hanc tot vitiis distortam mentem amœnitas aut locorum miracula reparabunt. maius enim malum est, quam quod gestatione curetur. Vis illo leuari? excute impedimenta. scis enim magno viatico onerari iter, non instrui. at peregrinatio illa non excutiet. Detrahe onera. quisquis enim viam terit, felicior est, quo leuior. locorum mutatio non detrahet. Quid ergo? consuetudo proborum. ad hanc transi. illa te alium dabit; non Prouinciarum vicissitudines alternatæ: quæ fere perditissimos quosque adiungent lateri tuo; a quibus non disces meliora. Nam quis vnquam e tortoris contubernio mites animos; quis ex libidinum incentiuis sodali-

tiis

tiis castum pectus, quis ab auri insatiata cupiditate munificam manum suxit? Dabis proinde te conuictui probatissimorum, perpetuamque recti sententiam tenentium; non illorum, quos semper videmus aduersus sua vitia facundos. Neque enim ego te nunc volo magna eloqui, sed viuere. Hoc magnum te docebunt illi, apud quos solidæ virtutis veritas iam maturuit. tales inuenies in scholis SOCIETATIS, & ab illis.

CAPVT II.

Numismata.

VENIO ad vos e Caluiniano nescio an torculari musteos, an e cunis lacteos: quibus a Caluini, an vestra mẽte, tam ludit in tauro, tam in auro purpurissat, tam fallit in striato squameæ ceruicis tumore, tam mugit in petulca boue Deus, quam prospectat de cælo, scelerum quo tardior, eo vindex grauior. quibus si Diuæ Matri libes vota, (ægræ Fortunæ sana consilia. fere enim in malis sapimus; secunda rectum auferunt)

Est Paphos, Idaliæque domus, sunt alta Cythera.

Si impastum ardẽtium damnis serũ redarguas ignem; illi fallentem veneno insano, intimisque laudant visceribus mersum Paphiæ ministrum; & illam propudiosissimæ lasciuiæ, impudentissimoque meretricio, an lenocinio, nobilem Floram. Quid mirum? cum enim his tam viuat in perennitatem lutulenta porca, quam mens hominis; tam est amicum in obumbratis fallaciis, plumatum in cuculo cygnove Iouem amicare prece, quam Ter Max. cęli Numen: tamque sollemnibus supplicamentis

vota libare Penelopes Hirco, Crocodilis & Scarabeis Diis,& a Ioue cygno Ledaque exclusis ouis, Osirique cani,Isidique bubulæ; quam summo Deo. Venio & ad vos,quibus pro Numine Thebanus puluis; Carthaginis, Numantiæ,Corinthi, Dardanusque cinis; populata Exconsulum tempora, truncæ ab Imperio nares, raptæ a Prætorio manus. Venio ad vos,qui montes & maria circulantes,perque fluctuantes Cyprios Cretasque fatigati, in ipso accessu nascentis,occiduique Solis recessu, nescio quos exmalatos Tribunos metallicos, ab infelici erutos nocte, immane quanto ostentatis murmure. credas ab intima specu frementem Æolum

—cauum conuersa cuspide montem

impulisse in latus,

—totumque a sedibus imis

Eurum Notumque ruere, & illum crebrum procellis Africum. credas

Bacchantem vatem, magno si pectore possit
Excussisse Deum.

ita ore,dente,lingua,vngue,calce, calamo, & se & alios videas impetentes. credas a lacu large mustulentos, nouos Heliogabalos,Tricongios,Promachos,Vitellios,die iam cæloque erepto, nescio quæ ructantes æra, an rudera, denasatosque Consules, illos Dictatores, Censores, Ædiles, ære siue fusos, siue cusos;&,si maiorem ætatem tulerint,figulares. quibus armati, hic incurrent in Scholas, in Academias, pugnis, tamquam ballistis, Phœnicum more: alibi in cathedras & pulpita, cubitis, tamquam catapultis Syriis: ac in ipsam adeo omnium sæculorum, omnium scientiarum Antiquitatem,humeris,

tris, tamquam arietibus. Et post hæc omnia, si quem in comeso ære, auro, argento, ebore viderint, seu docta, seu rustica sculptoris manu, tenentem currus & arma; pars Priamidem Idæum, pars Phlegiam Etheoclis, pars melior vult magnum Hectora, aut illum Pelliacis siluis Thessalicisque adultum niuibus. Quod si tempora vittæ laurusque cingant in adeso veteri Numo; erunt qui in Argolicis latebris interritum Laocoonta; erunt qui vel ipsis formidatum campis Amphiaraum, vel Melampode cretum Thiodamanta volent. Iam si adrosum ebur equitem vehat; dabit centauros Thessalos, dabit Assaracum Mnesteum. negat alter, contenditque Neptunium Messapum, aut indomitum terris marique ferum Hippomedonta. Sin pugnaturientium & animos & manus æra mentiantur; non memorandum referent pectus Etheoclis, dirumque frementis exsulis Polynicis. Impleat vero in æruginoso ferro, nescio cuius terga Leo, aut intertextum tauris opus; hic Diuumque hominumque contemptorem Capaneum; alius Cadmeam dicet sobolem Chromium; erit qui & horrentem impexis Nemeis Teumesiisque iubis Alcidem proclamabit. Denique si aduersa quaqua parte metalla, nec vultum satis, nec signa præferant; primus exclamat contum, falcem secundus, arcum tertius, sarissam quartus. hinc pro opinationum varietate Sauromatam volunt, Getam, Gelonum, Macetam. Contradicitur interim ex hoc pullato litterario grege prioribus his omnibus fortiter; asseruntque non vltimi in hoc caldario, ductilive ære, in hoc post sæculorum noctes atras Laconico Porphyreticove marmore, nullum esse

Thebani Dardanive pulueris vestigium; contenduntque solas in his Romulidum nobiles animas. Quare si equitem metalla marmorave expresserint, si arma, si virum; inclamant insignem spoliis Syracusanum Marcellum, aut exsilio nobiliorem Camillum, aut denique illa Asiatici Africique belli fulmina Scipiadas: sunt & qui Fabricios, Curios, Cincinnatos, Dentatos adstruant; aut e plebe, inter signa Latia, Gallicaque, Reipublicæ deuotos Decios. nec desunt, qui non minore laterum contentione, longa retro imaginum factorumque serie claros proclament Iunios, Valerios, Posthumos, Claudios, Cornelios, Æmilios, Licinios, Papirios, Fuluios, Cæcilios, Sempronios. In tanta nominum turba, tam incerta varietate, quæ certa eruditio? Quid si his addideris, vel ipso trementia sono nomina, Arabicos, Persicos, Germanicos, Macedonicos, Paphlagonicos, Creticos? vel ipsa maiores Fortuna sua, Catones, Rutilios, Africanos, Numidicos, Thraseas, Canios? vel feliciores, Lucullos, Syllasque; hos sibi, illos etiam patriæ? vel denique magnos, & in impari exitu prope pares, Pompeios, Cæsares, Cinnas, Marios? quæ stabit certa scientia? Quod si singulare certamen æra hæc referant; ha! quantis succenturiata cothurnis tota Gebennensis schola spargit insolentes calamos? nec vna tamen in illa mens omnibus: cum primi iactent in Acrone Romulum, vel in Viridomaro Marcellum opimis Ioui Feretrio spoliis; alij interritum in Tolumnio Cossum; vel non absimiles animis Brutum & Aruntem, nisi quod ille pro libertate, hic in eam. Taceo felicem in Gallo Manlium patrem; &, nisi illo patre consule, etiam feliciorem in Gemi-

Geminio filium: taceo notiſſima, illuſtria Seruilij ſpolia: taceo reliqua.

O miſeras hominum mentes! o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ
Degitur hoc æui quodcumque eſt!

Et quid, rogo vos, hic magnum? minus ſane, quam illa de frontibus draconum, de piſcium cerebris lapidoſitas, quæ docuit ædificare viris mulierum ſtuporem, nec vltra. ſed & maior in his nobiliorq; naturæ ludus, quam vt conferri mereantur cum illa artificis, quem voluit mentientis, manu. a qua quid referes, niſi aut picturatas marmorum aut variarum rupium cruſtas? niſi veteris Romæ fragmen ex Indici animalis dente, ex cacabulis, ollulis, leuigatis de planis runcinarum, excauatis terebrarum vertigine? quid, niſi mentitum de ſaxis furfurem? niſi denique neſcio quod æris deruncinati fruſtum, maioris alicuius æui os, genas, caput, reliqua? ſed tam dubio vultu, vt chamæleontis vice de amatoribus ſuis ſumat colorem, & nomen. Iam ſi harum ſtudioſos audis digladiantes, de Naſicæ & Serapionis fronte; de Lentuli, Metelli, Spintheris & Pamphili labris; de Meſſalæ & Menogenis ore; de Curionis & Burbuleonis naſo; arbitreris non immerito verſari te

Nutricis inter lemmata,
Lallique ſomniferos modos:

cum illa inter ſomni difficultates, Lamiæ turres, pectines Solis, Phryxem narrabit arieti ſupernataſſe; Arionem Delphino gubernaſſe; Pſychen e ſcopuli vertice, Zephyro famulante, per deuexa excelſæ vallis delapſam, molliter reclinatam; nauem cingulo promotam; barbam

tactu

tactu irrufatam; Apuleianas phaleras, frena argentea, pictilibus baltheis exornata; iubam tam decoriter pectinatam, tot aureis inoculatam, vt quem & aures fugiant, & cauda, credat cælum miro ſtellarum orbe ad omnem varietatem veſtitum.

Quanto certius, vt meliores ſcientias taceam, cælum cogitarent; hancque ex hoc corpore migrationem, eo acerbiorem, quo illam diutius Fortunæ lenocinantis ludus circumegit, æternum viuente flamma cruentaturus; vltimaque ſui, ſcorpionum more, numquam interitura parte percuſſurus: idque præter opinionem, ac metum, vt nimium cita properatione, ita ſera nimium, & non profutura pœnitudine.

CAPVT III.

Marmora.

QVEM non delectet in Vrbe illa principe, ex interraſi marmoris pauimento, & ad effigies animalium vermiculatis cruſtis, neſcio quod ætatis iam prolapſæ fragmen? quem non Numidica Lepidi marmora, quem non Niliaca, Baſaltica; tam ſcite per limina variegata, vt in analectis mireris otioſas ſcopas? quem non Æthiopica, non Indica e Craſſi palatinæ Veneris? Apage hæc luxuriæ inuitatoria. ſub hoc marmore non creuit Reſpublica; periit. Sed neque ab horum cultoribus

—— iuuentus orta parentibus
Infecit æquor ſanguine Punico;
Pyrrhumque & ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque dirum:

Sed

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, & seuera
Matris ad arbitrium recisos
Portare fusteis.

Sub culmo Respublica, sub fronde tanta fuit, quantam eam cælata repererunt laquearia; vestisque purpura, auro, gemmis radians, corpori tamen nec auxilio, nec pudori. sub agresti domicilio, rustica & ab aratro manu posito, corporisque tegumento, quod natura non ars dederat, tanta fuit, quantam eam tecta super tecta surgentia, & non iam domus, sed vrbes (ingenio adiuuante luxum) inuenerunt. sub his stipulis siluestribus expedita erat corporis tutela; sine suspiriis dies, sine lacrymis noctes, mollisque somnus. purpura durum, ac, intercis o non semel fluxu, salebrosum dedit; omniaque difficilia, facilium fastidio fecit. Hinc solicitudo, & ad omnem marmorarij tecti sonum pauor, & fuga.

Arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella
Ante oculos volitant.

Quid ergo hic magnum adeo, quod vos delectet? quod ad tam cælo terraque dissita cogat? Quanto prudentius ad inlustria illa Orbe toto sospitatricia limina, fausta vota precati, propitioque indidem iam tum Numine, infractæ religionis argumenta quærerent, positis erroribus quibus eos incapistratos tenet Augiæ Caluini stabulum! At profunda hæc illis somnia; magisque iuuat, post infelicem circulationem, retulisse nescio cuius olim manibus fragmen delatum ab obelisco Thebaico, Alexandrino, Sphinge, Ægyptiisve pyramidibus; de Cyrici delu-

bro, fugitiuoque lapide; aut ex testati in Mausolum Cariæ Artemisiæ coniugis amoris monumento. in quo illud ad miraculum. cum orientem Solem præferat Scopas; huic posterganeum, occiduaque lumina Leochares; læuum, vnde frigora, Bryaxis; dextrum, & mititate sua prosperum, Timotheus; quaqua tamen parte omnes videas, nullum desideres. hæc Caluinistas iuuant: his animum pascunt. Adde (& beabis) Cycladicum Lesbiumve marmor: aut quod e Chio, nulla manus æmulata est, ad portentum variegatione. in cuius contemplatione moneat ductor parcere oculis; tanta marmoris radiatio est.

Longior sum in his marmoreæ eruditionis anteludiis; pertentanda res propius. Pingat marmor Philosophum pallio: e cuius illud ingenio Caluinista dicet? Apollodori, Stratonici, an Asclepiodori? Tyrannum mentiatur purpura: e cuius manu, Antigoni, an Perixiomeni? Mulierem præferat: Polydectes, Craterus, an Trallianus dedit? Iam si eandem tegat vestis: Antimachus texit, an Athenodorus? Quid si athletam, siue illum ab Olympica supplantatione Demyli patris voce generosiorem; siue istum mille & ducentis e pugilatu luctaque coronis nobilem, marmor expresserit? Cleon, Callicles, an Protogenes nobilitauit? Quid? Venerem quam dicet? Cnidiam, an Bruti Callaici? Cupidinem quem volet? illum propter quem Thespiæ visebantur? an qui Pario, Propontidis coloniæ, gloriam, ac prope nomen dedit? Apollinem vero quem? Palatinum, an Creticum? Iam Vestam? eamne quæ olim in Seruilianis hortis; an quæ in Luculleio marmore? Quod si omni leonis torosius

Alci-

Alcidis pectus, humerosque, gementium super Atlante cælorum sustentacula, Indicum Arabicumve marmor commentum fuerit; cuius hic ferrum scabriciem secuit? cuius leuigauit? Dipæni, an Scyllis? Mineruam, tam variam cultu, quam variam nomine & rebus, vt in vno lapide credas plures, Creticum Lunensiumve marmor finxerit; cuius hic lusit manus, oculis altior, votoque; Phidiæ, an Sthenis? Dianam in vno vultu non vnam, e Chio Thrasiove sacrarit lapis; e cuius cerebro docta deduxit manus; Bupali, Anthermi, an Cephisodori? Sin Laocoontem & liberos, & in illis ad stuporem multiplices contubulatione varia serpentis nexus, Mitreum Ramiseumve marmor duxerit; Polydorus hic, an Athenodorus ad naturæ certauit inuidiam? Denique ipsum Iouem, tonantem, Olympicum, amantem, Onychica aut Caristica iactent marmora; quis illum in his viuere iussit ad terrorem, laudem, pellices? Polycles, an Dionysius? Et vt hæc omnia ex vero scias, quid hic dignum tanto hiatu? aut quod naturæ, quod ingenij ludentis miraculum, tantum supercilium postulat?

—— perfossa dehiscit
Molibus insanis tellus. iam montibus haustis
Antra gemunt: & dum varios lapis inuenit vsus,
Inferni manes cælum sperare iubentur.

Vis vere magna? Permitte illa abdita terrarum, ingeniorumque ludos, nocti suæ: cælum intuere: Solem, quo in diem lustratur; Lunam, cuius auctu, ac senio, mira libratione terra fecundatur; luminis & tenebrarum recursantes vices, vt sit operis & quietis alterna reparatio. Iam ne aut perpetua vramur glacie, aut ardore tor-

reamur, Veris & Autumni intercurrit temperamentum. ſed & ſingula hominem beant ſuo fetu, Ver floribus, meſſibus Æſtas.

—— *pampineo grauidus Autumno*
Floret ager.

& Hiemi ſua oliuitas eſt. Metire dehinc oculis terram. hæc Sole deficitur; illa circumfluentis maris tepore recreatur, alterius ſiccitatem temperat amnis, & pro imbribus flumen habet, quod & ſerit, & rigat campos. Sed & quædam opem omnem de imbrido cælo habent: perpluuntur & aliæ non ſemel imbre ſaxatili: ſunt quæ perpetuis ignibus numquam tabeſcunt: vt & quę miſtas ignibus niues iaculantur: quæ licet vaſtis vndique exſudent incendiis, aprici tamen canicie brumalem detinent faciem. inuenies quæ ſorbent maria, quæ reuomunt; quę nunc rigent glacie, nunc ignibus æſtuant; quin & Hiemem patiuntur ſempiternam, & inherbidum perpetuo oſtentant ſolum. Videbis montes Sole inæſtuantes, ventorum perpetuo murmure minitantes, pruina tectos, beſtiis efferatos. Vis etiam maius prodigium? teipſum intuere. Vultum erectum, & ſuſpectum; oculos in ſummo capite, velut in ſpecula; ceteros ſenſus tamquam in acie compoſitos. quæ omnia in hanc formam, vt quæramus quod in ſublimi latet. Ad hoc nemo per marmora & montium fragmina exſcendit: ſola virtus eſt, quæ te ad illud euehet. ad quam venies calcatis vitiorum dehoneſtamentis; ſi libidinem ſub iugum miſeris, iracundiam poſueris, morum aſperitatem mollieris, habendi inexſaturabilem ardorem reſtinxeris, in placidos ſenſus pulſa barbarie migraueris. nulla tibi macella, nulla amphi-

phitheatra, nulla sanguinum maria construxeris: subigat illa dentibus festa hilaritate coronatus, porrigatque crudelissimo ventri suo Miles Gallicanus.

CAPVT IV.

Æra.

EGREDIOR latomias lapidarias; illam perpetuam noctem, vbi solæ candelæ diem statuunt. aggredior Ætnæas incudes, folles, forcipes; vbi

Brontesque Steropesq; & nudus membra Pyracmon

sortiti laborem pariter, æs, ferrum, chalybem, magistra exercent arte; durosque Chalybes, Lydumque Scytham, Phrygemque Delam. Tenuauerit hic prior æs malleis obsequens; fuderit alter malleis fragile: an animos refingent incude noua? Concinnauerint doctæ manus ære Cyprio, an Campano, Cordubensi, an Corinthio, Æginetico, an antiquissimæ gloriæ Deliaco, Haruspicas fabulas coniectorum vanorum, ariolorum fanaticorum; quas obsequiosis impietatis ac sacrilegij honoribus fotas, quadrigis ac statuis munerarentur, si quando irarum ac indignationum suarum aculeos intendissent, Dodonæus Iuppiter, Apollo & Diana per fugas circumlati, ac vix in errantibus insulis tuti; Æsculapius Coronide natus; Mercurius vtero Maiæ fusus; Ianiculi conditor Ianus; liminis repertor Limentinus; a foribus & cardinibus Forculus & Carda; omnis honesti publicatrix Venus; Trinacria Ceres; Oetæis minor flammis Hercules; ouorum progenies Dioscuri; membratim lancinati coniugis Isis coniux; Atys spoliatus

viro; quin & nescio quis ab interiore orbe per igneam zonam Zoroastres; aut qui in paribus vestigiis nomen habuere, Bæbulus, an Apollonius: posuerint his inquam statuas, præmia factorum; propudiosissimæ nimirum euersæ libidinis; proculcatissimæque in viro feminaque pudicitiæ: posuerint æra trophęa profusi immaniter sanguinis, nulla propinquitatis, nulla vel vnius vteri parcitate: quo iacto semine, recti prauique virginem mentem tollent in non fucatæ virtutis palmites? quo pectus in proiecti tramitis reducem flexum? immo quo virum implebunt digna sciẽtia, nosse cuius in ęre prior sudor fluxerit? cuius in ærariis fabricis prima exaudita suspiria? quæ manus hunc, quæ illum quadam æternitate donauerit? Et vt maxime: quid mihi ad virtutem, beatamque vitam, Iouem Phidias dederit, an Leocras? Apollinem, Leontius, an Telephanes? Æsculapium, Bryaxes, an Naucerus? Mercurium, Polyctetus, an Sicyonius? Mineruam, Demetrius, an Euphranores? Herculem, Euthycrates, an Isidorus? Amazones, Cresilas, an Strongilion?

Sed magnum forte, Cresilæ vulneratum intueri deficientem, in quo intelligi possit quantum restet animæ? An non hic ruant agminatim a Caluini pulpito hircino barbitio compti, vt hanc animam animent tot flatibus, quot magni illius Magistri tergum animarunt fecundæ Nouiodunensium vlmi, nobileque nobilis regni lilium?

Maius fors etiam, videre a Demetrio Mineruæ scutum, in cuius Gorgone dracones ad ictum citharæ horrendum resonant? Quam vellem Apuleij pugillares, & stilum, vt tam bellam fabulam prænotem, non minus variam illa, qua Iuppiter armatam cerebro Palladem,

Ceres

Ceres equum excuſſit vtero; aut e diſſecta Meduſa proſiliit Pegaſus.

An Praxitelis matronam,quę caſto vultu caſtũ referat amorem? an ab eadẽ manu meretricem argẽtariam illecebrem,quę mercedẽ poſcat? Mirũ ſi non huius frontem decoriter diſcriminatam, monilibus adornent, aureiſq; inoculent bullis aures pudoris prodigas, omnes è Caluiniana virgidemia vberes pãpini,baccæ,frõdes. huc,huc,

Rutilum toreuma byſſo,
Rutilaſque ferte blattas;
Recoquente quas aheno
Melibœa fucat vnda:
Opulentet vt meraco
Bibulum colore vellus,

nouæ Diuæ Bauboni Candidæ,in cuius ſinu etiam inter ipſa delubra, inuerecundius quam in ipſis lupanaribus,omnis Bezaica Scaurica libido defungatur.

An aquilam Leocræ, ſentientem in Ganymede,quid & cui rapiat? Semper vos Nouiodunenſes Ioues,nouos Ganymedes,nouis vnguibus rapitis. nimis vulgata Venus,ſiue illa Cnidia,ſiue illa Scopæ. magis placuit, quæ cum ætate Cypriam ſponderet mento: magis placuit, quam *largo pubeſcens vinea fetu* emortuis vlmis, in omnem perennitatem nouæ fidei, nouum Nouioduni documentum dedit, tamquam nobilem teſſeram fornicatæ conchatæque propaginis. Eia grauidum floret tergum; carpat, quiſquis palmes eſt, gemmas, frondes,ramos fluentes,addatque lilia, lilia, Ganymedea præmia.

An Nauceri luctatorem anhelantem,in quo crebros ſpiritus,& iam iam ad vltima tendentes, videas? nimirũ

ſin-

singultu crebro sermonem interficiet, vorabitque verba: qualia ab inæstuante pectore, intercisis suspiriis, ocellis pętis, fractaque voce, in nescio cuius, pro pudor, pusionis sinum, a magno Magistro, extra puerperij metam dabunt Gebennæ scholæ: aut qualia Diuorum maximus Iuppiter

Delia, taurus, olor, Satyrus, draco, fulmen, & aurum.

An Euphranoris Paridem, in quo Iudicem, amatorem, bellatorem laudes? Sat scio catis his pecuariis Magistris, Helena placet præmium: quibus voluptatibus fluxisse, pudicitiam in propatulo habuisse, omnique obscenitate vitam dedecorauisse, gloria & triumphus. Quare quis his apium, quis mella, quis farinam, quis olei ceramum, quis vrbici Ceramici ramum deneget?

An coruum Canachi, ita extremis modo digitis, modo calcibus suspensum, vt, dum in vices resilit, filamenta inter pedes tabulamque ducantur? Magis vobis placebit Iuppiter coruus, magis cuculus, aut in obscenos illacrymans appetitus, noctesque Solemque trahens inter infandæ cupiditatis nexus; qui vobis sacra Deusque. quam vereor, ne has lacrymas, quassi pudoris illices, æternum redarguant irremediabiles.

An Stipacis Splanchnoptem, sufflantem languidos ignes? cui, nisi Caluino, Bezæque, siue in noxam, siue in pœnam? quibus, nisi ex hac colluuie spurcissimarum libidinum, ad obscenissimas quasque vilitates adhinnientibus? quibus, nisi vesanis ignibus in omni pędore æstuantibus, ætatemque totam, religionemque totam, per infandas sordes, ignesque inuerecundos ducentibus?

An suffitorem Lyci, vel illius Ganymedis, vel huius Can-

Candidæ? qui impudenti compleat igne os, oculos, aures, præcordia, reliqua? quo accensi siue illius Iuppiter, siue Mercurius huius, omni virilitate posita, omni virore masculo, proiectoque Christiano pectore, Christum exuant, Ganymedem induant, Penelopemque. Saluete Quirites: nouum sperate Pana, Lenæumve patrem.

An Leontij claudicantem, cuius vulneris dolorem sentiant etiam spectantes? bonum factum. etiam vtero grauem deglutiuit Iuppiter Metim: etiam Liberi nutricios vltima iam ætate membratim sectos, percoctosque, Medea dabit.

An saltantes Lacænas semper calumniatoris sui Callimachi?

Date & æra fistulata
Satyris amica nudis:
Digiti quibus canentes,
Pariter sonante lingua,
Vice pectinis fatigent
Animata fila pulsu,

ad Timarchidis Apollinis citharam. nisi mauis nouos hos Cinædos, cymbalis & crotalis personantes, omnes animare tibias in illo Gallię theatro; prouocareq; singulas, illam ad Ganymedeam purpurã; illam ad lilia, lilia.

Magisne etiam Tibicinam Lysippi anum recoctam vino,

Trementibus labellis,

incertisque a Baccho alternationibus, post crepusculantes horas trepidantem? mirum, si non modo hanc, modo illam partem scalpat capitis. si non miluinos oculos torqueat in hos spectatores, Maximos, Nouellos,

V Tor-

Torquatos, pocula agminatim ingerentes, egerentes; quibus nullum sæculum quidquam vidit bibacius, vomacius. quos iuuet

Simulare vel trementem
Pede, veste, voce Bacchum.

An Perilli monstrum (vt oderis manus, quæ iustiore sæuitia expertæ cruciatum) in quo prima subdito igne vox hominis mugiit, quæ ausa erat polliceri taurum hominem? Nescio vobis magis placeat in Europa taurus, an tam dirum sæculis proditum exemplum: quamquam e Caluini Lernæa schola prodierint infelicis ætatis nostræ fecundiores Perilli, ac Phalarides; omnibus Vitelliis, Caligulis, Neronibus, Heliogabalis in sanguinem sitientiores. quibus vngulæ, ardentes tedæ, laminæ, carbones, equulei, rotæ, bestiæ, cruces, funes, claui, ferreæ soleæ, craticulæ, campi cadaueribus aggregati, profusi sanguinis torrentes, & quidquid malorum fuit excogitatum antique an noue à Satana, adhibitum a Tyrannis, milleque super hęc mortis genera, ludus, risus, plumæ, mella, flores.

CAPVT V.

Circus.

QVA ergo pœna dignum censebimus, cuius animus, manus, stilus inter illa veteris furentis Circi rudera ætatem lusit? inter quadrigarios, bigarios, iniugum equorum agitatores, athletas grauium leuiorumque certaminum, sæculum posuit? inter acerras argenteas, aureas, linteaque & strigiles Iouis, Iunonisque specula, incertis

incertis alternationibus inerrauit? Sed magnũ illud bello pacique nomen Priscus Circum posuit. Fateor. quid hic magnum, præter caueas forosque? Ornauerit in Cæsare posteritas, Augusto, Traiano, & seiugibus vecto Caligula, Domitiano, Heliogabalo; cuius etiam ambitione, an libidine, auro splendeant columnæ, campusque non iam arena, sed argentum inambulet, aurumque, eburque, electrumque: totisque plenis labris despumantes vindemię, pampineique decem Autumni grauidi in vnum immittantur orbem; vt & vino natet classis, nobilis naumachię nobilior lacus, euripia reciprocatione etiam inlustrior; quæ in tam prodiga proiectione aut prudens, aut composita voluptas? Crescant Circi crescente luxu, Flamineus, Prætorianus, Vaticanus, Aurelij, Seueri, Pij. quo, quo ruis furor? quo idololatrica paratura, thuris & sanguinis infelicitate, funeris & sacrorum infanda mistione inquinatissima? Quid hic videre iuuat? defossam aram Conso? vestigia Flaminis Quirinalis, Quindecim-virum, Septem-virum, sodalium Augustalium, fasciarum, vittarum, togarum palmatarum, pridianæ pultis? & illa Deorum anteludia, puellulas florenti ætatula Græcanicam saltantes pyrrichen, nunc in concauum decoriter flexuosam, nunc in conuexum inerrantibus luminibus, pedibus, multiplici ambage variam? adde satyristicam, sicinnicam: vnde & statuæ, Caramallæ Charitũ quartæ; Hectorem desultantis Helladiæ, Anthusæ. quid exinde? nouorum semper dæmoniorum seriem? seu illam fas sit publicare, Neptuni, Solis, Pollucis, Castoris; seu nefas proloqui, Salutis, Samoniæ, Tutelinæ? sacra nomina, quæ profanam arceant curiositatem, indicantque ferias inau-

inauſpicato nominanti. Iam tenſas, harmamaxas, de exuuiis coronas, magni quadrigarium Solis, neſcio an non & illius de faſtigio emicantis effigiem, flexo apprecabitur poplite, quiſquis de Nouiodunenſi propudioſa ſcena ſpectator ſedet. Quid memorem columnas Seſſias, Meſſias, Tutelinas, illaſque potentiorum Deorum aras magnas? Quid ipſos ludos, Conſualia, Equiria? adde Liberalia, Tarpeia aut Feretria, & illos ad cachinnum Rubigini ſacros; quin & Megalēſes, Cereales, Latiares, Florales, Apollinares: ac, ne quid deſit ad hanc pompam, legatarias priuatorum parentationibus editiones; ſiue illas de dorſo equeſtres, Caſtori, Polluci, Mercurio, Neptuno; ſiue has de iugo, quadrigarias Soli, bigarias Lunæ; quicumque primus auctor, ille de caduca in terram libidine dæmoniacum portentum, an coluber Erichthonius, aut Argiuus Trochilus, aut Quirinus Pater, tot animarum, populorum inquietator, tot furiarum dux & miniſter.

Quid cogitas, Chriſtiane, in illo idololatrici furoris æſtuario deprehenſus? quid inſanientis coronæ ſubſelliis oculos paſcis? CL. hominum millia Euripo clauſa quid ſunt, niſi ſingula ſubſellia dæmoniacæ prauitatis? inſeſſa puluinaria quid ſunt, niſi dæmoniaci cultus fanatica teſſera? porticus & fori, cauea & obeliſci quid ſunt, niſi ſingula ſacraria idololatricæ venerationis? In hac tu tibi arena Numinum, cum Valerio ſellam curulem; cum Papirio myrteam coronam; cum Æmilio triumphantis purpuram; cum Pompeio coronam lauream, & ſpera, & cogita: & totum ſimul exue Chriſtum, Idolum indue.

CAPVT

CAPVT VI.

Scena.

ALIVS ex illa Nouiodunensi Caluiniana palæstra scenica, ex illo Bezaicæ Candidæ lectisternio, Theatrales suspirat scenas; & nescio quod examurcatum fragmen consistorij illius despumatæ publice impudicitiæ: in quo illæ hostiæ sexus pudentioris, scelerum & libidinum auctrices, omnisque interemptrices verecundiæ, diem contaminant; cum vniuersum pudorem in omnium vultus, vsque ad nauseabundam satietatem, impudicorum luminum, intendant. Huiusne prodigæ impiæque lasciuiæ memoria, digna memoria tua? illa lupanaria in theatrum commigrãtia, retectiore inuerecundia priuatę impudẽtiæ; illa manuum petulantia, gestus fractior, vox mollior; mentitæ mollitudines in calumniam sui sexus, spectatores suos libidinis scintillis conflabellantes medullarum tenus, ipsumque adeo incubantem aërem scelestis vocibus obtenebrantes, tamquam densa nube pestilentialium halituum; aut Sole ipso, ad tam infanda, luminis sui radios resorbente.

Dicet aliquis ex hac corona dæmoniacæ textrinæ, intersperſa his fuisse non vnius virtutis decora, semina, tamquam gemmas; quæ quisquis legeret inter venena tamquam mella. Factum fateor. quis enim venena miscuit felle? electibilibus partibus, pulmentisque conditis, sapidissimisque intrimentis inspergitur hoc aucupium vitæ; quo fallat latens malum, oculosque pascat inimicæ mentis. Fuge quisquis sapis hanc honesti spe-

ciem, ſtillicidia mellis de libacunculo venenato; nec tanti gulam facias, quanti periculum. fuge ſubmellatum malum dulcoris ſubtemine, de caldario mellis ſtiriata venena; nec tanti ſaporata hæc dulciola, quanti perniciem. minantur inter mella apes, & venenum morſibus inſpirant; ſcorpius illud de cauda ſpargit. Ne fide: ſub imagine veri altius latet malum. nec iam ſcalpellū ſpongia, totos tegit enſes, quos recludat primo tactu. ne fide. Quid? an dum deſaltātur fabuloſæ antiquitatis Deorum Dearumque portentuoſæ libidines, non tantis exemplis via ſternitur, etiam æmula laude, in patentiſſimos expudoratæ luxuriæ campos? Quo, quo ruis anime? huius vel memoria ſcenæ, an non merito ruborem tibi iniiciat? quid tibi hic cum illo orbis Senatu, magnis Curionibus, Quindecim-viris laureatis, Auguribus, Virginibus nutricibus & conſeruatricibus ignis perpetui? Gentis Martiæ genitrix, Romanę dominationis mater & auctrix, amans ſaltatur; ſaltatur & magna Mater; & contra decus ætatis, illa Peſſinuntia Dindymene. quin & magnus Regnator poli, vt fallere caſtitatē poſſit alienarum matrū familias, immutat ora pellacia: induit hic Satyrum, draconē; alibi taurū: tranſſilit & in formicam, vt nihil ad contumeliam deſit. Quid hic niſi exemplarium ſtatuitur, præeuntibus magnis Dis, omnis licentiæ, omnis maleficij ac vitioſitatis, vt animoſius conſurgat audacia incentiuo exemplo, illiceque laude? Iam vero quis riſum teneat, ſedente ampliſſimo orbis ordine, nec erubeſcente ad Numinum ſuorum magnorum vilitatem, laſciuam ſcenam agoniſticamque diſpungentium? Videre Saturnum albo capite cum aliena deprehenſum, non niſi iactatis hinnitibus,

tibus, pecudem euolare? Martem mœchum, & vinctum; Dianam flagris coercitam; Faunum & Picum Martium, bene a vino mulsoque madidos, inter vincula docentes quod nolunt; insultantem Nouercam de exuuiis vtriusque priuigni; Neptunũ de mercede operis elusum a Laomedonte; Æsculapium fulminatum, vt in Deum surgat; Erigonen de laqueo suspensam; Castores alternis morientes; tres Hercules fame ad extrema ductos, & lusos; Iouem ipsum anniuersaria interiectione ieiunum; eundemque inter vincula fatentem, quas amiculas coniugi, quas vxori sorori pellices anteposuerit; furtiuosque amores publicantem. Quid quod emortui testamentum recitatur? Iam Lectisternium Cereris, vt excussis puluillis obdormiscat suauius: & lauatio Deum Matris; aqua nimirum, & cineris frictione. Et dum hæc fiunt; assurgunt theatra, caueæ concrepant fragoribus plausibus, risibus.

Sed non delectant patrata scelera; Poetarum, histrionum ad voluptatem compositæ lusiones, mentem capiunt. Itane vero? quisquis peccantum cum voluptate meminit, non impares animos haurit; dum in illis discit audere: nec minus valet ad exemplum, vera narres, an commenta. vtrumque a lasciuientis audentiæ fonte fluit. illud certius, hoc etiam fortius, quo falsa densior purpurissa, lætius vestit stibium. vtrumque riuulus est ex illo libidinum fonte; surculus est ex illa luxuriæ fronde: quare & qualitatis originem trahit. Adde idololatricum cultum, qui etiam modice locuples, splendidus est censu sui criminis. Quid erit, vbi se excusserit

pleno ſinu? vbi ſe diffuderit apertis campis, quos nulla verecundiæ, nulla pudoris clauſtra firmant? an non infiget animo perpetuum ſcelerum cogitatorium inquinatiſſimum?

Iam ſi profuſas in his theatris opes memoria recolas, videbis in vnum Prouincias migraſſe, Regumque domicilia. nam in M. Scauri temporario, ac vix vno menſe futuro, vidit S. P. Q. R. ſignorum e magna Myronis, Gorgiæ, Tiſicratis, aut non impari manu, fuſilium, nouorum volui dæmoniorum, millia tria: vidit e ſolido marmore ad omnem varietatem adumbrante libidinem, columnas duodequadragenum pedum trecentas viginti: vidit in illis, ſcenæ, an lupanaris parietibus, & pauimento, tam vario ludentes marmore libidines; vt neſciret potentior eſſet in illo, an in hiſtrione, magnorum Numinum pellacia. Quid hic deſideres ad omnem effuſionem, præter onychinas columnas triginta Calliſti liberti? præter eburneam Catuli ſcenam, argenteam Murenæ, auream Petreij? Lentuli etiam argenteum choragium? Quo, quo, rogo, hæc profuſio? vt Iuppiter ponat animos? tranquillior ſit Mater magna? obliteret offenſam Venus? indignatio relangueſcat Alcidæ? ſummaque Numina illatarum offenſionum memorias excludant, redintegrata fauentia? Et hæc eſt illa tot decantata modis æmula ingeniorum contentione Antiquitas?

Maiora ad miraculum dabo. In Curij theatro, e tam infida inſtabilique ſede, ille orbis domitor in verſatili machina pendens, & ad perniciem ſuam plaudens, ſeipſum depugnantem ſpectauit; momento periturus, ſi quis Sinon, laxatis machinis, aditum ruinæ dediſſet.

Quanto

Quanto certius & claudebant casæ,quas rustica manus virgea cinxerat crate, vili oblita luto; & tegebant congesta, in procliue ad imbrium decursus disposita fronde; quasque fulciebat omni nodo suo arbor, quæ non clauum sensisset, non per designata currentem serram! sub his tectis gratuitis,aut leui parabilibus, alti spiritus, liberumque iacebat pectus: seruitus sub auro, ebore, marmore habitat. Hinc obuia & fortuita liberos; longo vehiculorum ordine intrementibus vicis, aut ingemente lassoque à pondere Oceano, ab vltimo orbe digesta tegebant seruos. Quid illos referam, qui toties tectum versatilibus ad luxum laquearibus dispositis mutarunt, quoties fercula?

Hæc veterum: & nescio,an ignorasse melius. nam, vt immensa sit,cæca cupiditas est; sequitur præeuntem. Et ego qui credam tam ardentibus hæc theatra lustrandi desideriis, non respondere euentus suos? pedem nimirum in desabulato madentis luxuriæ solo, sine certo impudentiæ vestigio? Nihil agis editrix decipula. Veneri templum sacres. Si subiicis spectaculorum gradus; templi titulum prætexis, impudicitiæ subsellia ponis, superstitionis nomina præfers, lasciuiæ theatra pandis, & in illis recludis pectus. hauriet: miraberisque prostibulum libidinis publicæ, in consistorio pudicitiæ; & in erubescentiæ sede domesticam scenam, exterminato ingeniti pudoris semine.

CAPVT VII.

Amphitheatra.

VENIO ad Amphitheatrum, humanarum calamitatum officinam; ad illud dirum sæculis spoliarium, omnis immititatis sedem; ad illa derosa, & in suo alienoque squalentia sanguine, innocentum gladiatorum corpora, publicæ voluptatis crudeles hostias, in illis patientissimis desuper incumbentium immisericordibus oculis. quos non magis satiaueris humano sanguine, quam illas adumbrata pietate mortuorum animas, Inferiarum apud tumulos die. quibus ferrum vile, atque adeo infantium oculis oblectatio frigida. nimirum adultior oculus, vt maiores crudelitates, ita voluptates aucupatur. ergo nisi in humana corpora inagantur feræ, videantque erosum laniatibus pectus; & quæ natura ad perpetuas pudoris sui tenebras damnauerat, proferat in diem dens apri, leopardi rabies, leonis vngula, promuscis elephantis, crocodili rictus, diem perdant in emortua voluptate. Neque enim satis explesset libidinem crudelium luminum, sanguis ferro fusus; aut editionis dies vnus; centum sub Tito erogandi; sed & sub Traiano, crescente inexplebili sanguinis siti, centum viginti: & in iis non semel gladiatorum millia decem, totidem ferarum; delicias nimirum oculorum. Quę inter ludum risumque profusio, Alliam, nomen infaustum; ferale illud naufragium, Claudio & Iunio ductoribus; Trasymenum Romano decolorem sanguinę, Cannasque prostratę reliquationem Reipublicæ, vno anni cursu feritate superauit. cum faustis interim

accla-

acclamationibus ſæuitia accenderetur, quo fecũdius Ioui ſanguis inguſtaretur; dieque vna (neſcio an non refugo Sole) vicies illa crudelitatis area deſabularetur, in tam proiecta effuſione, vt non opus fuerit Euripis: nauigare potuit claſſis in hoc ſanguinis Oceano; at non & exſatiari effera furentis pectoris rabies, ſi non

Hos inter fremitus, nouoſque luſus,
Stat ſexus rudis, inſciuſque ferri;
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim, ferumque Phaſin,
Thermodontiacas calere turmas:

ita prodigæ honoris, pudoris, omnem ſexum ſuum exuerunt hæ lupæ, mentitæ alienum.

Iam quid dicam de nobiliſſimorum iuuenum, Equeſtris, Senatorij ordinis, qua in cultros, qua in gladios proteruia; non minus aduerſarij ſanguine, quam ſuo ſe parricidio cruentantium? & ne quid deeſſet ad varietatem, noctibus ad lychnuchos. pudebat Sole medio. Si te hæc delectant, ferarum ſanguis, gladiatorum viles animæ edoctæ mori, nobilitas proiecta, ferrum in illo ſexu, qui ſolas norat vindices lacrymas; quæ auerſaberis? Sed miraris illius gladiatoris, etiã in ipſo hauſtu ferri, interritum pectus; in nõ ſubducta ceruice liberum iugulum; quin & manum dirigẽtem, ne quo aberret ſuperſtantis dextera.

Flecte animum ab his Æneadum Theatris, Amphitheatris; in quibus adacti in ferrum, extremaque toties exorantes populum arena gladiatores: in quibus viliſſima mancipia, in mortem empta, Scythicæ Dianæ, Gallico Mercurio, Africo Saturno, Ioui Latio; &, vt perirent carius, multo ante in aruinæ ac carnis molem ſaginata:

denique in quibus vltimâ rerum suarum desperatione, aut libidine pellente, Trossuli exsultant leues, alieno suoque parricidali sanguine, nulla morum, nulla ingenitæ dignitatis laude nobiles. Flecte, inquam, aciem ab his arenis minio, chrysocolla, auri ramento stratis; ad illa nouo semper flore vestita violaria, irriguo Christi martyrum sanguine purpurata. viros hic taceo; fatigat numerus calamum, lassatque mens altior dexteram: virgines intuere domi nobiles, prima ætate, forma ad miraculum æque ac ad pœnam; inter candentes laminas iurares rosas pudoris plenas, & in has olim dictum:

Vt Mæotica nix minio si certet Ibero,
Vtque rosæ puro lacte natant folia.

Fornaces succensas: *Talis vario solet*
Diuitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.

Prunas candentes: *Frondens purpurat auro Viola.*

Craticulas inæstuantes: non mollius
—— *Amyclea poterant requiescere pluma.*

Tedas subiectas: ——*non alia ratione, ac sæpe videmus,*
Aurea cum primum gemmantes rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina Solis.

Ignem picatum:
Quale rosæ fulgent inter sua lilia mistæ.

Flammas, fumosque sulphuris:
—— *odorato referes sudantia ligno Balsama.*

Carceres, supra omne spoliarium, pædore ac situ obsitos: ——*redolentque thymo fragrantia mella.*

Tunicas alimentis ignium intertextas: coccineas dices, ianthinas, conchyliatas. Equuleos, cestus, vncos, rotas, & quid-

quidquid commenta ſæuitia eſt; multorumque dierum lentas mortes,non vnius iuguli luſum: credas de publico conuiuari; videaſque ante fatigantes crudelia lumina, dextraſque ſæuientium, quam vocem dare doloris indicem. Quid tango mœrorem? prouocant ad maiora in alieno corpore lentas manus, inaguntque refugientes, ſanguinis ſui contemptrices: quem niſi prodigant vniuerſum, (reiecta naturæ, auidiſſimæ retentricis, pertinaci detenſione) nullum ſe fudiſſe credent.

Sed ne hic tortorem tantum,omnique ſęuiorem ferro, omni cauea crudeliorem Iudicem circumſpectes; fluentemque non iam venis, (ridet hos riuulos generoſior animus) ſed toto corpore,totis oſtiis proruentem ſanguinẽ: ad maiores enim in his te pugillatus & luctatus voco. Impudicitiam videbis a caſtitate deiectam; a fide perfidiam cæſam; petulantiam a modeſtia proculcatam; ingluuiem a ſobrietate iugulatam; vitia omnia ſub iugum a virtute miſſa. Verum hic auidiſſimus oculorum ridebit hanc palæſtram; magiſque illi placebunt in promiſſa caſtitate inceſta pectora illius virginis Veſtæ, quæ

—— conſurgit ad ictus:
Et quoties victor ferrum iugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas, pectuſque iacentis
Virgo modeſta iubet generoſo pollice rumpi.

Ita numquam ſubſiſtit laſſa crudelitas; immanium ferarum modo, quæ pluſquam exigit fames mordent.

Neſcio an & his luminibus placiturus ſit ille dies, ille Theatris, Amphitheatris inexſpectatus; cum omnem hanc ſæculorum vetuſtatem vnus hauriet ignis. In quo editores hos ſuos, Numinaque quæ puluinaribus, qua-

drigis, ſtatuis, aris, templis, omnique mactarant cultu honoris, ludorum, ſanguinis, ſpectabunt æternum congemiſcentes, intrementeſque ad perennem ſuppliciorum alternationem. Hic hiſtriones, hic xyſtici igne iaculati, alias voces, queſtus, lacrymas dabunt. Hic Naumachias videbunt, non in temporario Oceano euripio; ſed immortali diebus ac noctibus flamma, ſine damno ſui æternum paſcenda: quæ vectores ſuos nec exſtinguet, nec reiectabit in mitiora litora. ſorbebunt, reſorbebunt, voluentque mutuo ſe, alterna miſerabili tamquam dataria viciſſitudine, ſemper fracta, ſemper recenti, ſeu ferendis, ſeu inferendis pœnis. Nec exſtinguet æſtum illabens Oceanus; alitur ille aquis. nec vllo æuo materies deerit; creſcit inæſtuans. in quo non minus nouum, nullam ſæuientium laſſari dexteram; nullo ſatiari mentem ſanguine; nullis commoueri pectus precibus, aures queſtibus, oculos lacrymis. Sed neque tempus vires minuit; auget; renaſciturque renaſcentibus plagis; dum nulla in morte ponitur anima; ſed tamquam in nouo flore, noua matre, nouis acceſſionibus, nouo ſemper vulneri, nouæ numquam moriturę morti, robur additur, inaugeturque ſæuiendo. Quid ego hic? niſi,

Queis placet exemplum generis, placeat quoq; forma
Exitij.

CAPVT IIX.

Veteres membranæ.

TRANSEO ad membranas luteas: nam in his lutum ſæpius, quam litteræ; ſiue iniuria temporis, ſiue vngulis Arcadiæ pecudis. tranſeo ad illas ſquameas: nam hic

hic squamæ sæpius, quam litteræ; quas vel ignara vel inimica manus dedit. transeo ad illas tot inoculatas orbibus, quasi stellis; vt, si lucem præbeant, cælum credas, in quo errantia sidera blattæ, fixa tineæ. Iam si alicui ex Gebennensi schola, cui nedum

Feminea quantum nigrent lanugine malæ,

venerint in manum nescio quæ comesæ chartæ, quæ magni Macedonis annos præferant; hunc perpluant odoratissimo croco, tamquam autumnali imbre: hunc sui ciues (nefas sit contigisse terram) alte sublatum humeris nouum athletam, pineum, laureum, oleagineum, strato etiam per orbis propugnacula ponte, sicco deuehant pede.

Quod si priore quis etiam fortunatior, sub Numa natas chartas Minerua repererit secundiore, exsilire credas omnes Apollini sacras cicadas; omnes tripodas, seu mensæ, seu cortinæ, seu sellæ fuerint; omnes Palladis hastas, —— *ipsamque in pectore Diuæ*

Gorgona desecto vertentem lumina collo;

omnes Isidis palmas, cornuaque; & raso capite pulcre indusiatos, chartaque calceatos sacrificulos; ad Amphionis modulos, fistulam Panis, Midæ tibiam.

Fuerit alius, ad quem ex Pergameo rogo, igne non extremo tactæ, hædinæ pelles, nescio Sinonis, an Æneæ manu venerint; quibus inuoluta, cælo lapsa in Pessinuntem Phrygiæ, palladium, hasta, colus, fusus, & si quid aliud mentita antiquitas: hic lasciuientis capilli artificio, sed & myrto, & oleo, & illustriore fronde coronatos omnes Gebennicos symmystas videas.

Si quis vero ex his Rheæ filiis tam dextro natus Ioue fuerit,

fuerit, vt neſcio quod fragmentum bipedale, aut ex Creticæ Europææ, Iouialiſque platani, aut ex Macedonicæ fraxini, aut ex Ibericę fagi, aut denique ex Libycę populi cortice, nactus fuerit: hic omnia triginta Deorum millia, quos vltimo thure ſupplicue venerata eſt antiquitas; atque inter hæc trecentos maximos Ioues, ſubſilire videas ſupra omnes Cereris Meduſæve Pegaſos. ſed &

Baſſaridas Satyros, Panas, Faunoſque docebit
Ludere Silenus, iam numine plenus alumno.

Altius forte fodiet alius, & neſcio quid pubeſcentis adhuc, veteriſve tiliæ cortici, palmæque foliis commiſſum, fortunatius quam doctius eruet: & en tibi longa ſerie, miro nitentes amicimine, pulcre cornutos mimallones, ingeminantes, *euge, Ocelli Galliæ, Lux Germaniæ, Angliæ Phœnix, Batauique ſoli Sol vnicus!*

Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuſcum.

Felicius etiam, quo rarius, in ſindonibus Brachmanica manu fruſtum aliquot exeſorum verborum erudetabit aliquis: an non arbitraris Pygalienſem Eleamque Diuam equino bellam capite, iubaque, hircoque bene barbato, teſtudinem non iam pede, ſed manu prementem, concentus ſuaues adſonare?

Sit alius etiam plumbeo volumine fortunatior: hunc Caluini

—— turba Quiritium
Certet tergeminis tollere honoribus.

magis etiam, ſi poſt extritas, an epotas noctes, expreſſerit ore large patulo balbutiens, meribibulas affanias, mella ex pumice. Io triumphe!

—— hic murus aheneus eſto:

immo

immo orbis totius Sol vnus, Oculus vnus: vt iam orbem ipsum credas Polyphemum, in cuius porrecta fronte hæc Phœbæa lampas. quam si nouus terebret Vlysses trabali telo, informe monstrum clamorem immensum tollat, quo Pontus, & omnes olim

Intremuere vndæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, curuisque immugiit Ætna cauernis.

Sed si cocti lateres, & in iis Scythica manus Babyloniam testata fuerit; quidquid e porca, quidquid ex oue natum inter Calendas Martias, Idusque Maias, sacrum esto. nam hic more Maiorum, quod bene sit Reipublicæ litterariæ Caluinianæ, ver sacrum vouendum. vtque gaudium plenum sit, addenda decennalia Galeni, Vicennalia Tricennaliave Constantini; & , ne beatulus hic repertor siti pereat, mulsi poculum, Diuorum munus.

Tacebo inlustria illa volumina, quæ cum ætate, tam in auerso latere, quam in suo, signa referunt; miroque illo intextu, tamquam implexarum spinarum, mutuo se interficiunt. credesne litteras, an aues? hinc sors Tiresia auspicia, aucupia. quin ita positas, vt pateras arbitreris, appositasque dapes; vt nihil iam desit ad tripudium. Fabulas narro, non iam planipedias, aut in solis soccis palliatas, togatas; omnes cothurnis maximis. ac nisi hunc repertorem perflent Nabathæa cinnama, videas lugentem, pallentem, quin & ipsi cælo minitantem. nimirum —*turgescit vitrea bilis,*

vt iam —*Arcadiæ pecuaria rudere credas.*

Ha! quanta ingenia, post diurnas nocturnasq; has membraneas lucubrationes, videas euigorata! quantos animos ad summa natos, librariorum mendis exancillantes,

reperias perpetua illa excubatione, omni generosiori spiritu emedullatos; tot mediocribus ingeniis, sed meliori via euntibus, retrosiores! Quid quod hunc antiquitatis litterariæ ardorem, omniũ prope ætatis huius hæreticorum inuenias condimentarium factum: cùm quidquid prope hinc exsugitur prurientibus auribus, natum de ingenio sapiẽtiæ sæculi, temerario ausu in ipsam Scripturam sacram vnguem impingat; artificemque & versipellem calamũ, monstruosis fabulosisque emaculationibus portentosum. Hinc natum, vt aut illam non admittant omnem, aut non integram, aut denique a Spiritu sancto virginem traditam, adultero vitiẽt stilo; omnem curiositatis libidinẽ impudenti manu profundentes, & in hanc arborem bonam liuentis maledicentiæ suæ germina inserentes. sed arescet hic blasphemiæ surculus cum suis artificibus, veritatis gladio detruncatus. Quod si quid illis vel ambiguitate pendulum, vel obscuritate obumbratum fuerit; insolenti ausu noua commenta, de venenis doctrinarum suarum sumpta, substituunt. Quibus non ego, sed altior manus *Væ* illud intonat, adiicientibus & detrahentibus destinatum, in illo die Domini magno, signis atque portentis, & concussionibus elementorum, nationumque conflictationibus prænotato. Atque vtinam de emendatione vitiorum suorum, non de Scripturæ sacræ vitiatione orbi forent noscibiles. non funderent in æterno interitu frustratorias lacrymas. Vis nosse æterni illius ter-miserandi anteambula? tenerascentes arbores cogita in caulem floris, & dehinc florem frugis antecursorem. ita, si quem videris sola hac sæculari scientia instructum, calamum flectere in Scri-

pturam

pturam ſacram; prænuntium ſcias ignis illius, in quo omnem lacrymæ imbrem indulgentia diuina ſiccauit in melioris ſpei vel pœnitudinis excitamentum.

CAPVT IX.

Quidquid hic eſt, e Caluini ſchola eſt, illa quam Paſchaſius, quam Arnaldus volunt ad prodigium doctam. Vide Lector in hoc eruditionis campo primos editores. Vide thenſas litterarum plauſtra. Vide non iam anteludia magnorum orbe Criticorum; ſed a manu grauioris armaturæ calamos. Ego incipio; tu ludos venerare, pompam comitare.

DESPERANDVS *locus erat ſine ope codicis Gemblacenſis.*

Inepta interpunctio totam ſententiam turbauit: ita enim interpungendum reponendumque ex fide codicis Gemblacenſis.

Hoc moneo, ne quis putet aliquid boni in illo monſtro lectionis latere.

Nam iudicio opus eſt, in veterum codicum lectione: non enim omnium eſt illis vti.

Et ſane non poſſum me expedire ſine audaci aliquo facinore. itaque hoc perfugium habeo, ſi ita legero.

Corruptus enim haud dubie eſt verſus.

Non deerunt tamen, qui tam aſininæ interpretationi accedent.

Sed multis eiuſmodi emblematis vermiculatus eſt Commentarius Bonincontrij.

Et ſane ſcripta membrana, & veteres editiones, hanc lectionem teſtantur.

Qui vero hanc mutarunt, iis ad saporem vetustatis palatum obbrutuerat.

Nam diserte vetus scriptura ita concepta est.

Iam vero omnia luxata sunt, peruersa, contaminata ab ineptis pædagogis; conspurcataque ab illis bonorum auctorum carnificibus.

Nam in nostro liquida scriptura est, quam qui mutauit, quo flagro dignus non fuit?

Cum ineptißimam lectionem odoratus fuerit.

Et sane versus corruptißimus est, & tamen nemo hactenus, quod sciam, ne de mendo quidem admonuit.

Ita ergo habebat prisca scriptura.

Nam hæc noua ineptißime.

Et vero mallem veterem lectionem deprauatam reliquissent, quam sua somnia nobis interpretarentur.

Et cum omnes Grammaticos torqueat hic locus, tum præter omnes Turnebus mirum quam in hoc nodo soluendo æstuat.

Omißis igitur omnibus omnium correctorum commentis & nugis, veterem scripturam opponam.

Et hæc quoque peßime accepta correctorũ temeritate.

Legendum enim ex nostro libro sine interrogatione.

Vt mirer sane, vbinam Turnebus vir oculatus oculos habuerit (mentis, non corporis dico) cum huiusmodi commentaretur. Nam quod Lucilij testimoniis hoc se præstare posse arbitratur, hoc quid aliud est, quam ipsummet gladium mihi in manibus dare, quo se iugulem?

Ergo cum odæ clausula vitio interpunctionis laboret, error manifestus conuincitur. quare iis auscultandum censeo, qui postea notam distinctionis collocant.

Sequi-

Sequitur locus sane septuosus, in quo declarando lolio victitasse mihi videntur Interpretes, tum veteres, tum iuniores, qui Poetæ huic nostro usq; adhuc manum sospitalem admouerunt.

Et mirum omnino est, nemini hoc usque adhuc commentatorum in mentem venisse. Interpuncti enim vitio laborat; cuius contagium etiam ad enarratores manauit.

Pessimam vero distinctionem istam interpretatione insuper sua, quasi prærogatiua, munientes.

Ego autem non ad sequentia geminas dictiones illas, vti illis placet; sed ad præcedentia pertinere ratione verisimili auguror, commutata interpunctione, & capitali littera inducta.

Illa vero verba capitali littera auspicanda censeo. quod Interpretes nostri non aduertentes, mirum quas nobis tenebras offuderint; atque (vt paucis multa absoluam) intelligendo fecerint, vt nihil intellexisse videantur.

Glossarium aliter interpretatur; sed fallitur, meo iudicio.

Quamquam illum Grammaticum secutus sit Turnebus, vt in aliis.

Morosa sane lectio.

Hæc portenta verborum nobis peperit hæc natio correctorum; cui, si viueret, nihil est quod e re illorum melius optem, quam bonam mentem.

Mirum vero viros doctos colonias nescio quas Tyrrhenorum somniasse. laudo conatum, sed sane longe aliud voluit Poeta.

Et vero totum hoc lepidissimi poematij principium depraua-

prauatum, doctos viros in magnum errorem impulit.

In quo audacia correctorum peruagata est.

Nam antiquitus non fuit sic scriptum.

Et suspicor illud Gallicum exemplar Longobardicis litteris scriptum fuisse. quia errores, qui cum postremis codicibus ab imperitis librariis disseminati sunt, non aliter videntur quam a morosis illis characteribus nati.

Et sane male hic distinguitur vulgo.

Quin & errant dupliciter docti viri in huius loci enarratione.

Notum commentum Pontani, ipso Pontano indignum, quod adeo vulgus Grammaticorum torsit.

Argutantur quidem Politianus & Turnebus, docti ambo, sed nimis; & quos mallem hoc tacuisse.

Iam quis non videat vulgatam lectionem commentitiam esse? magis proinde placet scriptura, & antiquæ editiones.

Nam hæc omnia commentitia & adulterina sunt.

Legendum vero vt in manu scriptis.

Et licet magnum mendum sit, parua tamen labe contractum est.

Nec vllus liber manu scriptus, aut vlla editio antiquitus emissa exstat, quæ non habeat.

Neque quidquam me mouet vir doctus, qui aliter mauult.

Nam Ortelij liber, idem MS. *alter, cum excuso Parisiis.*

Et omnes quidem quotquot vidi, Aldinus, Fabricianus, Parisiensis.

Et

Et licet mutent viri docti, nihil ego; cum apud me præponderet sensus & consensus librorum.

Quare apposite iuuandæ sententiæ.

E Lugdunensi apposuisse me puto. & ita omnes quotquot vidi editiones.

Præitque mihi ad saniorem, vt opinor, lectionem liber Lipsij.

Et ita indicat manifeste manuscriptus vterque, & excusus Lutetiæ.

Fabriciana tamen lectio est; at nostram bonam puto.

Optimi autem Ortelij optimus codex verba hæc, vt & exemplar Parisiense.

Et suauius videri possit, quod est in editione Veneta.

Quod non notassem, nisi constitisset mihi de insigni istius libri adcuratione in obseruatione interpunctorum.

Quare fidenter distinctionem immuto, & corrigo inde quod sequitur.

Ita concinno, iuuantibus ex parte libris scriptis.

Et sane aut valde ego fallor, aut Poeta ad hunc modum scripsit.

Nec aliter MSS. *Basiliensis & Parisiensis, & Ortelij scriptus clarius etiam paulum.*

Male accepit ista verba Plutarchus.

Et sane concedere non possumus, quin arguamus M. Tullium ignorantiæ.

Quid tibi videtur Lector de hoc supercilio Colchico? de hoc Thyesteo dente?

Scit quoties Phario madeat Ioue fusca Syene:
Scit quota de Libyco litore puppis eat.

CAPVT

CAPVT X.

Nihil hic de meo est: e Caluinispoliario, quidqu id hic vides, deductum in hanc arenam litterariam. Tu quisquis sedes spectator, diribitor, cense hos sudores, docto seu vngue, seu pollice; & vide, num quisquis SOCIETATIS scholas adiit, arceri debeat pullatus ab his sedibus. Ita voluit Paschasius, ita Arnaldus, duo titiones tenebrarum harum; duo oculi magnæ noctuæ, marmoreæ, æreæ, membraneæ.

M*VLTA, quæ ignoratione priscæ lectionis Grammatistæ contaminauerant, restituimus; partim vetustate obsoleta, partim temeritate correctorum, quæ vna fatalis pestis est, interpolata. Ergo lege ex veteri scriptura* exiocaris; *non* & iocaris. *sic hic noster codex, nec vna quidem littera minus.*

Et nec facerent, *scriptus liber* non facerent. *quæ recta lectio est.*

Possem hic ex illa veteri scriptura assulas nescio quas, & alia comminisci; sed tanti non erat me ineptire.

Illud vero perfecitque vtrumque, *quæ Vaticani codicis scriptura erat, emendabam*, fecitque per vtrumque.

Et quousque manus equitum: *scribo*, quo ad manus equitum; *vt in omnibus veteribus.*

Vt illud Augustorũ *scribendũ fortasse fuerit* Augusti.

Et sane scriptura decepit Vertranium, Quin *pro* cum *legentem: ex quo imperiti librarij infinitis locis formarunt* Quod.

Sic quam lecticam inuoluebant, *lege* qui lecticam.

Hoc

Hoc vero ipsius huic mundo, *lege* mundi. *aliter apud Grammaticos de solœcismo caussa dicenda esset.*

Iam nec leuitas *corruptus locus : legendum* hæc leuitas. *Discant hæc a nobis, qui sine nobis ignoraturi erant; & tamen ita volunt dissimulare, se nobis illa debere, vt nos ea vltro docere velint.*

Et sane falsum est, quod Græci aiunt: Cæsarem dictatorem a cæso matris vtero cognomen inuenisse. decepti sunt, quod putarent primum hunc in ea gente Cæsaris cognomen habuisse. id verò falsissimum esse sciunt, & qui nondum aere lauantur.

Illud vero creduntur, *procul dubio Manilius scripsit* redduntur. *patet sententia. Neque displicet, quod olim diuinabamus,* cernuntur. *Nam vulgata lectio ineptissima est.*

Vti & illa Spiritus inflati, *auguror fuisse* Spiritus inflat. n. *quod est* enim. *quod ita fere semper in membranis.*

Illud vero apud Varronem In Pontificiis libris videmus, *putarem melius legi posse* In Pontificalibus libris bidentes.

Interpungendum autem post verbum videmus.

Vti & illud apud eundem, libum, quod libaretur, priusquam esset coctum. *legendum*, quod libaretur, priusquam essent, coctum.

Sic triticum, quod tritum est spicis, *lege* e spicis.

Et pulmentum, quod edebant cum pulte. *longe melius*, quod id cum pulte essent.

Iam idem cum exit, tum oritur, *lege* idem tum exit, quum oritur. *ita ex veteri codice.*

Iam istud prætextato desponsata fuerat. *cod. Viterbiensis,*

biensis, *&* *vetus Roman*. disponsata i *pro* e, *vt in lapidum scriptionibus antiquis sæpe.*

Sic Cinnæ quater cos. *ita* MSS. *& primæ editiones*. quater cos. *an* quarto *aut* quartum *dicas, pili non interest.*

Hoc vero Æquale, *malim* Et quale. *& ita scriptum reliquit Manilius*. *vt* postes ornare superbos, *melius* superbis. *ita Gemblac.*

Et legendum, certa tum lege. *falli valde necesse sit, qui legebat*, certa cum lege. *& puero patet.*

Ita & quæcumque. *leg*. & quodcumque. *ita olim emendauimus, ita habet Gemblac.*

Et quis sanus construet commentum *cum illo* quæcumque?

Hoc vero non sine summa indignatione, *lego* dignatione. *alioqui tueri vulgatam lectionem possemus.*

Sic ad arcessendam classem, *melius (ita enim membranæ) quam vt vulgo* accersendam. *glossæ veteres* arcessere.

Illud autem ex aliis alios, *lege* alias. *Gemblac. & Bonincontrius habebat* alia. *quod est vestigiũ veræ lectionis.*

Ita etiam reddit, *non* reddunt *scribendum; nisi Grammaticæ ludibrium debemus.*

Est & locus ob leue mendum corruptissimus super est, *Gemb. habet* supra est. *rectissime.*

Cum tamen Gemblac. legeret ortus, *nos substituimus* ortum.

Et pro facies quæcumque, *nos* quacumque.

Vti & pro quod similis, *corruptissimo loco, legebamus* cui similis. *Gemblac. habet* quod, *igitur* quoi similis.

Illud

Jllud Gnoſſia deſerte fulgent, *quam inepte! lege* & fulgent. *ſine qua fultura corruebat contextus totius ſententiæ.*

Hic vero quid dicam de flagitio Hieronymi Auantij, qui ex Mutat *fecit* Nutat? *in quo profecto ille multum nutauit.*

Praue etiam mutauit beatiorum; *quum & ſententia* beatiorem *poſtulet, & vetus ſcriptura non aliter habeat.*

Iam illud Cum deſiderio, *ſcribendum eſt* Quum. *quod maioris eſt momenti, quam pædagoguli prima fronte iudicare poſſent.*

Fuit & priſcus mos ſcribendi quot, ſet, *pro* quod, ſed.

Hoc vero Cui non eſt, *quam inepta lectio! vetus,* Qui non eſt. *lege ergo* qui. *vt* quem cupis, *lege* quæ cupis.

Illud autem quod in veteri membrana exaratum fuit, quæritur argenti ſemen, *lege* ſemen vt argenti quæratur.

Sic quod temere, *lege* quam. *qui hanc ſententiam mutarunt, credibile eſt illos ſuam, non Catulli mentem, ſpectaſſe.*

Ita quin quacumque, *libet* qui *manifeſto verum. porro ridicule prorſus ſcribit Ad. Turnebus. idemque abſurde profert* qui.

Manlia legit, *lege* Malia.

Sic pari fuiſti caſu, *ex veteri libro leg.* fuiſtis.

Et illud ad millia quindecim & ducenta, *vetus ſcriptura* ducentos. *alioqui immanis nimis fuiſſet iſta ſumma.*

Copula vero Et *addita a correctoribus: nam libri ſcripti non habent, nec antiquæ quidem editiones.*

Peccauit vero grauiter Turnebus, qui vult apud Statium Lydias tumentes *dici, quia* Lyde *apud Juuenalem*

dicitur turgida. En cor Zenodoti, en iecur Cratetis! quasi Lyde *idem sit cum* Ludia.

Jam illud ne meus puer. *quis non videt hæc omnia commentitia esse? atque satius fuit veterem lectionem securam in suis sedibus relinquere, quam suam ineptam supponere. Lege igitur cum nostro libro* me me puer.

Sic corona ciuica donatus est. *a codicibus vtriusque editionis Antuerpiensis exsulat vox* corona, *nescio quare de veteri possessione deiecta. Atqui hic est hodie nostrorum Criticorum morbus, qui simul aliquid noue & inusitate dictum alicubi obseruarunt, statim quærūt vbi apud alium scriptorem, aut eum ipsum, alio loco, intrudere illam suam obseruatiunculam, magnificis prius verbis venditatam, poßint. Hac ratione integerrimi atque incorruptißimi auctorum loci, ceu corrupti & deprauati, corriguntur.*

Quod sequitur, tum occasioni, *nihil muto. tamen scripta lectio, & omnium veterum editionum, est* occasione.

Subiungitur, cum vno medico. *ita omnes codices, veteres, recentiores, scripti, cusi; editiones quasdam nuperas excipio, in quibus repperi* cum vno amico. *Primus Robertellus mutandæ vulgatæ lectionis auctor fuit. Placuit hoc commentum etiam viris doctißimis: quod miror; nam auctorem quidem eius nihil moror. norunt omnes eruditi ineptias hominis, & vanitatem; cuiusmodi hoc est sane vanißimum.*

Hoc vero Sed in amitæ quidem, *scribendum* Et in amitæ q. *littera* s. *ex fine præcedentis vocis, sine caussa, vt sæpißime alibi, initio sequentis adhæsit.*

Loco autem illius, ad captandas quam primum maio-

rum

rum rerum occasiones in vrbe, *membranæ Viterbienses habent* in vrbem. *Et hic distinctionem restituimus ex editione prima, & MSS. Leslæi: pessime enim in vulgatis editionibus distinctum est post vocem* occasiones.

Legendum etiam putaui Antequam prouinciæ ornarentur, *ex fide doctorum virorum, Lambini & Fului Vrsini, qui ita scriptum esse in antiquissimis libris testati sunt. nam in nostris quidem omnibus, vt in vulgatis, erat* ordinarentur; *minus recte.*

Lego item, nec multo post neptem amisit, *non* nepotem, *vt est in Vaticano, in Viterbiensi, aliisque omnibus codd. præter Leslæi. Velleius tamen, & Lucanus, filium fuisse volunt. Nam quod Lucani locum ex lib. 5. docti corrigunt, plausum a me non referent. Habeo enim peruet eres membranas eius Poetæ, in quibus non aliter scriptum, quam vt hodie editur*, Martemque nepotis.

Quod si etiam recte editio vetus Roberti Stephani, cui subscribunt MSS. *omnes, recte &* C. Cæsar, *non* Cæsar: *nam illo modo sermo augustior est.*

Legendum etiam Quatenus: *sic enim scriptum in* MSS. *non* quatinus; *vt præcipit Festus, & scribi obseruauimus in antiquis Iuuenalis membranis.*

Illud iacta alea est, inquit. *etsi superuacua vox* inquit; *tollere tamen, nullo veterum codd. adstipulante, non sustinuimus. Didici postea abesse eam a codice Fului Vrsini: quare tollatur sane.*

Iam circa corporis curam morosior. *sic omnes libri. quod testari placuit: quia scio quibusdam visum* morbosior *esse scribendum. Ingeniosa fateor coniectura; sed cuius gratiam facimus ipsis, nos quidem; nisi prius nos*

docuerint, quare hæc omnium librorum lectio ferri non queat.

Hic vero, vt T. Ampius ſcribit, *fluctuant noſtri codd. Viterb. plane* Titus Amplius, *alij T. Amprius. Vrſino placet Tampius, ex antiquis inſcriptionibus, & Tampiæ familiæ denariis. Nos quoque vidimus argenteum nummum, ſed ſcriptura ancipiti; tam enim T. Ampius, quam Tampius legi poterat.*

Illud autem, vnde emanaſſet Sullæ dictum, *ſcribo* vnde manaſſet S. d. *& verbum* conſtat *ſuſtulimus auctoribus libris noſtris.*

Hoc vero, exercitum conſentire pro patribus, *nondum conſtitui vtra lectio vera ſit*; pro patribus, *vt repperi in omnibus membranis; an*, pro partibus, *vt repperiſſe aiunt viri docti in quibuſdam* MSS. *& editum eſt a Roberto Stephano.*

Illud ac is qui, *malim abeſſe* ac. *& natum videtur ex præcedentis dictionis fine.*

Demum Zenonem quendam. MSS. *Viterb. Pithæi, & Groſlotij conſtanter* Xenonem. *vtrumque nomen Græcis in vſu.*

Qui legis Oedipodem, caligantemque Thyeſtem,
Colchidas, & Scyllas, quid niſi monſtra legis?
Qui legis illa, leges tineas blattaſque diſertas:
Qui legis has ſordes, quid niſi monſtra leges?

Et quæ hinc altioris eruditionis ſegmina? aut quo mentem paſcent meliore nectare? quid tibi hæc Lector?

Quod tibi dormitor proderit Endymion.

CAPVT

CAPVT XI.

Exeſto ludus,moroſiorque vellicatio. bella hic,bella: adeoque ad triarios opes redactæ; alternuſque ſanguis, quaſi in datario luſu, vulneraque dantur, illa calamorum; quæ nec doctior Hippocratis, nec felicior Galeni manus, non ſecuta mors medeatur. Perennantur hic vulnera, nouis ſemper incrementis ad noui lectoris oculos rediuiua. Ergo ingredior hanc arenam: verius deduco in illam gladiatorum paria: nec quidquam dabo extra ipſorum dexteras calamoſque.

ORDIOR. *An, vt in venatione, ſic in pancarpo arenarij cum beſtiis depugnarint : aut idem per omnia cum pancarpo venatio.*

De quibus dum diſceptant hi viri magni, peruncti fæcibus ora, verborum, conuiciorum plena ſpargunt dolia. ingenij diſtringerent ſicam, certantes doctis dictis; non muliebribus ſcoriis, chartam inquinantibus. ſed ita vſu venit; quoties ad inopiam rationum in hoc Amphitheatrali Criticorum ludo ventum eſt, maledictis debellatur.

PERGO. *A Gordianis primum exhibitum genus illud venationis; anne ante Alagabalus dederit, docueritque ſanguine bene largo litare, magnaque propitiare Numina.*

Quanta hic conuiciorum plauſtra! mentitur, quiſquis negat liberam eſſe Remp. litterariam, e qua omnes modeſtiæ limites tam facile videas migrare, quam vulpes pyrum comeſt. Taceo morſus, taceo dentes in tam

vana

vana pelle fatigantes se, an illos, magnis nugalibus, quibus valide valent.

TRANSEO AD *Partitiones Suetonij in* IX. *libros, ex Suida & Lampridio datæ, an a nupero ingenio, iudicio, vigilia, somnio.*

Non hic sententias, homines oderunt. Hem! date illis bibere, iracundi sunt. immo fugite. nam si tam pluat Iuppiter lapides, quam hi maliloquia, quæ excutiunt calamo longe citius, quam asparagi coquuntur, quo, quo?

Patrem Vespasianum Amores & delicias generis humani *dixerint veteres, an nouus orbe hariolator.*

Hic videas paratragœdiantes nobiles Tragicos, totisq; lateribus Tribunitium implorantes auxilium ad hæc Archytæ crepitacula, ad hæc serraca conuiciis plena: in quibus quid, rogo te, est magnum vicisse, si ab iracundia vinceris?

Atheneum: locusne fuerit studiis sacer, an Palatini Apollinis templum.

Musæ vestram fidem! tam crude Sicula certari salsugine ad hæc puerilia dicibula? tam furenter rem geri ad hæc folia farfari, vt argumentum credas tragicum ad Hippolytum, ad Oeteum Herculem?

Cancellarium: Ex ritu hic veteris, an nouæ Romæ.

De regno Galliæ (de Gebennensi podio) stare in acie credas illum pantosophomastigem, & e triuio magistellum; sed qui se tueatur calamo, vt arbitreris securibus. non inuesti pluma oblita illi ora, manusque; sed amentatis telis farta dextera.

Thebaicum epos Statius agone Capitolino commiserit, & in eo succubuerit.

Dignum

Dignum nobili calamo: non mage quam si ſcias, Hecuba, an Helena magis ætatem tulerit; Penelope, an Cleopatra verba ſæculo ſuo dederit; quatuor millia librorum Didymus Grammaticus ſcripſerit; Vlyſſes extra notum veteribus orbem iactatus fuerit, an in tam anguſto inter Italiam & Siciliam freto error potuerit eſſe tam longus;

Nutricem Anchiſæ, nomen patriamq; nouercæ
Archemori dicat, quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas.

Subſellia: pro ſcamniſne, in cuneos & gradus illatis, accipi poſsint, debeantq;: & aliud ſella, aliud cathedra.

Rogo te, quantum temporis inter Orphea interfuit, & Homerum: & hic in primo verſu litteras duas poſuerit de induſtria, librorum ſuorum numerum continentes. Quid? libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit: Sappho publica fuerit, an caſta. nam hæc non inferiora primis. adde

Nunc vbi Scipiadæ claſſes; vbi ſigna Camilli;
Aut vbi Pompeia Boſphora capta manu.

Frangere ſubſellia, *qua licentia Iuuenalis dixerit: quidve verba hæc velint, placuiſſe, an diſplicuiſſe.*

An non hoc eſt ætatem in ſyllabis conterere, & ad Ariſtarchi calamum aliena carmina compungere, vt audias, *O hominem litteratum! Sæculi ſui lumen; Italiæ, Galliæ, Germaniæ gloriam, delicias: quem omnes Muſæ, omnes Charites ſuum venerentur; quem Apollinem, quem Mineruam etiam Dij ament, honeſtentq; lauro.* Nimirum poſt crudas contumelias, poſt effrenatam conuiciandi libidinem, poſt præfidentem & infrunitam

maledicendi licentiam. quidni laurum characteristicis commentatoribus, litterionibus illis, criticis castigatoribus; quibus a marmore, ære, membranis antiqua fide, veteri glossa, vulgatis probatisve codicibus, a librarij manu, a coniectura, omnis Latinitas? qua duce, distinctionum errationes sustulerunt; melioris monetæ relectionem restituerunt; glossarum exerrationes rescripserunt; exterere ausos interrogationes retuderunt; forcillantes veterum fidem redarguerunt; loca prope innumera ab interpunctione, a capitalibus litteris laborantes, pristino nitori reddiderunt.

CAPVT XII.

Theologia ac Philosophia.

QVID ex omni humaniorum litterarum cognitione aut singulatim, aut vniuersim virum bonum faciet? quid ad virtutem viam sternet? quid metum demet, cupiditatem eximet, libidinem frenabit? oculorum infida naufragia, aurium insidiosa blandimenta, vocis in felle ac melle disparem decipulam nudabit fuco, excolorabit stibio? nam illa syllabarum angusta spatia ridet Virtus. sed neque ab hac supellectile vlla mens rediit melior; nec dubios, & in prauum inclinantes affectus reuocauit ad rectum.

Faciet hoc Theologia; quæ vniuersam, inter laxissima decoris sui spatia, Philosophiam claudit. atqui illam SOCIETATI (vide vim veri, etiam in hoste) concedit Arnaldus. Verba eius hæc sunt: *Vera professio* (SOCIETATIS) *est Theologia. Hic illi thesaurus est: in quo exercita-*

ercitatissima est; vt necessum sit fateri omnes illam in disputationibus huius scientiæ, aliarum reginæ, excellere. Habes fatentem reum Arnalde. Theologiam SOCIETAS adamauit, coluit, professa est; & in illa Philosophiam, sine qua nulla Theologia est. Et scis quid ab hac didicerit SOCIETAS? quid suos docta docuerit? solidissimæ mentis firmitudinem, etiam in ignibus eo altius secreta condentem, quo altior illa rimatur Caluiniana flamma, quo altius commissa quærit dolor. Hoc est esse viros. Vncus Gebennensis, exactor Rupellanus ensis, vngulis inactus leo, taurus cornu, serpens morsu, animas tollant: non maledicent, aut illorum sæuitiæ, aut primordiis rerum, quę tam sæua prodigia vngulis, cornibus, genituris spirantibus addiderunt. Quid quod in inflexa illa firmitate, minus alieni, quam sui sanguinis prodigi, non modo non gaudeant alterno; sed prosiliant etiam in inimicas dextras, fortius quam ad epulas e Nouiodunensi theatro liliatum illud tergum; fortius quam ad Candidę lectisternia ille, qui virum diu exuerat, post damnatum ad alienum sexum Audebertulum.

O vere magnos a Theologia SOCIETATIS alumnos! quibus nullum cum Caluino bonum in palato est; nullum in ventre, aut sub illo: qui beneficium generis sui non perdiderunt cum Luthero poculis; non remenso per os vino, non eadem via inuitis ingesta visceribus reddendo: quos nulla Flora, nullus infelix Audebertulus ad contumelias post Incesta Bezaica exspectauit conuiuia: quos nullus Sol, Luna nulla vidit Caluiniano more in templis adulteria componentes, inter aras lenocinia tractantes, in sacrariis a quinto Euangelio libidines ex-

æſtuantes: quos nulla terrarum mariſque vaſtatrix luxuria, noua docuit ſupplicia; miſerabilioremque ex femininis cruciatibus, quam ex fame maciem: quos nullæ Paſchaſinæ deliciæ, pecoris bonum, nullæ voluptatum officinę, moroſiſſimo corporis imperio ſubmiſerunt.

O nimis alte a Theologia cinctos animos! quos nulla diſcinxerunt latifundiorum diluuia, a quacumque inimica manu; non minę, non tormenta; non magis quam ſæuientes procellę, indignabundo in ſe refractu, leuiſſimo ſuperſtantis rupis excuſſu. Quin immo inter illas atras, a cruce, ab ignibus, ſæuitię nubes, lucebunt nihilo languidius, quam inter nubila Sol magnus. qui licet nobis non æque niteat, ſibi idem eſt, nec illi quidquam detraxerunt oppoſita.

O magnos a Theologia, magnos a Philoſophia viros! qui numquam ſe magis æſtimabunt corpore, quam veſtes arcula, quam vagina gladium, quam annulo gemmam, quam hominem ſuum vinculis.

O (& finio) generoſos illius contemptores, quod Caluinianorum verberat oculos, animos vrit; quod effodit, quod congeſſit inimica cælo cupiditas. quę, vt impleat arcam, numquam animum: vt laſſet tabularia, numquam pectus: cui Oriens, Occidens, & quod vltra, leue eſt: &, vt in immenſum prope creuerit, immiſſa in poſſeſſionem Prouinciarum, Regnorum; nũquam tam læta ſuo eſt, quam triſtis alieno. Apage hanc belluam, cui nihil ſceleratum, nihil turpe, quod cum pretio coniunctum eſt. Non pellent illam verba, nomina, phraſes, formulę, gloſſæ, membranę, librarij manus, interpunctiones, reſcriptiones. At Theologia, Philoſophia,

phia, etiam ridebunt hæc Caluiniana magna, vt detonsos barba capillos, vt velamenta nascentium docta manus; transsilientque lætissimo vultu, animo etiam lætiore tota Fortunę comitia: cuius tela, non veneno modo in extima parte tincta, sed quæ totos calices biberint, sinu excipient; vt iures plumas: aut valentius excutient in ipsam, in auctores: cuius immania iacula si inuolauerint, dissilient more grandinis, quæ incussa tectis crepitat, & soluitur non sine risu domini: cuius arietata inter se arma agminis densi si irruerint, rupem momorderint. vis vno verbo? ingruant, quæcumque ingeniosa tyrannis inuenit in dolorem; non dicam nimbum, stillicidium in mare immiseris. Maiora spondeo. si fortuna contra steterit, si robur omne despumauerit; clarescet magis ille a SOCIETATIS schola in puluerem deductus: effulgebit, si violatur; illustrabitur, si iactatur. Quod si post hæc illum Caluiniana manus etiam Oceano texerit, magno sepulcro; reddet ille commissa nitidiora, cum die sua publicabit retegetque sęuitiam, & hostile pectus, quod silentium sperauerat a tanto monumento; referetque citius, serius gratiam virtutis cultori, si modo non mentitus fuerit amorem suum. Vis scire bona fide, id est SOCIETATIS more; an simulata, Caluiniana nimirum perfidia, illam secutus fuerit? perfrica frontem, euelles stibium. Hoc volui; aduersis rade, & videbis. Veritas in omnem partem semper eadem erit; nihil addes, nihil detrahes: mendacium defricabis; solam superficiem tegit, nihil in alto habet solidi. An non miraris, quisquis hęc legis, Paschasinum Arnaldulum, a Nouiodunensi theatrali lilio, a Gebennensi pellicatu Scaurico

 hostem

hostem iuratum, SOCIETATI Theologiam ac Philosophiam dare? & in iis omnem nobilissimarum virtutum seriem, indiuiduo illis nexu æternum adgenitam? Magnum Veritatis robur, quod etiam nolentem cogat aduersarium in sui confessionem!

CAPVT XIII.

E SOCIETATIS Schola viri docti.

SOCIETATI Arnaldus obiectat *Barbariem.* at hæc fere nullis coinquinata mendaciis à mente lenocinij ignara prodit. *Sermonem triuialem, & serpentem.* numquam veritas secuta est fucum. *Dictionem inelegantiis obsitam.* damna rosas, quæ spinis internascuntur; ride mella, quæ per fauos currunt; calca saccharum, quod incultior cortex ambiat hæc suauia. Et prudens rerum æstimator admirabitur eum, qui solum verborum aërem largitur, tamquam nobilem pompam, rebus cassam & vacuam? At dictionis amœnitas mulcebit aures. Fateor: pectus numquam verberabit, minus implebit. læuigata selectibilium verborum compositio feriet illas; non nego: nullam satiabit mentem doctam. Vide Veteres illos, sapientię dico studiosos: non neglexerunt sermonis cultum, abiecerunt; cum arbitrarentur discincti esse pectoris, in seriis aucupari voluptatem. Hæc seria pertractat SOCIETAS, & prope cum malehabentibus; quorum quis non videat prudentius medicinam vulneribus infundi, quam sonos auribus? & tamen cultior dictio SOCIETATEM nudet, an vestiat, res ipsa loquitur; vt non sit opus manu mea. nam cum illi Paschasinus

gracu-

graculus omnem humaniorum litterarum ſcientiam adimit, negatque prodiiſſe e SOCIETATIS ſchola, qui mereatur diſcipulus dici neſcio quorum e Gebennenſi ludo magnorum Magiſtrorum; quis non iure bono exclamet, *O rem ridiculam, Cato, & iocoſam,*

Dignamq; auribus, & tuo cachinno!

Quid ais os impudens? in quo ſcientiarum litteriſtico genere vis deeſſe SOCIETATI indignos tuis? audebiſne pedem pedi, Gebennenſis leno? In Hiſtoria, Oratoria facultate, Latinę linguę peritia, varia cognitione, Poetica, Græcis litteris?

Audebiſne illo duriſſimo ore tuo, ex omni Gebennenſi ſipario vnum MAFFEIO committere? Vide dictionem pictam, & adductam; vernantem, & preſſam, & a multiformi æſtuatione prudenter acciſam: in qua cum nihil deſideres, tum nihil adimas; & tamen ſic cęſuratim ſuccinctam, vt profluat; ſic fluentem, vt rebus ampla, ſtricta ſententiis, cauſſam potius impleat, quam paginam. Hoc eſt eſſe in hiſtoria Principem. nam illam tuam in paucis eluuiem, quis dictione paullo generoſiore non oderit? non ſane minus, quam in paruo corpore longa velamina. neſcis illam veſtem decenter indui, quæ nec trahit puluerem, nec in humum demiſſa calcatur? Tu interim da Arnalde Maffeio non inferiorem, & mentire.

Iam vero TVRSELLINI calamum quanta comitatur vel flamma ſenſuum, vel vnda ſermonis nitidioris, & illius veteris Ciceroniani æui! nemo hic neruos, oſſa, muſculos, ſanguinem, colorem, nemo ad ornatum fluentes iubas deſideret; ita tamen ſtructas, & circumſcriptas,

vt nihil

vt nihil molle, nihil trahant Gebennicum femininum: plena sunt omnia virilis roboris. Designa huic Arnalde magistrum, & exue frontem.

Quid? MARIANI grauem & decoram constructionem, sonantia verba, splendorem, narrandique sublimitatem, copiosum ingenium in non impari materia, quæ non ætas reuerebitur? in quo ego quid primum, quid postremum referam?

Promptius imponam glaciali Pelion Ossæ.
Si partem tacuisse velim; quodcumque relinquam,
Maius erit.

Non taceo te carum caput. o velis! Quid partum celas mater? nescit vterus mentiri, virginem suam prodit. quid auara nimis manus ostentat vbera, nec vltra? Quid Tantalico ludis fonte? quid poma fugacia spargis? irritant hæc, nõ explent famem. Ergo aliquando deprome illud sęculorum reconditorium felici partu. Nemo ita amauit vteri sui noctem, vt nollet diem, cum posset. tu potes. o magnum! vno fecundo nixu & vterum amico pondere leuabis, & vbera fluent matrum deliciæ, & tot ætatum tenebras pelles hoc Phœbæo partu. Ne inuideas orbi, mi DECKERI, diutius hunc Solem, cuius radio conatus est ille ex Arnaldinis IV-viris omnem retro antiquitatem detenebrare. nebulæ erant, Ægyptiam induxit noctem. Tu hanc discuties solus, illa instructissima acie tua, Magne ductor sæculorum. nam ego, sola velitatione contentus, ostendam huic Elephanto non deesse e SOCIETATIS schola Tigrides.

Nec te silebo ACOSTA. qui licet

Periculosæ plenum opus aleæ

Tractes,

Tractes, & incedas per ignes
Suppositos cineri doloso

inter æmulas, nouorum orbe nouo mira felicitate Regnorum, contentiones: tam firmis tamen prudētiæ propugnaculis, tam certis ad quamcumque inimicam decipulam speculis dictionem vallasti; vt nec inimicissimis dentibus, etiam rupibus assuetis, locum reliqueris, cum pedestribus dicis historiis prœlia Cæsaris, prœlia Regis,

—— *nec indecoro puluere sordidos*

magnanimos Orientis Duces, & in ignoto veteribus Orbe Peruano, Mexicano,

—— *cuncta terrarum subacta,*
—— *ductaq; per vias*
Regum colla minacium.
Sed te mea quid partem animæ rapit
Maturior vis?

O dura necessitas! & tamen

Mens & gloria non queunt humari.

hac viues, æternumque viues;

Et magnum exiguo in marmore nomen eris.

POSSEVINVS, vt alia premam, an non irriguo illo sudoris sui fecundauit litterarios campos; e quibus leui iam manu carpat ille ad amœnitatem natus, læta; iste ad seueritatem compositus, tristia; alius ad pugnam factus, fortia? Quod si quis in tam generosa & audace varietate, aut in tám diuite seminario, e quo iuuentus orationum ac dictionis suæ horrea feneraria custodia cōpleat, quædam quasi sub vno capite, curiosiore delectu, substrata membra desideret; is meminerit, in magno corpore, ipsam magnitudinem interimere minutam illam

perpendiculi & circini deductionem. Ita terram totam ſphæricam eſſe volunt, interludentibus ad miraculum tam vaſtis, extraque ventos, pluuiam, niuem, grandinem poſitis montibus, rupibus: & quis neſciat, laxiſſima illa camporum, oculoſque fugientia, non iacere ſine ſilua ſua cædua? ſed & poſt delectiſſimam peritiſſimæ manus ſementem, Domino ſuo intercreſcere non ſemel eradicanda?

Quid ego te, BROVWERE, tuamque Treuirim! quamdiu premis non tegenda? quid abdis docto Arnemico ſinu Orbi propalanda? quid ter venerandæ Antiquitatis theſaurum tot annorum claudis inuolucris? ſi diſtuleris ſteriles hoſce campos imbribus tuis fecundare, ſi ſpinas noſtras illuſtrare tuis floribus; caue, ne dum pergis obſtinare, ſpinas ſentias, & verecundiam tuam, audaciam noſtram, accuſes ſerius. Et amabo, quid eſt quod terreat? *Nam te ſeu Latialiter ſonantem,*

Tamquam Romulea ſatum Saburra,

Seu linguæ Argolicæ rotunditate

Vndantem, Marathone ceu creatum,

plaudentes ſtupuere, quotquot ab ore tuo pendentes mirati ſunt delicias,

Mirati minus Atticos alumnos.

quid fiet, vbi te hiſtoriæ dederis? verius, vbi Orbi Treuirim tuam dederis?

Primos vix poterunt locos tueri

Torrens Herodotus, tonans Homerus.

Venio ad Oratores. Quid vis in illis? dictionem implentem aures, ſuadam, delinificam, rotundam, acrem, excuſſam? modo leuioris armaturæ rorarios æmulantem;

tem; modo, pressa structura, verbis grandibus triarios imitantem? Vis flumina? Oceanum dabo, siue illum in malacia, ad miraculum litora tamquam blandientis osculi tactu adradentem; tamquam per amicos pacis campos decurrentem, ridentibus hinc inde floribus, colorumque densa varietate, a mitiori spirantis Zephyri flatu, æmulo splendore intermicante, dum mutua se luce interimentes vniuersum fortius lumen tribuunt: siue per adfrendentia criminationum litora, æmulasque irarum & minarum rupes ludibundum. Vis etiam maiora? & in vno calamo ad prodigium blandientem Æschinem, Demosthenem rapientem, vernantem Hortensium, vincentem Tullium? PERPINIANVM vide, lege. Tantũ aude, Caluino nata soboles, olorinis huius cantibus, anserinos tuos garritus; aude lusciniali huius modificationi, fringultientium passerum tuorum susurros sociare.

Quid oris, quid ego pectoris ornamenta vestri, magne FVLVI, TVCCI, CARETTONI, CONSALVE? quid nec horrentem grauitate dictionem, nec venustate supra virum luxuriantem, nec extra masculos colores quidquam rebus obducentem, mirer, aut prædicem? Viuet ilicet, viuet nominis vestri gloria. Nam si qua fides chartis, sentiet ætas postera geminata felicitate canentes, dicentes.

Heus Arnalde! CAMPIANVS tibi Latine loquitur, an Anglice? CANISIVS Latine, an Germanice? SERARIVS Latine, an Saxonice? PERERIVS Latine, an Iberice? Quos tu mihi his, vere Magnis Viris, Latinitatis Magistros trades ex illo Gebennensi podio coronatos? Educ vnũ Campiano in tam potenti robore, ingentisq;

proloquij amplitudine, adductiorem: educ, in tātis accisę dictionis angustiis, rerū verborumq; neruosa densitate augustiorem; vt nemo prudentior stili æstimator nō stupeat, cum videat tam grandem gēmam, tam paruo auro stringi. *Eia Calliope, nitente palma*
Da sacri laticis loquacitatem,
Quem fodit pede Pegasus volanti
Cognato madidus iubam veneno.

Nam Campiano perorante, & Athenei quatiantur subsellia, & tota surgat Romulea concio. bene! docte! aræ & statuæ.

Educ CANISIO in totius eloquentiæ partibus, per salebrosissimos controuersiæ campos stilum trahēti, comptiorem, excultiorem. Et quamuis vt corporibus Lutheranorum plerique, ita sensu ac mente indolatiles, rigidiq; sint: amant tamen & suspiciunt in nouo hoc Germanię suæ Solone elegantiam, flores, lacertos. quos vbi intorserit, ——*rapit agmina Ductor*
Impiger; & torto Balearis verbere funda
Ocyor, & missa Parthi post terga sagitta.

Ac licet non diffitear dictum vere,
Inceptis grauibus plerumque & magna professis
Purpureus late qui splendeat vnus & alter
Assuitur pannus:

in Canisio tamen nostro tota purpurata textura est. Calca; extra purpuram nemo fixit pedem. Lustra; nulla, ne sutura quidem, non purpurea est.

Educ SERARIO in rationum momentis, totiusque structuræ firmitate certiorem. nusquam hic
Laxo pes natat altus in cothurno.

Sed

Sed tales crepidas ligare curat,
Quales Harpalyce, vel illa vinxit,
Quæ victos gladio procos cecidit.

Et circumfer oculos; videbis in vnum pectus commimigrasse, Firmicum, Medaurensem, Patauinum, Arpinatem, Plinios; quin & prouincias totas, Palæstinam, Græciam, Latium. Date hic

Date carminata socco,
Date dicta sub cothurno,
Date quidquid & Poetæ,
Vario strepunt in actu,
Rapit hinc & inde palmam

Serarius noster. Intuere flumina in verbis, pondera in sensibus, neruos in argumentis; in tota demum structura firmitatem, vrbanitatem. Sed & vide ex aduerso Vesonnicum molossum, dum distringit rictum,

Quam sæpe immeritos corrumpat dentibus vngues,
Et crepitum dubio suscitet ira pede.

Nec iam reperies ostentantem Catonianum supercilium rigidum, quo, modo inuidiam, modo ignorantiam suam fictæ seueritatis velamine tegat; sed lupanariam frontem, qua vtramque orbi toti retegat. cui ego, nec aliud: Qui ita malus est, vt intelligat bene scripta & damnet, hunc omnes docti rideant, & damnent.

Educ PERERIO in rerum tamquam perpetua sylua & verborum varietate spatiosiorem. Numquam in hoc Platonem, Socratem, Stoicos, Peripateticos, Varronem, Tullium desiderabis. Intuere hic philosophicas spiras ad miraculum enodatas. Intuere sub hoc toroso & masculo pectore calcitrantem exossem, elumbem, soloque fastu

ſuo magnum. Intuere ſub hac lacinia improbi paſſeris ſuſurros: ſub Iberico ſigno Petragoricum anſerē rauum. Et quem ego Pererio antique, an noue, anteferam?

Quid celſos Senecas loquar, vel illum,
Quem dat Bilbilis alta Martialem,
Terrarum indigenas Ibericarum?

neminem antepono, poſtpono plurimos.

Confer nunc his ſtipulas tuas, Arnalde, crepitantes, glebas tuas arentes, ceſpites ieiunantes: eritne quiſquam tam impudente lingua, quam tu calamo?

Quid DELRI, meorum quondam prime ſodalium? parco verbis lenocinantibus, parco ad amici gratiam comparatis. Profer Arnalde ex omni Gebennenſi acie, tamquam ab incircumciſo agmine, vel mille Goliadas; vnus mihi Delrius Dauid, & vrſos tuos ſternet, & leones tuos exungulabit, & lupos tuos edentabit, & omnem feram exarmabit; ſed & magnos illos IV-viros enſe illo faſtus tui iugulabit. Tantum aude: & ſi Latine intelligis, intuere dictionem variam, ſublimem, ſpei & rei plenam. Iam, ſiue grauidas ſpiritualium ſenſuum ſpicas, docta meſſe parturit; ſiue labyrinthicas philoſophicarum quæſtionum inſolubilitates, ſcientiæ ſuæ vanno euentilat; ſiue pro roſtris alte cothurnatus, omnem illam ad infima ſubſellia Caluiniſticam pullatam turbam deſpectat, pari in omnibus ingenio, pari ad inuidiam tuorum rictu, ne calce quidem dignum arbitratur ignauum moloſſum.

O quem ORLANDINVM, RICHOMINVM, RIBADENEIRAM, PLATVM, IVSTINIANVM, PONTANVM, BONIFACIVM, DE ROA, ALVARVM, VELLESIVM memo-

memorem? quaqua mens ſtilum tulerit, nihil in facundia Magnorum, nihil in ingeniis perquam fecundis facile perſpexeris iuxta politum. Flores, margaritæ, nectar, quidquid ſtillauerint. Pugnant, laudant, delectant, docent, narrant? nemo fortius, ornatius, ſuauius, clarius, breuius. Vide Arnalde, &c, ſi audes, nega.

Nec tranſeo te, VALTRINE, elingui calamo, quem, quaqua flexeris, doctiſſimum, eloquentiſſimum prorſus reperio: vt illum iure bono cenſeam poſt Varronianos & Agellianos cygnos gloriæ pennis euolaturum.

Ibitis & vos in paginas haſce meas amicitiæ noſtræ columina, HAYE & DVRÆE, illuſtria Scotiæ decora; GRETSERE, Germaniæ clarum nomen;

&c tu SCHOTTE, *potens prægnantis ouanti lumine mentis*
Scripta vetuſtorum detenebrare Patrum.

Haye & Duræe, controuerſali ſtilo acri & forti; Gretſere, magnis luminibus verborum & rei, crepitantis Athenei ſubſellia promerite; Schotte, geminato ſudore vtriuſque imperij, fortunate. Haye & Duræe, vrbano & comico, ſalſo & melleo, & a M. Tullij fonte puro calamo memorandi; Gretſere, excelſo & lacertoſo, recondito & ſententiarum pondere grauido; Schotte, puro & vario, ſuaque mole nobili. Digniſſimi omnes, quos plauſibus Roma proſequatur ſuis: digniſſimi quos æquęui, quos poſteri, ſingulatim, vniuerſatim, laudent, mirentur.

Neque interim ego te tacebo delicias Orientis, FRONTO, cui nec Frontonianæ illius veteris grauitatis, nec ponderis fulmen anteferam. quod ſi ad perpetuum illud dictionis flumen oculos conuertero; non aliud dicam, quam

quam a magno Frontone per succiduas, verius per transsultorias ætates, in hoc pectus tuum demigrasse. Iam illud altum in te, in magno TVRRIANO, PELTANO, PISANO, DAVSQVEO, BROVWERO, PONTANO, RADERO Græcarum litterarum, qua Arnaldus bolide pertentabit? inuadosum est hoc pelagus Gebennẽsi scholæ.

Sed neque tu LESSI,

Cuius prisca graues lingua reduxit auos,

altera pars victura mei, ingloriis abibis:

Priusque cælum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super,

quam promerita in me tua elinguis transeat pagina.

Nam sine te nostrum non valet ingenium.

neque te SIRMVNDE,

—— in æterna viuere digne rosa,

silentio inuoluo. tantum velitis, quod potestis; & nimis diu refugos digitos incudibus veteris officinæ, Orientis an Occidentis, pari felicitate admoueatis: si non puteat tota Gebennensis Orchestra ad vestram Laurum; si non tenebrescat omnis ille mentitus fulgor ad vestram lucem; speret aliquid in hac palæstra Paschasina noctua, sola doctorum inuidentia nobilis.

Quo animæ, & vltra, dimidium meæ;

Raraque non fracto vestigia puluere pendent?

Sperabas nimirum illa celeri fuga, cum vix campus euntem sentiret, fallere amicum oculũ? at nullus amor dormit, si amor est. & conare: non euolabis hoc gloriæ elementum, ni prius illius flamma senseris extremas pennas tuas tactas, nescio an non & ambustas. Et ego quidem non diffitebor, vereri me, ne aut adulationis suspicio veritatem

ritatem deuenuſtet, aut feneratam gratiam videat ambiuiſſe, aut denique verecundiæ tuæ repagula perfregiſſe, qui ſciam virtuti cognatum pudorem: ſed teſtes habeo viros magnos, nullo hic a me verbo rem adiutam. quare ſentiant, quod volunt, alij; tu tuo nos riga Oceano, magne MANARÆ, & fecundis Camœnis, a quibus non ſemel magnarum artium lac ſuximus. exple hoc pectus Platonico tuo nectare, mentem electibilium verborum denſo tripudio, aures patritio dictionis decore. tuis enim —— *ex, inclute, chartis,*

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea, perpetua ſemper digniſſima vita.

ac licet graues anni e melleis calami ſtillationibus non minimum ebiberint; quod reliquum, tamen tale eſt, vt nullus Colchus aut Theſſalus pari felicitate mœrores leuet, atque hæc delinimenta reliquationis veteris tuæ facundiæ. ita etiamnum incredibili quadam ſtili ſuauitate, quidquid tangis, polis: vt ſcribenti Homerici ſenis mella e digitis profluere, apeſque chartam floribus & nectare complere, multi mecum vſque ad miraculi ſtuporem magnis plauſibus ſint proſecuti. quare quoties tacitus ſtili tui munera e tam diuite penu reputo, Heſiodum cogito, quem volunt poſito ſenio in virides annos rediiſſe. euenit hoc felici dictioni tuæ, quæ non infrequentiores habet adoleſcentiæ roſas & violas, quã grandis illius ætatis liguſtra.

Quid ego te SCHONDONCHE? eloquar, an ſileam? ſeu libero inaras pede,

—— *ſeu condis amabile carmen,*

Prima feres ederæ victricis præmia.
O —— *quoties tibi loquenti*
Byzantina ſophos dedere regna!

Etiamne in illo inluſtri ingenio leuioris armaturæ Aganippicos verebere? an non vides trahentes muſcidos delumbeſque verſus? vincas licet varietate Luculleias, nobilitate Cleopatricas dapes, inuenient ignauiſſimi hi dentes quod mordeant. Nam te quis læta iucundius, quis facunda cultius, aut dixit, aut (quod liberrimum eſt) cogitauit? & inuenient interim hic non minimum ſinapi, quod naſum illis mordeat. deſternutent etiam animam; numquam ſermonis tui florida exſternutabunt paſcua: glomerent ſine ſenſu verba, ſub virili mento loquaciſſimæ anus; tu ne repercuſſione quidem dignas arbitrabere.

Silebo te, mi ORANE, in tam fecunda dictione, vt
Ipſe tuo cedat Tullius ingenio?
in tam incalcata totius ſermonis area?
Rara iuuant: primis ſic maior gratia pomis;
Hibernæ pretium ſic meruere roſæ.
in tam decora vetuſtate? Zoile, ſi quis eris,
Nullas in digitis, multas in carmine gemmas
Inuenies: inde eſt cultior hic calamus.
in tam diuite ſupellectile, rubenteq. ad inuidiam purpuræ? *Caſtus moribus, integer pudore,*
Velox ingenio, decore felix,
Caluinianos rides ſteriles campos; in quibus vel ipſi
—— *nolint iuga ferre iuuenci.*
Pingue ſolum laſſat; ſed iuuat ipſe labor.
iuuit ille dexteram tuam indefeſſam per Ribadeneiræ

pingues

pingues glebas. Sed o inexorabiles lanificos fusos! o nimium constans decretoria dies! abiit, cum quo fallere non indoctas, o quoties! lubuit noctes. At tu, non semel

Hic mihi curarum socius, blandumque leuamen,

meliora tenes, ad quæ nos suspiriosis votis inardescimus. interim audi, & accipe

—— nostri monumenta doloris:
Hic tibi perpetuo tempore viuet honor.

non alius, quam ego huic animæ exoptem,

Cum mihi supremos Lachesis perneuerit annos.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo;
Audiet hæc præsens venturaque turba, fuisse
Me Nisum Euryalo, Thesea Pirithoo.
Vos tamen o nostri ne festinate libelli:
Si post fata venit gloria, non propero.

Quid ego BECANVM, Musarum delicias, oscula Charitum? quem

Natum protinus, atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem,
Blando Calliope sinu recepit,

fouit, & mitior iam matre quæ excusserat, inter lallantis dulces tenerosque vagitus Cabalino lactauit fonte. Quid MVLHVSINVM, non imparem robore? Quid vtrumque inter Aristotelicos artifices maturosq; nexus Atticissantem? Hic blandientes Æschines, ibi vernantes Hortensios, vtrobique suadentes Tullios, nobili studiorum ingeniorumque parilitate videbis. O quam argute Heydelbergicas illas immanitate barrinas aures media luce concussas ridendas propinarunt Orbi!

Quid IOANNEM DAVID? Intuere Lector, quantis ille manubiis literarum ærarium nobilitauit. Nec eruderat, si quid forte seculorum superiectu insorduit: sed ignoto veteribus vestit baltheo; eo maiore admiratione, quo nullo duce, nouitio hoc cinctu prouocat Lectorem, non tam ad plausum, quam ad lacrymas & suspiria ceruicum humiliatarum. Et laudet sane magnus Sollius in Palæmone diuisionem, grauitatem in Gallione, in Delphidio copiam, teneritudinem in Adelphio, singula in singulis; ego omnia hæc in hoc vno: addo elegantiam Terentij, acumen Plauti. Neque ego hoc solus: verum quotquot mecum Musas olent: quotquot artium cognitores mirantur artifices veteris in hoc peritiæ, pompę, venustatis, vrbanitatis, non iam resedisse vestigia, aut non illaudatas vmbras; sed vniuersos se in hunc alueum inexhaustæ facundiæ fontes profudisse, vno veridicoque prædicant ore.

At vos sidera quid orba gemitis, numeri, mēsurę, radij, perpendicula, circini? Atlantes, Chrysippos, Euclides, Archimedes, Vitruuios, rediuiuos dabo in CLAVIO, GRIMBERGERO, VILLALPANDO, HAYO, RVBEO, ROMANO, MOIGNONO, AGVILONIO, MALCOTIO. Designa his Magistros, & aude terram calcare.

Magis etiam forte, Arnalde, Philosophos desideras, non infantes. Habes FONSECAS, PERERIOS, SVARESIOS, CONIMBRICENSES, RVBIOS. Vide quam late patentes campos, hamato licet syllogismorum vomere tribulosos, vernantis tamen non inelegantiæ flore quaqua parte perpingant; vt lectoris mentem, per ardua Philosophiæ fastigia lassatam, voluptuosis excessibus,

quasi

quaſi quibuſdam pelagi ſui portibus, foueant. vide, an non *Hos pia Cecropiæ comitetur turba Mineruæ:*
Hos ſecreta quies, hos ſophos omnis amet.
Da non impares ex omni Caluiniano grege, & ſaluo colore Solem intuere.

Quòd ſi ex Philoſophico ſtudio, & ex illo Theologię mari magno, nobiles athletas, cælo terraq́ue inluſtrioribus Olympicis, Pythiis, Nemeis, Iſthmiis, verticem diſtinctos coronis, vno calamo ſtitero; in quem te angulum, mus Pariſine, arroſor omnis eruditæ manus, proripies? Dicerem *Deças, Molinas, Suareſios, Vaſqueſios, Leßios, Valentias, Sanchios, Riberas, Salmerones, Pererios, Maldonatos, Toletos, Prados, Villalpandos, Viegas, Pinedas, Bellarminos, Turrianos, Hayos, Caniſios, Buſæos, Serarios, Tyræos, Lorinos, Mulhuſinos, Becanos, Henriqueſios, Azorios, Saios, Alcaçarios.* Sed & adderem centenarios alios, nec animis, nec ingenio, nec impares dictione. Audebiſne, tortuoſe coluber, ex illo venenario tuo anfractu, irrita, aut non niſi in caput tuum caſura venena ſpargere? Audebiſne, Philiſthęa vulpecula, ad tam alte cinctos adringere? Audebiſne, Arcadiæ germen, ad hos Soles adrudere? Reſpondebis te SOCIETATI Theologiam ac Philoſophiam concedere.

Heu ſimplex nimiumque rudis, qui callida dona,
Arnaldique dolos, variumque ignorat Vlyſſem.

nimirum vt liberali huius conceſſionis cortice fucum facias; perſuadeaſque incauto lectori cum veritate te SOCIETATI litterarum ſcientiam adimere, cui cum eadem Theologiam ac Philoſophiam concedas. At ego iam diu diſcuſſi has nebulas potentiore lumine.

Et tamen vnum te volo: cum hæc resorbenda euomeres in chartam, sciebasne IVSTVM LIPSIVM è SOCIETATIS Coloniensis schola Oratorem processisse, & Philosophum? Quid dicis cimex Gebennice, illo tuo scarabeo morsu, scorpiaca cauda? LIPSIVS ne dignus tibi Magistellis tuis discipulus? Nullam ego amico pectori appingam laudem nouam; nullum attexam florem e SOCIETATIS horto; nulla ementita, sed nec amica meritaq; purpura vestiam: natiuo colore & splendore lucet suo, non alienæ manus: albet illud candidiore viola, & adamante suo; flauescit nymphæa, & hyacintho sua; cerulescit aquilegia, & sapphiro sua; virescit lauro, & smaragdo sua. Et tamen non taceo sensum tuorum. Scaliger illum fatetur *litterarum sæculi nostri lumen*. Casaubonus, *præstantissimi ingenij eruditissimum & clarissimum virum*: Gruterus, *amorem Musarum*: Dousa, *Senatus eruditorum Principem doctissimum*. Quid tu catelle Paschasine? Pallet: etiam impudentia colorem mutat. Eruesne aliquem ex omni Gebennensi turba Marsyam, qui audeat in hunc Apollinem tibiam? Tacet. nec nouum:

——quid enim contendat hirundo
Cygnis? aut quidnam tremulis facere artibus hœdi
Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis?

An non tibi cygnus LIPSIVS, in hoc litterario campo, inter Caluinianos anseres rauos? non generosior equus, inter strigosos tuos meritorios? Sed & intuere mores infra Fortunam celsi illius ingenij in omnem modestiam compositos, & videbis, an non, quod præfert nomen,

Secuta morum regula:

Siue

Siue ille venturi ſciens
Mundi ſupremus arbiter,
Qualem creauit moribus,
Iuſsit vocari nomine.
Nomen datum præconiis,
Vitaque teſtimonio.

At tu flecte ad hoc nunc nomen mea Muſa vota.

Iuſte o gloria temporum tuorum!
Juſte o Caſtalidum decus ſororum!
Noſtris otia commoda Camœnis;
Nec torua lege fronte, ſed remiſſa.
Sic forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni.

Sed & tu perge liber: inuola in illius ſinum, quo

Nil exactius eruditiuſque eſt,
Sed nec candidius, benigniuſque.
Si te pectore, ſi tenebit ore,
Nec rhonchos metues maligniorum,
Nec ſcombris tunicas dabis moleſtas.

Heus Paſchaſine cucule! Viperanus, Botterus, Bullingerus, Maſſo, Genebrardus, Correa, an non creuere ſub docto SOCIETATIS pollice? Et hos ne congreſſu quidem dignaberis alicuius de Caluiniano podio coronati aurigæ? apage inuerecundiæ ſtabulum.

Quid dicis Phrygię monſtrum? non tantum tria Gallię iugera, ſed & Auguſtam Vindelicorum egeſto polluis fimo? Magnum Velſerum damnabis infantiæ? Vide paginam perpetuo thymo odoratam, quæ moroſiſſimi etiam lectoris acetum detergat; quæ ſtomachi quantacumque eſuritione exaſperati, ſuper dapales cenas, conuiuia

uiuia Saliaria, fastidia leuet. quamquam linguæ tuæ absinthium tanto videam felle oblitum, vt nec Oceanus illabens eluat. Tu interim, perge Arnalde, perge, solis Magnorum adrosionibus decantande: Pete hunc Atlantem; vltra nubila caput condit: Spera hic inherbidum solum; in floribus semper, & omni vernum die est: Ventos imprecare; nimis illi certus honor consedit in portu iudicij publici.

Et vellem hic, mi Velsere, laxiore, vellem cothurno nobiliore;

Si quantũ cuperem, possem quoque: sed neque paruum
Carmen maiestas recipit tua; nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.

Iam Robertus Turnerus, Stanislaus Rescius, puerine tibi? seu se Laconica breuitate colligant Menelai; seu verba sensibus glomerent Vlysses; seu mulcendo potius quam extorquendo rapiant Nestores; an non tibi, aut magni agminis ductores, aut inexspectatæ gloriæ victores, aut nouæ suadelæ aucupatores videbuntur? immo cum dictionem illorum fortem, & nullo non flore vestitam intueris,

Non tibi barbaricæ vestes, Melibœaque fulgens
Purpura Thessalico concharum tincta colore, &
Aurea pauonum ridenti imbuta lepore
Sæcla, nouo rerum superata colore iacerent?

VWENOS vero fratres, Henricum & Iacobum, seu linguã caussis acuant, seu ciuica edicant iura, an non elegantes, sublimes, validos reperies? adfert enim vterque ingenium eruditum, excelsum; dictionem tersam, grauem, & fere ingenti spiritu erectam, in qua multa lectio, multa

multa elucet ſcriptio. Scrutare abdita; illi theſauri ſunt: vetera; omnis ibi antiquitas ſedem fixit. Et tegunt hanc eruditionem tam placidis moribus, vt non mireris altitudinem in tanta malacia. Quę cauſſa, vt gradu ſe ſuo contineant; tardiores enim progreſſus habet verecundia, facitque vt intra honoris ſui merita maneat. Addo inter ingentes reipublicæ motus atque inæqualem ſtatum, gratiæ prope ſemper fuiſſe æqualis. Quoties alter ſeculi noſtri ſenſit Catilinas, fortunas, ſanguinem miſerorũ, non iam publicantes, ſed miſcentes, haurientes! & ſtetit tamen inambuſtus, nec patriam dimiſit, nec capillos,

Solis moribus inter arma tutus.

Viue meliore digne ſęculo, populo; contraq; hæc fortuita, vt facis, virtute te & ratione anima, ſpe meliorũ. ſæpe enim titubantia in ſolidũ conuerſa ſunt; nec hominibus hic quidquã æternum eſt. voluunt namque mortalia vices crebræ, & omnium rerum fuga fit. Felix ille, quem nulla actuum culpa fuſcauit, quique nulla mercede calami aut oris ornamenta corrupit. nam Fortunæ licentia (quæ interdum optimos decolorat) expectationem magnorum non raro infringit. At hanc in integrum cum bono Deo ſęculi huius beatitudo reſtituet.

Exſpectas fors, Arnalde, citos Iambos, Elegos acutos, rotundos Hendecaſyllabos? Exſpectas carmina fonte & fronte ſudata, muſicos flores thymumque redolentia, quæ quoſlibet lyricos Dithyrambos amœnitate poetica, hiſtorica veritate, ſupereminеant? ſed & æque liberam ac ligatam ambifariam intonantem facundiam; vt iures omnem Gebennenſem ſcholam, cum hac compoſitam, putere? BENCIVM, STEPHONIVM,

NIVM, REMONDVM, FRVSIVM lege.

Fortunati omnes, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vmquam memori vos eximet æuo.

Quanta est Remondo altioris elegantiæ cothurnata maiestas!

Quanta quies placidi, tanta est facundia, tanta;
Sed cohibet vires ingeniumq; pudor.
Cum siccare sacrum largo Parmeßida posset
Ore, verecundam maluit esse sitim.
Et tamen hunc nostri dic temporis esse Tibullum.

quantum in Stephonio gemmeæ dictionis lumen!

Casibus hic nullis, nullis delebilis annis
Viuet, Apelleum cum morietur opus.

quanta in Martyribus Bencij clarioris sideris radiatio!

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter;
Omnibus inuideas liuide, nemo tibi.

quantus in Frusio lepos!

Quam multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore!

Negat Arnaldus hos esse poetas? neget:

Non nimium curo. nam cenæ fercula nostræ
Malim conuiuis, quam placuisse cocis.

Vis & in hac palæstra a Belgico solo viros magnos?

Quo Musa tendis? desine peruicax
Magna modis tenuare paruis.

COTTAM canimus: tu, quisquis es e Gebēnensi scena,

Caue, caue; namque in malos asperrimus
Parata tollit cornua;
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo,

An,

An, si quis atro dente te momorderit,
Inultus ut flebis puer?

Longe hę lacrymæ a tua manu: qui

—— magnus quanto mucrone minatur
Noctibus hibernis, & sidera terret Orion;

tantum valentiore dextra exsurges in spuria hæc Gallicanę Ecclesiæ vitulamina, e Caluini corio post infandos Gomorrhæos hinnitus desudata: modo ne diutius in hoc obscuro iacentis famæ recessu delitescas. An supercilium rigidi plosoris extimescis? spinę sunt: quid metuis rosa? Liuentes Busones sunt? immitte Phalangium. Reptiles cochleę sunt? vinces aquila; & omnes has feras, vernaculis implicaturis suis præcipites in retia sua implagabis. acrium Medicorum more, qui remedium contra venena etiam de serpente conficiunt, tu de his vipereis linguis, ex eadem schola risus & ioci nexus nouos, quibus irretitos teneas hos Democritos. Quare perge; Tiberinum aurum, aut Varroniana graui, aut Sallustiana prodigiosa, aut Tulliana florida incude finge.

SVSIVM canimus:

Thrax vates, Deus Arcas, atque Phœbus,
Omni carmine posterant; & ipsas
Musas non ita musicas putares.
—— nec enim altior ulli
Mens hausto de fonte venit:

cui ego, & quotquot mecum,

Indocinnamon ex rogo petitum,
Quo Phœnix iuuenescit occidendo,
Costum, malobathrum, rosas, amomum,
Myrrham, thus, opobalsamumque

damus; nectimusque meritam capiti coronam.

Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
Cuius Pimplæo lyra clarior exit ab antro?
Quem plus Pierio de grege Phœbus amat?

qui & illo florido dictionis suæ afflatu, illo sentẽtiarum, rerum, verborum põdere, omnem aerium Caluinianum bracteæ fucum, ridendum propinabit orbi: tantum ne supra decus ætatis nimis altum placeat otium. Maiora cogita, mi Susi, dictioneque illa tua magnifica tona & fulgura; similisque niuibus hibernis, largitate, latissima camporum, montium prærupta, contege. Nec te moueant circumlocutionibus indigestis, omnis grandioris eloquentiæ Thersites: quibus cum ratio desit, ad effrenatam descendunt conuiciandi licentiam. ex his plerique adeo sunt rudes, vt, si superioris sæculi viri docti inciderit nomen, piscis aut peregrini edulij genus, Insulam serpentis Epidaurij, aut Æthiopicos scopulos arbitrentur: cumque perpetuo admorsu eruditissimi cuiusque calcaneum premant; animos iuuenum ad magna surgentes, tamquam pestilenti quodam sidere afflant. vnde fit, vt semel intercisa generosæ illius dictionis regula ab hac pestilente febre, penitissima cordis medullarumque secreta depopulante, numquam in virile robur succrescat. At tu contemne hos humillimi spiritus dentes, ventosam Asiæ loquacitatem, plebeiam verborum vilitatem; vt ex vero dicas,

Odi profanum vulgus, & arceo.

Audiant hæc omnis melioris textrinæ tineæ & blattæ; videantque in omni dictione tua, non vestem nauticam vno textu vilem, sed ouantis Imperatoris magni: quam

cernes, perpetuo auro gemmiſque inerrantibus, ad miraculum, lucemque mutuam, ita per omnia variam, vt tot prope in hoc textili cælo reperias ſidera, tamquam in æmulam inuidiam aſſurgentia, quot eruditæ manus ductus.

BONFREVM canimus:

Non ſic fulminis impetus triſulci,
Non pulſa Scythico ſagitta neruo,
Non ſulcus rapide cadentis aſtri,
Non fundis Balearibus rotata
Vmquam ſic liquidos poli meatus
Rupit plumbea glandium procella;

atque hic, Venuſina digniſſimus lucerna, æuoq; cedens, non ſtilo, omne Caluinianum germen, rudes Camœnas, altiore proteret calamo. iacebit ſub hoc inglorius

Imago Fortunæ ſuæ
Canus, comoſus, hiſpidus, trux artibus
Terentianus Phormio,
Horrens capillis vt marinus aſperis
Echinus,

poſt tot ætates, tot ignauas hiemes. Sed quādiu, Bonfree, aquilas tuas, tamquam columbas, cauea contines; nido curas? *Non deerunt Zephyri, ſi te dare vela iuuaret.*
Sed tu litus amas.

an horres æmuli lectoris venena? an dentes, quorum admorſu vraris? ſeclude caſſas has formidines, ſtiloque indulge; vt ieiunia multorum ſuſtentes. ni facis, minabitur hæc quies tibi rubiginem. Videſne non eodem motu flumina de ſtagno ſerpere, & de fonte properare? omne quod in curſu eſt, viget.

ROSWEYDVM *canimus, fauete linguis:*
Vestra est illa dies; fauete Musæ,
Dum qui vos geminas tulit per artes,
Et vinctæ pede vocis & solutæ,
Romani colitur chori Sacerdos.

Erige te, Rosweyde, ab illa tunicata intempestiua quiete, sterilescentesque Vtricesios campos imple libera ligataque felicitate. Nihil te moueant hi alienæ eruditionis ludiones: Vnde huic torosa & mascula dictio? vnde illud loquendi genus perantiquum? vnde proprietas hæc in epithetis, pondus in sententiis, flumen in verbis, structura fortis? Permitte hos sibi ferularum sediliorumque vilissimorum fractores, omnis aureæ conuenustationis risores, omnis gemmeæ condecorationis contemptores.

Expergiscere mi GOVDA, & ad maiora se pingui otio marcida attollat manus.

Poscis ab inuita verba pigenda lyra.

Suauius intonat coacta: aggredere modo,

—— *qui quotidiana*
Saxa & robora, corneasque fibras,
Mollis dulciloqua canorus arte.

Nec verearis illos obtrectantium molares: quibus, si quid dictum simplicius, insanimus; si quid exactius, præsumimus: si de triuialium barbarismorum rubigine Latialem proprietatem vindicamus, decoloramur calamis magnorum inuidentia inebriatis, ipsoque liuore, tamquam Syllano morbo, nigrescentibus: si castam in hanc diem e Ciceronis custodia dictionem propalamus, spurcamur maledica oblatrantium illuuie, qui granditer sibi viden-

videntur facetiari, si nescio quibus theatralibus probris, omnis obliti pudoris, petulantis linguæ fæce barbam & chartam polluant. Dabo aliquid Apuleiani fulminis, Frontonianę grauitatis, Tertullianei roboris? bellis istis de triuio Magistellis videbor rusticari, ridebuntque Halarium veterem noui Falcones. Si rerum, si verborum diuitissima Sidonij prolocutione meritos propalauero; si vernantis Pliniani eloquij flore chartam molliuero; si Rheni, Mosæ, Scaldæque potor, tamquam Quirinali impletus fonte, cum Symmacho Tiberim ructauero; subito se dens, colorque satyricus admiscebit; arboresque illæ steriles erucas iaculabuntur, venena spargent. Et vide hos, rogo te, in alienis viperas; in suis statuas, cochleas, rupes: ad facetias, vrsos; ad fastum, minotauros. quibus si quid scribendum, dicendum, procedunt albati ad exsequias, pullati ad nuptias: at in alienis, hic mellis plusculum, ibi supra modum piperatæ facundię, alibi eloquij maior libertas, aut supra vulgi regulam citatum ingenij fulmen.

Saturni aurea sæcla quis requirat?
Sunt hæc gemmea; sed Neroniana,

sed canina, colubrina. At tu perge mecum audire hæc arbitria superciliosarum frontium. Nollem tantam grauitatem; nollem hanc ad vnguem Quinctilianam acrimoniam, pompam Palladij, moram Fabij: fastidio dissimulamenta Crassi, suadelam Catonis, constantiam Appij, torrentem Tullij. Quid amatis ergo, viri boni? aliquid a Trossulis, aut Graiorum crepidis

—— tenerum, & laxa ceruice legendum?
Torua mamilloneis implerunt cornua bombis:

anne

anne hoc vobis [illegible] molle? hæc fierent, si sanguinis

—— vena vlla paterni

Viueret in vobis?

Ta[illegible]. nam quidquid dixero, scripsero, videbis hic canes aut latrare, aut hirrire; aut maledicendi nescio qua vrtica fatigatos, puerilium verborum spuma chartam conspuere. Eia permitte has sibi Getides anus. tot maria transmisimus, etiam stagna hæc pernauigabimus.

Sed quo ego te calamo ANGELINE?

Quo? qui venustos vberi facundia
Sales opimas ....
Cauesque, ne sit tristis, & dulci carens
Amara concinnatio.
Qui felle carmen atque melle temperans,
Torpere Musas non sinis.

O te vere magnum!

Dum ludos canis, arduaque voce
Das solatia grandibus sepulchris.

In quo ingenij simul dolorisque velis latissime vectus es. nam dolori ingenium sublimitatem & magnificentiam, ingenio vim dolor addidit. Vere te magnum, qui, quod alij docentur, tu natus videris! tantisque salibus Atticis paginam adspergis, vt quamuis magnam famem frangas; siue illam Tullianę festiuitatis melle proritatam; siue istam Sallustiano robore & recondita celsitate prouocatam.

Quo te BALDVINE? neque enim his te meis

Chartis inornatum sileri,
Totve tuos patiar labores.
Facunde, docte, lingua & ingenio celer,

—— more

—— more torrentis freti
Epos ligasti metricum.
Vt nullus æqua lege liber carminum
Orationem necteret.

Pone ergo cogitationes felicis otij : videat orbis calami tui condimenta, qui nec grauitate horret, nec luxuriat venustate, nec riget vetustate; sed germanos colores obducit rebus; tantoq; paginam eruditionis oblinit melle, vt quamtumuis æmula mens lethæo poculo mergatur.

Æternabisne mi RISERI, cum

Nec Mausolei diues fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacet?
Aut illi flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent:
At non ingenio quæsitum nomen ab æuo
Excidet. ingenio stat sine morte decus.

Ita est: & stabit tibi clariore posthuma penna, cum illæ Caluinianæ vel a fasciis & cunis flatu fugient plumæ. tantum influe in arentes Batauicas venas dictionis tuæ flumen: quod aut Tulliani cursus festiuitate, aut Liuiana diuite copia, aut Taciti perpetuo sale, Caluiniana rideat monstra, nouas Galliȩ Leucrocotas. æmulentur licet Christianos sonos, efferæ bestiȩ sunt. perge modo: videbis faustum acclamantes:

Cedite Romani scriptores, cedite Graij;
Nescio quid maius nascitur Iliade.

Neque ego diutius DAVSQVEIVM premo. vide quam denso pede, non iam semitas, sed impleat iugera, quoties Latios prosciderit campos, nobilioris calami vomere!

Quotiesque verba Graia carminauerit;

 á qua-

a quacumque doctiore mente iudicabitur

Tenuisse celsa iunctus astra Pindaro,
Montemque victor isse per biverticem,
Nulli secundus inter astra Delphica.

Quantum rerum, quantum sententiarum, quantum antiquitatis in vno pectore! qui, quidquid in annalibus fidele, quidquid apud Grammaticos eruditum, quidquid in poetis varium, vnus hausisti iustus heres veterum litterarum.

Sed neque BOVLLIVM tacebo: quo

——*non potior fuisset olim*,
Qui Pandioniam mouebat arte
Orator caueam tumultuosus.

In quo nihil non excelsum, exsultans, suaque densitate nobile. nulla hic pagana simplicitas; neque solus vrbanus lepos; sed ter venerandæ antiquitatis scrinia tota: quæ nisi excutis, aucupabimur nundinas inuolantium, sarcinasque totas, vel subornantibus nobis, arguta effractorum manus populabitur; moueberisque frustra spoliatus furto, si nunc rogatus non moueris officio.

Et tu TRIGAVLTE, ——*quamuis*
Infra Lucili censum, ingeniumque; tamen te
Cum magnis vixisse, inuita fatebitur vsque
Inuidia; & fragili quærens illidere dentem,
Offendet solido.

Quo magis hortor, vt quam plurima proferas, quæ imitari omnes velint, paucissimi possint. Neque te terreant e nuda Ouidij aut Ciceronis schola Harpyiæ. laxa eloquentiæ frenos; ne illorum angusto gyro ingenij impetum refringas.

Quid

Quid ago? *Spargite me lymphis, carmenq. recẽtibus aris*
Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.
Jte procul fraudes, alio ſunt aëre noxæ:
Pura nouum vati laurea mollit iter.

BVCHERIVS hic eſt: qui Pegaſio fonti,
—— *puroque ſimillimus amni,*
Fundet opes, Latiumque beabit diuite lingua.

Videbis narrantem apertè, pugnantem acriter, colligentem fortiter, ornantem excelſe, docentem, delectantem, mouentem.

Quo Muſæ? quo *Vocalis citharæ repertor Arcas?*
Et tu Baſſaridum rotator Euan,
Et Paan, & Hyantiæ ſorores?
Lætæ purpureas nouate vittas,
Crinem comite, candidamq. veſtem
Perfundant ederæ recentiores.

Quis enim non videat in SVEVEZELIO noſtro dictionem omnibus ſubſtructam ornamentis; nec fluxu citatiorem, nec mora tardiorem? nihil in illa pictum; natiuo colore ſuo, etiam ad ſanguinis ſuffuſionem, vt caſtimoniam mireris, contentam; & vtriuſque tamen Romæ gloria claram. Iam pectus intuere, quod, quoties aliquid abditum quæres, tibi theſaurus erit. Viue diu felix
—— *Amyclea frontem redimite corona,*
Qui quatis Auſonia verbera Graia manu.
ergo victuras oſtenta chartas,
Quantaque Pieria prœlia flare tuba
didiceris ſub erudito SOCIETATIS ore.

Quid tu, mi MAXIMILIANE, æternum Pythagoriſſas?
Exſpecta, dum maior honos, dum firmius æuum,

Dum roseis venit vmbra genis, vultusq; recedunt
Ora mei: tunc tela tibi.

Odi hanc moram: nam ad illa ipsa,

Quæ primo iuuenis canis sub æuo
Ante annos culicis Maroniani,
Cedet Musa rudis ferocis EnnI,
Et docti furor arduus LucretI.

Tu tantum, siderum Sol Princeps,

Sparge diem meliore coma; crinemq; repexi
Blandius elato surgant temone iugales,
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem.

Denascitur enim tibi sidus nouum, quod in tam vario, tam multiplici ingenio, seu meditata, seu subita proferat, ostentat grauem & decoram dictionem, sonantia verba, & quodam altiori fulmine aures ferientia, implentia. Hic si splendorem, si narrandi sublimitatem, si pressam & circumscriptam adductionem intueor, quidquid dederit, ianuam Famę reserabit. & licet raram faciant misturam cum eruditione altiore exumbratę genę, inueste mentum; omnia tamen in hoc maiora sunt ętate. Imitare proinde, Maximiliane, priscos mores, cum nuda adhuc Virtute primum certamen foret, ne quid profuturum sęculis diu lateret.

Nec te ROBERTE silebo. tantum

J bone, quo virtus tua te vocat; i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia. quid stas?
Qui nihil expositum soleas deducere, nec qui
Communi ferias carmen triuiale moneta.

Eia aude: audentes Musę iuuant. nihil in te humile, aut sordidum, aut e medio petitum; video musculos, neruos, sangui-

ſanguinem, ſed & iubas ad varietatem, non illas ementitas catulorum, ſed leonum generoſiorum. quid ergo metuis? ne infantię publices maciem, tot equeſtrium, tot pedeſtrium voluminum numero circumſeptus? protrude hunc vanum metum: & ſimul redde illis largam vſuram, qui tibi tantum litterati fenoris crediderunt; effunde totos aquæductus, ciſternas, fontes, puteos: redibunt in caput tuum facunda hæc oris pectoriſque decora. nil, Lector,

Nil ibi plebeium; nuſquam Temeſea notabis
Æra: ſed argenti felix propellitur vnda,
Argentoque cadit, labriſq; nitentibus inſtat
Delicias mirata ſuas.

felix vnda dictio nobilis, cui rerum diues innatat copia, fecundis ad miraculum ſui numeroſarum clauſularum ſepta labris.

Tun', CAVCI,

Ante fores ſtantem dubitas admittere Famam,
Teque piget curæ præmia ferre tuæ?
Poſt te victuræ per te quoque viuere chartæ
Incipiant: cineri gloria ſera venit.

Incipe magnis animis,

Plena laboratis habeas cum ſcrinia libris.

Sin pergis obſtinare in hac patenti nominis & gloriæ arena: tamquam ſi excuſſura quemcumque catulorum Parthi raptoris collo orbata tigris ſuperemicet; ſic ego non maxima de maximis defruſtans, ſed tota manibus pedibuſque volaticis expilabo ſcrinia.

Quid BAVHVSI?

Tun' ſolus veteres Myronis artes,

Solus Praxitelis manus, Scopæque,
Solus Phidiaci toreuma cæli,
Solus Mentoreos habes labores?

Habet tecum VVANSINVS meus, cum quo morantem ſæpe diem, ſæpe noctem fregi doctiore penna. O quoties, pendentes a benigna ingenij oriſque illius vena, nouas vidimus interire Lunas! quoties Heliconides, Pierideſque, Phœbos, Bromioſque fecundo illius ludentes ſenſimus pollice,

Nympharumque leues cum Satyris choros!

vt iure bono magnoque

Sublimi feriat ſidera vertice.

tu enim mi Nicolae, ſi qua viuet grata poſteritas, tu pace, ——*tu nube ſub ipſa*
Armorum, feſtasque ſuper celebrabere menſas.
O ſæua nimium graueſque Parcæ!

eriperis in medio curſu, ætate, laboribus, ſtudiis; integiturque tumulo tecum Maronianus ſtilus grandior,

Et quo tu Latium beas, Horati,
Alcæo melior lyriſtes ipſo.

O moriendi neceſſitas! quo vitæ hæc rota ducitur?

——*ſummis*
Cur plus ardua caſibus petuntur?
Cur ſæua vice magna non ſeneſcunt?

Rapitur THVNESIVS Atrebatium decus, PRIELIVS Aduaticorum gloria. Quanta in his eloquio pectora!

Vt rapidus torrens animos cui verna miniſtrant
Flamina, & exuti concreto frigore colles,
Cum vagus in campos, fruſtra prohibentibus exit
Obicibus:

Ita

Ita magni hi Verbi diuini Præcones, colles, montes, ſolique peruias Deo mentes tranſcendunt, tranſadiguntque potẽtiſſimi numinis gladio, fulmine; vt nullo tam potẽte Capaneus ceciderit, atq; his perorãtibus rupea ſcelerum denſata frequentatione pectora. O quoties tauros victimas caſtitatis incenſo adoleuerunt! quoties luxuriantes cõſcientiæ pedore pollutos tamquã hircos pudicitię ſecuri mactarunt! quoties totius dictionis conſtrictas vinculis ſuperbas ceruices immolarunt! quoties æſtuantem aruinam ieiuniorum detoſtam igne in quadam temperantiæ ſartagine conſecrarunt! Quod ſi quando feria amœnanda forent iocularibus, nulli vrbaniores Comici,

Verborum violis multicoloribus.

quos *Si ſpectacula ceperant theatri,*
Pallebat chorus omnis hiſtrionum.
Tamquam ſi Arcitenens, nouemque Muſæ,
Propter pulpita Iudices ſederent.

vt iam non immerito lacrymis

——mea carmina in ipſo
Ore natent.

quid ore? madet hæc manus; vt ſoluto fletu videas, non marmora roraſſe, ſed de ſummo calamo verborũ vice amoris indices lacrymas ſtillaſſe. qui ni foret his altis collibus minor, in iiſque tamquam in perpetuo aggere repperiſſet ripas, totum Arteſium Aduaticumq; campum potuit integere. Quid dabis his Amphioni, quid Tullio tuo, cariſſimis filiis Belgium mæſta mater?

Pompeio dabis altius ſepulcrum.

in hoc claudes tuas delicias, claudes lumina, claudes lacrymas nulli alteri fluxuras.

Quid

Quid TOLLENAER? tam nobilis gloriæ ancoram mittis in illud profundum cani capitis?

Quid refert? cornix non ideo ante cygnum.

Dictum vere: ſed ſi

—— prima genas lanugo nitentes
Carperet & pulchræ fuſcaret gratia formæ.

Nemo hominem crine; ingenio menſus eſt. quid? ætas hæc prior ſemperne,

—— ſi pulſetur, diſsimulet; nec
Audeat excuſſos Prætori oſtendere dentes?

& an non *—— hircana leo Caſpius vmbra*
Nudus adhuc, nulloq; iubæ flauentis honore
Terribilis, magnique etiamnum ſanguinis inſons,

optat ſibi dari hoſtem, a quo cum vulnere gloriā referat?

Macte animi, tantis dignus qui crederis armis:

nec inferiora tam celſo ingenio bella meditare.

Tranſeo hic plures. ſed & priores ſaltuatim attigi, curſimque: vt ille, quem

—— vix campus euntem
Sentit, & exilis plantis interuenit aer.

Euenit enim mihi, quod in magna copia ſolet, vt obrutus numero ſilentio teſtatus ſim impares humeros. At tu, qui hæc leges, Aracynthum & Nyſam, celebrata Poetarum carminibus iuga, ne ſperes. nam & ſuper hæc cacumina verticem tollunt, & ego inter municipales oratores non tollo manum ad hæc vrbica ſpecula, tantis cothurnis nobilitata; quibus Lutheri Caluinique ſcholæ compoſitæ, iure bono ruſticabuntur. Verum o diem magnum! quo a perpetua ſerietate in literarum gloriæ campum deduxero Albiſſenos, Shoonhouios, Hagios, Surios,

rios, Goſwinos, Bonartios, Laubegoſios, Buſelinos, Hodegios, Quertemontios, perfacile euicero, quidquid in Heroicis arduum, in Comicis vrbanum, in Tragicis lacertoſum, in Lyricis doctum, in Elegia floridum, in Satyra argutum, in Epigrammate inſperatum, in hos meracissimos Scientiæ fontes defluxiſſe.

Sed non immorabor his diutius. cui enim ignota, o meum Belgium, aut altitudo, aut in omnem partem ingenij tui vis? nam &

Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quin etiam mores, & lætum fronte ſeuera
Ingenium, Natura tuis conceſsit alumnis.
Verum ego quid laxis nimium ſpatiatus habenis
Victus amore tui, præconia detero? conde
Muſa chelyn, pulſis extremo carmine neruis.
Tempus erit, cum me ſtudiis ignobilis otI
Mulcentem curas, ſeniique aprica fouentem,
Materiæ commendet honos: cum facta viritim
Belgarum, patrioſque canam decora inclyta mores.
Mollia ſubtili nebunt mihi carmina filo
Pierides, tenuique aptas ſubtegmine telas
Percurrent; dabitur noſtris quoque purpura fuſis.
Quis mihi tum non dictus erit?

Nolo pluribus; nec tu mereris: & cauſſæ æquitas non eget patrono. ipſa ſe tuetur contra maledicorum ſuſurronum linguas, quas nulla virtus, aut eruditio potuit effugere. Nam nec Demoſthenis ſententiæ artifices, nec faberrima Ciceronis eloquia, illas declinarunt. Anterior enim Demadem, citerior Antonium, tolerauere derogatores.

Eloquio sed vterque perit Orator, vtrumque
Largus & exundans letho dedit ingenij fons.

Et mirabitur aliquis, si SOCIETAS vituperonum senſerit cotes liuore armatas, qui ſperabant ſe omnem illius nobilis eruditionis dictioniſque purpuram mephitico infrenis linguæ odore poſſe decolorare? ſperabant eſculenta Caluiniani barbariſmi ructatione, fœdaque exſanguis liuentiſque ſermonis macie ſpurcare; idque à duorum cum primis, Arnaldi & Paſchaſij, virulentis calamis? at tu memento, Lector,

Qualiter hiberni ſummis duo montibus amnes
Franguntur, geminaque cadunt in plana ruina.

Nam illa Arnaldina deliria, de SOCIETATIS infantia,

Et ſonitu ſterila, & ſucco ieiuna feruntur

per iſtas Gallicanas paginas:

Quales aut Libycis madent oliuis;
Aut tus Niliacum, piperve ſeruant,
Aut Byzantiacos colunt lacertos.

quibus quid agat docta Lectoris manus, niſi vt illas

Deferat in vicum vendentum tus, & odores,
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis?

AMPHI-

AMPHITHEATRI HONORIS

LIBER TERTIVS.

Libro meo.

Quo tu, quo Liber otiose tendis
Cultus sindone non quotidiana?



D Caluinianas in SOCIETATEM satyras Salaminum stagnum. Quid venaris? Charonticas Locustas, excrementa Satanæ, Neronianam fibulam, parricidales sicas? Illas ipsas. Somnia darent colatiora, qualia volunt prodire sub extimis noctibus emergente animarum vigore, sopore iam prodacto: at hæc necdum altero pede desoporato inambulant. Quid sperabatis ex hac proluuie carminum Caluiniani scorpij? venena hæc ridet SOCIETAS. Legistis Cretam? Curaliachatem dat illitum guttis auro micantibus, scorpionum ictibus resistentem; sed & Carystias aues flammas impune inuolantes, & carbasa inter ignes valitura. Gauleonis insulam adnauigastis? huius puluis arcet angues, & scorpiones superiactu perimit. SOCIETAS hos Caluinianos satyristicos rictus, venena, flammas, ignem, inambusta transsilit, & ne calceo quidem dignatur. Nostis Catonem Porciæ gentis Principem? caussam quadragies & quater dixit, vniuersis odio-

rum simultatibus appetitus, semper absolutus: Marcellum? nouies & tricies signis collatis dimicauit: Cæsarem? quinquagies. SOCIETAS, qua die lucem vidit, perpetuauit congressus, bella; sed & sanguinem vobis dedit, pari qua illum a Deo acceperat lubentia: & vicit semper; perpetuoque triumpho cælumque terrasque nobilitauit. At ego interim non tacebo virulenta vestra commenta. neque ea tamen ostendam tamquam in congressionis alicuius lusione: imprimenda sunt vulnera, non extimam superficiem decolorantia, sed vera, & datura infidum vipereum sanguinem; fæces verius, ab illa linguarum purulenta sanie, in SOCIETATEM eructatas. Tu qui hæc leges, vide an immeritam laurum, Caluiniana minorem, poscam ab illo inniuali & impluuio Parnassico vertice.

Turba Poetarum, mecum hunc Helicona mouete,
Et mecum iuncta currite ad arma manu.
Dicite io Bacche, & validis insurgite thyrsis:
Dicite io nobis hic feriendus aper.
Non Erymanthæus: non ille immanior olim,
Qui, Meleagre, tuos est populatus agros.
Non tamen Heroas deposco in prœlia. Vatum
Sit labor, vt diro carmine monstra cadant.

CAPVT

CAPVT I.

LOCVSTAM SOCIETATI APPINGIT LERMÆVS.

Absentis ranæ pullis vituli pede pressis
Vnus ibi effugit: matri denarrat, vt ingens
Bellua cognatos eliserit. Illa rogare,
Quantane, num tandem, se inflans, sic magna fuisset.
Maior dimidio. Num tanto. Cum magis atque
Se magis inflaret: Non si te ruperis, inquit,
Par eris. Hæc a te non multum abludit imago.

LERMÆE. Dentes tibi Gretserus acriore quam velles aceto defricuerat; barbam tuam Marsyam potentiore quam exspectaras volsella depilauerat: conatus es aliquid reddere. extendere noua rana, sed & rumpere. In subsidium aduocasti Locustam? dabo illam tibi, quod felix faustumq; sit Gebennicæ scholę. & ne eat incomitata, addam non inferiora monstra, Caluiniani ingenij viua specula. Locustæ siccitatibus gaudent; sed & venantur arida papiliones, chamæleontes: sanguinis purpura carent cochleæ vermiculi, & maior piscium census: lumini aduersa sunt, quæ aut cæca in totum, aut solis tenebris habent oculos, talpæ, vespertugines, noctuæ. quę an non migrarunt in Caluinistas omnes? nam & dentes & linguas perpetuant in maledicentię volutabro; & vmbras Ægyptiis densiores pessimi pictores in SOCIETATEM sine lumine colorarunt; & inuidentiæ flammas eiaculati, fecundam illius aream, cælesti rore toties perplutam, exsuccidare, repercusso non semel conatu, om-

 nibus

nibus liuentis cerebri viribus aggreſſi; & candidum purumque ipſius aerem Lemannicis nidoribus infuſcare conati. Enubilanda proinde mihi hæc veriore Locuſta. quamquam ſi cerebrum illis extra cucurbitas, ſi cor extra pepones foret, meliores commenti ſtrophas eſſent. neque ego aliud mihi perſuaſero, quam Gebennenſes omnes, his magicæ virgæ draconibus, ſperaſſe orbem totum demigraturum in Pharaonis oculos, SOCIETATEM in Locuſtam; & credo, mendacio vellent. at melior Veritas mendacium deuorabit. Olim non poſtremi gentium, conſilio exonerandæ popularitatis, in alienos fines examina ſuorum eructarunt: Caluiniſtæ ſua ſcelera in SOCIETATEM fenerauerunt, cum Locuſtas ſuas ſupra Pharaonitidas ſæuientes plenis alis & calcaribus immittunt in SOCIETATEM. Intuere, Lector, florentiſſimas olim Galliæ & Belgij Prouincias. fundos in iis retro amœniſſimos, ſolitudines famoſę obliterarunt; arua ſiluæ domuerunt; pecora feræ fugauerunt: quę prius ſerebantur, arenæ ſunt; quæ pangebantur, ſaxa; quæ eliquabantur, paludes; & vbi vrbes, nec caſę ſunt. Nihil hic nouum, ſi hæreticam locuſtam cogitas. vt enim febrem inter cruciarios exitus deputatam non miramur, quod hominem eroget: ita illam in interitum humani generis productam, quid miraris ſi non aliud moliatur, quam ſtantium ædificiorum, prouinciarum, regnorum ruinas? Dabo tibi illam ſuis coloribus tam fabre pictam, vt iures non prodiiſſe ab indocta manu, veniat licet a SOCIETATIS ſchola.

LOCV-

LOCVSTA HÆRETICA

EX APOC. IX.

MONSTRA, feræ, si picta iuuant, spirantia terrent;
Rem fuge, pasce animos, & pellege lumine recto
Cælitus obiecta Stygios in imagine vultus:
Primus eam vt vidit, cæli cui templa patebant,
Postumus, & mundi contemplans postuma Vates.
Istuc nocte satum, tenebrosum, insensile monstrum
Nemo homo adumbrarit fuco, genio ve; poeta
Harpocrates Zeuxis; pictorve disertus Homerus.
Palladio huicce nouo, fato Babylonis iniquæ,
Dignum erat vt cælo manus & mens dædala Diuum
Fingeret os. quid enim? natus si patris imago est,
Præcipitem capite vnde foras egere parentem,
Indidem opus geminos & gnati arcessere vultus.
Luciferumne patrem cieas? Orcumne? quid hæres
Patricie infernas, amborum haud degener hæres?
Mens emota tibi est, vt nec te, nec tua noris?
Ipse ego ad agnatos te gentilesque reducam.
Natura genuit quem Lucifer, Orcus adoptat.
O Stygis, o magnum Stygij Iouis excrementum!
Crimen forte tuis natalibus inferat vllus,
Incertetve thorum, spuriumque aut Hybrida dicat?
Protinus hæreticæ facies composta Locustæ
Monstrabit digito genitorem. lumina, dentes,
Frons, venter, nasus, coma, tortæ spicula caudæ,
Ingenium, mores, sonus, ortus, & exitus idem,
Omnia si belle conspirant, tota patrissant
Ora, quis audebit plagiarius hiscere contra?
At scio per saturam nolis Locusta rogari;

Ergone

Ergone per satyram? tute arbitrabere, quid sit,
Quod prosit doleatve tibi; dum singula obibo.

Puteus abyssi, & fumus ac Locustæ adscendentes. Prou. 30.

Sentio nam, dudum puteus reseratur abyssi
Pestiferæ, nares corrugat tetra Mephitis:
Spicula Solis hebent; stetit atro turbine cælum,
En en turmatim sine Rege Locusta sub auras
Egreditur, fumosa nigris examina regnis.
Lerna Gehenna parit, væ væ tibi terra, videsne,
Qua nigricant Aquilæ, candet Rosa, Lilia fulgent,
Qua Leo Mattiacis anceps internatat vndis,
Vt fidei Solem crassus ferruginet error?
Hei centumgeminas patriæque ebullit Erinnes,
Stigmatias Caluos, subuerbustosque Lutheros,
Lucifugas omnes, Acherusia rostra, trecentos
Quos nebulæ cyatho contra non emeris, at cum
Tot numerent capita, incisis per singula collis,
Millia quot sæclis totidem non pullulet Hydra;
Cur vnum terris caput excussisse laborant?
Nempe Epicureos ἄφιτα vt quasi ζῶα per hortos
Acephali saltent, sine Rege & lege Locustæ.

Rex Locustarum.

Fallimur. & vobis Rex est: vastator abyssi
Angelus, Hebræis magnum cui nomen Abaddon,
Vestro Marte potens, septem o furiata trionum
Pignora, Niliaco quantam non dena tyranno
Plaga tulit pestem, nostras qui vexit in oras;
Templa, cruces, aras, ritus & signa verenda
Maiorum, antiquæ quidquid probitatis alumnum,
Fas & iura, pium diuumque hominumque reuellens.
Dicite, viuat io, regnum æternetque Locustis,
Quale Lemanicolis Regina Ciconia ranis.

Forma Locustarum.

Monstrificos age nunc mecum circumspice partus.
O formam informem! cur o pater optime Vatum,
Nomine cur Behemoth canis anguimanos elephantos?
Ista magis Behemoth, cumulo cui corpus in vnum
Plurima concretis inoleuit bellua membris.

Ore

Ore procax mulier fusis per colla capillis,
Dente minace leo, lethalis acumine caudæ
Scorpius, alarum sonitu furialis Enyo,
Auricomos Regum radios mentita, tyrannus,
Lorica miles, pigro modo ventre quod audit.
Nil agis Alcide, nil Perseu, Bellerophon nil,
Cerberus, & Gorgon, Cacus, Leo, Echidna, Chimæra,
Geryonesque trifaux; quod Iuno, malæque nouercæ,
Quod mare, quod Phlegethon, quod parturit Africa terra,
Omnia in hæreticam coierunt monstra Locustam:
Nauita Sirenes, Harpyias pellite agrestes,
Empusam pueri: peior pellacia vultus Facies muliebris.
Hæretici: caussis per fucum sublinat ora.
Nudabunt lamiæ mammam, lacrymisque dolosis Thren.4.
Ingluuiem pascet Pharia Crocodilus in vlua;
Hæc tibi mille dolos nectet logodædala, labris
Oscula prætendit; lingua sed sanguinem adulat.
Vos bene, & o alias vxoria castra Diones,
Ad viuum expinxit muliebri schemate vates.
Vestra nota est, vultu quam prodit, prodiga sexus
Lena; putres oculi, frons scortea, vitrea bilis.
Ventosa in lingua cui Mars, Venus, iraque regnat,
Quisquis & obtorto Scripturam ducere collo,
Canitiem lacerare Patrum, dispungere ritus
Maiorum, ac oculos cornicum musteus audet;
Lumina, frons illi meretricia, iudice momo.
At cui virginitas grauis est, plusquam Encelado Ætna,
Lumbus huic domus est Vulcania. Pergite porro
Prurigæ insani, subsessoresque columbi;
Pergite Pythagoræ terram exercere potenter:
Vnde seges mensis subeat dentata, vorentque
Relliquias Locusta tuas, tua pignora bruchi. Ioel. 1.
Humano sed enim leo cur tibi dentit in ore? Dentes quasi leonis.
Tonsor vbi est? Vncum veniat, dentarpaga, ferrum.
Nam quis Leuiathan vastos recludet hiatus, Iob 41.
Pallida formido gyrum cui dentium oberrat?

Hæreticis primum est animas deglubere votum:
Siqua sua sese virtute inuoluit in orbem,
Corpora dilaniant; sed inhærent mordicus auro:
Nominis & famam genuino dente venenant.
Hic quadra crux, hic trinus apex, bipatensque tiara,
Sacra, profana simul, cuculus iuxta atque cucullus
Manditur, ipsa meras resonant vbi pulpita diras.
Vel capite hoc igitur, capitique insculpite, nobis
Relligio obrussa est, non regula Lesbia morum;
Discite vel nudo vos denti infringere dentem,
Δαιμονικύκλωπες, μῶμοι, μυρμηκολέοντες.

Cauda scorpionis.

Scorpius adrepsit furtim, caudamque retorquens
Pestiferam, in vulnus lunata cuspide vibrat;
Subsistitne feram pastor, refugitque viator
Ante pedes colubrum, aut turgentem colla cerasten?
Quod metuant caueantque vident: at scorpius æstro
Percutit incautos, obliquo vulneris ictu.
Caluini genius. quid nare sagacius ista
Obliquare dolos, fraudique innectere fraudem?
Incrustare solent pueris absynthia matres,
Paxillo propala nouo suspendere scruta,
Emptori titulum. quid Caluus Scorpio? vt atrum
Quod vomuit virus cupida plebs combibat aure,
Bracteola verbi diuini id splendide inaurat.
Hinc spurios sensus, sub amœno spicula thyrso
Cum rapuit, pulchris verborum sparsa corymbis,
I, fuge, cornuat arcum; vmbram iacit; icere cauda
Scorpiacum in morem turbas collimat inertes.
Quas simul accendit puri prurigine verbi,
Flos flammæ arentes quam auide populatur aristas,
Vuaque conspecta liuorem ducit ab vua;
Tam rapide hanc sectam fur, ganeo, apostata, leno,
Quicumque & loculis decoctor lauerit aluum,
Quique in stercore humi, Bacchi, Venerisque sucerda
In suilla, ac tenebris vitiorum suetus, in ipso
Opprimit articulo: similes nam labra habuere

Lactu-

Lactucas. quid tunc? Hecates anus inuidia sacris,
Sesquisenexque Charon, nebulonum vappa senatus,
Et coquus & campo, mimus cum velite scurra,
Deque Fide, & Verbo, de Relligione nouella,
Thrax velut in Thracem collectus, pugnat acerbe.
Iamque supercilio patruos sapiente sophistas
Propalam in exostra (post siparium ante solebant)
Paullum ampullantur populariter. o nigra cauda!
O stolidum vulgus! Caluini vt calueris arte!
Væ mihi: verto stylum; fugitiuaque retraho verba. Sonitus alarum tamquam curruum currentiū in bellum.
Locusta en totas irarum effusa quadrigas,
In Martem horrificis acuit stridoribus alas.
Crebrescit sonitus, Circo non quale celeuma
Increpitat currus, mappam Dictator vbi albam
Explicat; at quanto falcatis esseda rostris
Exercent strepitu gradiuo prœlia campo.
Agnosco, agnosco, crabronum classica, bombos;
Bellona heu nostras quibus hæresis attonat aures.
Dicite nam, Parides patriæ, vulpesque iugatis
Romanam ardentes segetem succendere caudis,
Vestra vbi musta fides nisi flamma & sanguine creuit?
Quippe vbi nec ratio, nec Suada inuitat honestas,
Vis ibi flexanima est, & ferrea iura latronum.
Mulciber o cerebro Iouis excutere ause Mineruam,
Diffinde his aliquot caput obstetrice securi;
Pro cellis rationum, armamentaria cernes
Feta igni & ferro; sed erunt pars magna dolones.
Hic Orci galeas, hic ignea tela Cyclopum,
Ægida saxificam, quid plura? incondita Auerni,
Cincta Locustarum carragine, castra videbis.
Morphea nil miror, tristemque Phobetora, si vos
Ceritos agat Anticyras; spes si qua Chorœbis
Rellicuas superesse vias in mente patentes.
Quid? Gyaris quod digna audetis Latumiisque;
Vani intemperias capitis, laruasque micantes,
Pythia ceu, cum late hominum differtis in ora,

Arma, dolos, sicas tragicas, iurata potentum
Funera, in insontes mendacibus illita chartis,
Chartis, quis mucro stylus est, & sepia sanguis.
Lorica. *Atque hæc est lorica Locustæ pectus obarmans,*
Ferrea, consertis mendacia millibus hamis.
O frontes calda signari forcipe dignas,
Quoque suos vernas dignorat nomine mendax,
Mendacique parens! hæc denique littera manceps
Iob 41. *Leuiathan, cui fusilibus spiracula squamis*
Nulla meant: adeo mens toti imperuia vero est.
Hic fera sic mecum: Leo, femina, scorpio, miles,
Dente, coma, cauda, lorica, cur nihil horum
Audio; sed titulo mage deteror, inquit, inerti?
Prode notas, obelo probrosum aut confode nomen.
Iure. sed exactum Cres Cretem finxit ad vnguem.
Ad Tit. 1. *Verus hic & Paulo de vobis Cretibus augur:*
Ex Epimenide. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.
Venter Locustæ. *Bestia quid mendax Locusta? cucurbita venter,*
Fartus aqualiculus, capitisque pedumque saburra.
Poppysmis agedum ventres mulcete Faliscos,
Qui pia plus horrent ieiunia carnis habenas,
Quam spatia & vacuos rerum natura meatus.
Exod. 16. *Nocte dieque agitant carnes, votique potentes*
Hebræi, stabulant adipatas circiter ollas.
Ganea eis vitæ modulus: toga libera namque
Omnibus vt sumpta est semel hæresis, omnibus æque
Et Venus, & venter, geniusque impune fritinnit.
Ministri hæretici. *Vobis ante omnes cæcorum lumina talpæ,*
Inter musta, scyphosque, noui crepitacula Verbi,
Numina qui Carnem colitis, ventremque Canopum,
Nigra culina quibus templum est, altaria mensæ,
Nidores thymiama, coquus popa, victima pulpæ;
Hic vbi Threicia depostus amyslide mystes
Sacra facit, Cybelæ mysteria, & Orgia Baccho.
Quando abdomen habes, paucis cape nominis omen.
Dic aliquis sodes, dic Rosci Grammaticorum,

LOCVSTA vnde trahit nomen? Loca feta quod vrit?
An quod stare loco nescit? vtrumlibet optes:
Syllaba nec renuit; cum bestia & ipsa sit anceps.
Deflagrent segetes robigine, fulmine quercus,
Sæuior ille animos vrendo Sirius adflat
Hæresis, & penitas depascitur igne medullas.
Sola etiam leuitate sibi constare Locustam
Qui neget, is lumen Phœbæo feneret orbi.
Quis tot habet æstus Euripus? quippe vbi scire
Cuique suum ædilis trutina est fideique, Deique.
Fingunt, mox eadem, ac decies damnata refingunt,
Vertumni, sine aqua nubes, errantia terris
Sidera si modicum qui liram deserit, errat;
Qui iam nulla vsquam veri vestigia cernit,
Quam late errorum per tesqua feratur oportet!
Hic vaga & irrequies penna, pede, mente Locusta,
Aut saltat satyros, aut multa aduersa reuertens
(Qualis ad Eurotam venando fessa Diana)
Cursitat, aut flacco pugnat se efferre volatu:
Callipedes sed multa mouet, neque promouet hilum.
Obstat pondus iners, terram ne deserat excors
Struthio, vegrandes vt cursu venti letalas:
Et nostri anguipedes, telluris pignora, vt altum
Spirent, & magno sapiant sua Biblia naso,
In terram reflante Deo, in carnemque residunt.
Vnum adeo deerat, tot laudum insigne, corona.
Ista quidem tota est pancarpia, flore corusco,
Plurimus Hesperidum modo qui flauescit in hortis,
Asper, & inscriptus magnorum nomina Regum.
Custodi extuderit Tirynthius aurea mala,
Fortior hæc fului florem expugnare metalli.
Grande operæpretium; nobis ne lumina ad aras
Præstinguat multo circum flammante pyropo;
Fecit qua potuit, nimium quam rarior esset:
Dum rapit vrceolos, calices, vasarium & omne
Sacratum, capitique vouet diadema profano.

Nominis Locustæ ratio duplex.

Iud. Epist. canon.

Corona aurea Locustæ.

At non constitit hic sitis aurea: nauigat illuc
Gryphes vbi, & genio formicas fertur auaro
Effossum nigris aurum importare cauernis.
Vsqueadeone tui generis te obliuio cepit,
Vt Regum titulos & opes flatarius optes?
Esto, penes te sit ferrique aurique potestas:
Bella cie, dentes restringe, & cornua tolle,
Mentitos dominos, veros gere prædo tyrannos;
Omnituens oculus, qui te & tua despicit acta,
Grassandi ipse tibi statuit legemque, modumque.
Quisquis, ait, viua fidei virtute virescit,
Arbor adulta comas, tenera seu messis in herba,
Omnibus hisce tuos defendam numine morsus.
Histrio, & Attellanus, Apollinei parasiti,
Transfuga, periurus, magus, æruscator, asotus,
(Quo genere in terris non est impensius vllum)
Diagoræque athei, scholaque impia Machiauelli,
Eiurata quibus cæli bona copia, quique
Extriuere Dei frontis de marmore nomen,
Hi tua sors, prædæque, & noxæ dedita turba.
Confice, mensuram cumula: volat hora: suprema
Buccina ab ætheria mox perstrepet arce receptum,
Locustasque omnes impuro cum grege cogens,
Puticulos velut in viles commune sepulcrum,
Ire iterum in puteum ac natalia regna iubebit:
Hic illis alte depactus terminus hæret.

CAPVT II.

Paschasius, Arnaldus, & e Caluini schola plures vario versu in SOCIETATIS IESV, *B. Ignatij nomen, gratuitas prælectiones, opes, ambitionem, seditiones, parricidia, luserunt.*

PASCHASIVS & Arnaldus, & nescio qui ignauissimi Gebennici canes dentes nudant; diducunt ora rictu, sed & despumant versus in SOCIETATEM, quam vellent auulsam Regijs manibus. quasi Rex manuum suarum operam, ingenij sui curam, molitionis suæ sedem, liberalitatis suæ heredem, religionis suæ testem, testimonij sui signaculum destituat in interitum. Semel illa Galliæ prope occubuit; fateor. sed & dies moritur in noctem, & tenebris vsquequaque sepelitur, funestaturque mundi honor; & tamen eadem integra & tota vniuerso orbi reuiuiscit, rescindens sepulturam suam tenebras. ita plane SOCIETATIS magnæ stellæ redaccensos videbis radios, quos intercurrens nebula regno exemerat: immo & totam iam videbis, quam annorum numerus attriuerat. mira omnino ratio, absumi, vt exhibeatur; fraudari, vt seruetur; intercipi, vt reddatur; luxari, vt integretur; decoqui, vt amplietur. cultiora enim & vberiora restituit Regia dextera, quam exterminata fuerant: reuera fenore interitu, vt iures deperisse in solam salutem. male hoc habet hæreticos, Regem in Galliæ suæ cælo, stellam in firmamento SOCIETATEM defixisse; aut tamquam gemmam clarissimo argento oblaqueasse; aut denique nobiliori regni sui auro descrobuisse.

ſe. Hinc illis hæc venena verſibus in SOCIETATEM eiaculata; immo in Regem, cum in Regiæ manus opus. & interim bellulus Paſchaſius

Thaidis arte cupit Regem ſeruaſſe videri,
Quem falſo perdit perfidus obſequio.

Feram te inueterate dierum malorum?

Nonfero te verbis quiduis pro Rege gerentem,
Cui factis nemo infeſtior eſſe queat.
Ut ſi laruatus ſaltes Agamemnona magnum,
Sub larua quouis improbior Cynico.

Et vis fide integra quid de te ſentiam?

Quod ſunt Harpyiæ, quod Sphinx, quod dira Chimæra,
Scyllaque, & Alcidæ nobilis Hydra labor,
Centaurique truces, & cæli bella Gigantes,
Famaque præterea quæ fera monſtra canit;
Hoc tu, Paſchaſi, ſolus. tot monſtra latere,
Tamquam ſi deſint carmina, poſſe putas?
Non Sphinx, Harpyia, aut fies mihi dira Chimæra;
Sed quidquid Stygias occubat ante fores.

Vis & Arnalde mentem de te meam, ne incomitatus eat Paſchaſius?

Virginis ora geris, toruæ ſunt membra leænæ,
Ventre tument mammæ, tergora pluma tegit.
Blandus es adſpectu; ſæuo ſed pectore vincis,
Ereptis catulis cum ſubit ira, feras.

Ringeris ſat ſcio. ringere. quid? quæris,

Vnde mihi ſtilus hic, & tantæ in carmina vires?
Ceſſabunt; ceſſent ſi tua flagitia.

quamquam leuia hæc. nam nec multo poſt,

Ne dubita, ſæuis iugulum præbebis iambis,

Quæ-

Quaque Lycambeos te quoque fata manent.

Sed vnde tibi illud, Paſchaſi,

—— ſupercilium madida fuligine tinctum,

obliqua productum acu?

Exſpecta. haud aliud reſpondeat hac anus. i nunc.
Dinomaches ego ſum. ſuffla. ſum candidus. eſto.
Dum ne deterius ſapiat pannucia Baucis,
Cum bene diſcincto cantauerit ocyma vernæ.

& ego te putabam Paſchaſium. vnde nunc æqualis aſtris gradiens,

Et cunctos ſuperans,
Altum ſuperbo vertice attingis polum?

ego te putabam calonem e campis Gurguſtidonijs, vbi

Erat Jmperator ſummus Neptuni nepos:

vnde hic faſtus nouus? ex

—— illac pugna Pelethronica,
Qua ſexaginta millia hominum vno die
Volaticorum manibus occidiſti tuis?

ex illa ait. Sed & maior ſurgit a calcato SOCIETATIS faſtu. Perge mi Corue, perge. an non hoc eſt tota mentiendi atria deuomere? Olim qualiſcumque oſtentatio Circi, etſi pauca ſimulacra circũferret, in vna, idololatria erat; etſi vnam thenſam traheret, Iouis tamen plauſtrũ erat. quid ſi totam pompam duceret, quo nomine cenſeretur? quid ego dicam de mentiendi tua libidine; cum non vnum figmentum ructes, ſed millia, millia? agnoſco licentiæ huius parentes, arrogantiam & inuidiam. ab hoc ſemine & vbere omnis illa nebula ſurrexit; omnis verborum denſa caligo dimanauit. hi fontes, e quibus hæc noxia flumina in SOCIETATIS aggeres irrito refractu im-

murmurantia. fabulæ. cui ignota SOCIETATIS modestia, cui æquabilis ille animi tenor in neutram partem, quocumque tandem dignitatum aut diuitiarum pondus incumbat, se flectentis? & tamen hæc Caluinistis fastu turget; sed & opibus.

His similis mendax Phlegræi fabula belli
Excussas finxit iecisse per aera rupes;
Pro telis spatiosa manus quod turbine montes
Sparserit, & missis cælum quassauerit armis.

arbitrabatur, credo, SOCIETATEM Gebennæ natam: in qua vrbe,

Quantum quisq; sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei.

nihil illi ab his nummis; nihil ab illa cista, in qua Gebennici Consistorij Principes Iouem suum includunt. augeo etiam vota. nemo sit vestrum, qui non

Possideat, quantum rapuit Nero; mōtibus aurum
Exæquet.

Sed quis me? an non vides adlatrantes Molossos ad B. Ignatij, magni SOCIETATIS IESV Ductoris, nomen? Video, & rideo. nam ex his quis non

——*quingentos simul,*
Ni hebes machæra foret, vno ictu occideret?

mene ergo—*moueat cimex Arnaldius? aut crucier? quod*
Velliget absentem Paschasius? aut quod ineptus

nescio quis, lippusque caliget ad hunc Solem? mallent Caluinistæ SOCIETATEM pręferre Lares, Libentinos, Indigetes, Thebanos aut Tyrios Hercules, Tisianes & Bucures Mauros, Pansos & Bellonas; mallent incudibus & malleis fabricatos Deos, elephantorum ossa. at in B. Igna-

B.Ignatio Christum ab illa coli,non sine vulnere vident mentis,oculorum,aurium. an nõ hoc liuoris genus summum?Si veneraretur SOCIETAS a pane Cererẽ, ab herbis Æsculapium,ab olea Mineruam,ab aratro Triptolemum,a furibus & feris Herculem ; si imitata Arabes informem lapidẽ,si Scythas acinacem,si Thespios ramum, si Icarios lignum indolatum , si Pessinuntios silicem , si Romanos hastam, ter sancta Caluinistis foret SOCIETAS: at cum illum reueretur , a quo Dei miro munere a sęculi erroribus,insinuata veritate,traducta est;profana est. potuitne aliquid fingi iniuriosius ? si Caluini præferret nomen,& in illo

Luxuriam imperij veterem,noctesque Neronis
Iam medias , aliamque famem;

& in illo Gomorrhęos redaccensos ignes, impurasq; rediuiuas,putidiore reflabellatas ore fornaces,quo non flore verticẽ hunc inararet vniuersa Gebennensis Sodomęa schola? quid vultis Caluinistæ? vt faciem non iam nouacula,aut alaparum cõtumelijs,Saturno,Isidi,Libero patri; sed dorsum SOCIETAS mutet Nouiodunensi lilio? integrum IESV suo seruabit. quod si negauerit Tyranni aut hæretici rabies, castum sane Christo suo seruabit.

Sed & ad SOCIETATIS IESV nomen inalbescunt Caluiniana labra:ita nullam illius partem maledictionibus transeunt inuulneratam. Et nomen quidem hoc Paschasius,portio Caluini de impietate,nõ detundere,eruderare tentauit . aperiat modo os , & videamus, an non dentes illi hæc rupes excusserit . Sed heus ! IESV nomen Caluiniano stomacho nauseat ? non sit hoc in illis æternum vrentibus flammis.Et quod vultis SOCIETATI nomen

men appictum? IESV non placet; Ignatij displicet. vultis alicuius, qui nunc cenatum pergat ad Æthiopes, & post dies bissenos ad priuatum redeat domicilium, in quo & mures, & talpæ damnatum terræ genus, nidamenta ponant? vultis Atlantem tibicinem illum & destinam cęli? vultis aliquem quem lactentibus porculis, quem intonsis agnis, quem virginibus buculis, quem ingentibus scrofis albentibus aut atris, femineis aut masculinis, veneretur? Sed o sæculi nostri fatuitatem! non desunt, qui aures commodent rabidis his innocentissimi nominis dilacerationibus; qui quadrigis, qui statuis, qui immortali quadam titulorum testificatione has linguas, sola maledicentia noscibiles, censeant munerandas.

Pergo per hęc monstra: neque enim hic maledicendi finis. Volunt Caluinistæ SOCIETATEM omniũ quæ tulit Gallia malorum caussam. at tu Lector circumfer oculos per vernaculas illorum historias. fuitne SOCIETAS, quæ, editis etiam in subsidium memoriæ libris, decãtauit non in vnius Galliæ Regis caput districtum ferrum? non in vnius Principis pectus venenum temperatum? non in vnius nobilis iugulum funem intentatum? non vnas rotas, vngulas, viuicomburia in Sacerdotum & Religiosorum millia? nondum SOCIETATIS origo in Gallia consederat, cũ sanguineus imber a teterrima Caluiniana nube Galliam perplueret; cum illud sanguinis mare magnum nobilissimas Prouincias sepeliret; cum illa totis iugulis ruentia flumina, lætissima ante pascua, tristissima irrigarent alluuie. & quis non in hanc diem Gallicano

—— sanguine pinguior
Campus sepulcris impia prœlia

Testa-

Testatur? auditumque Medis,

Afris, Indis, clarissimi retro Regni sonitum ruinæ, idque a ferro & latere Gebennicæ lanienæ? Quę cum ita sint, quæ est hęc barbaries, vt Caluinianum crimen suo SOCIETAS luat sanguine, & in illius nefas, huius innocentia producatur? hęc impetatur, Caluinistis contingat impunitas? Penes veteres quisquis se homicidio tamiauerat, purgatrice aqua factum expiabat. apud Caluistas nouum piationis genus est. conspirationes, scelera, venena, cædes in Galliæ Reges intentatas expungunt a Caluiniano nomine, adnectunt SOCIETATIS. Veteres viduis aquis sibi mentiebantur; Caluinistæ alieno nomine. quos si redarguas, conuiciorum plena regerunt plaustra; ad quæ, non minus quam ad ferrum & venena, promptos reperies. sin & de scelere conuincas, rident; omnesque illas ciuitatum & prope Prouinciarum voragines, tonsuram aiunt esse insolescentis Gallicani capitis; ignem & gladium securim esse volũt luxuriantium palmitum & ramorum in Gallicano siluescente nemore. Sin pergas, & quęras caussam, cur SOCIETAS illis committat in maiestatem Regis: quia non ludit, aiunt, de officio salutis eius: quia non veneratur illum Gebennensium more per luxuriæ incentiua, per dedecora publica: quia Regio illius capiti non adnectit plumam de Candidę lectulo, vlmum de Nouiodunensi theatro, florem a Babylonijs & Medis, frondem a Quindecim-viris, Ægyptijs, Salijs, Assyrijs; cespitem a Lupercis, Amazonibus, Vestalibus. itane vero? quid si, vt largiamur iniquitati, post hęc cum Gebennensibus, omnibus Stephanis, Parthenijs, Albianis, Nigrianis, Cassianis, sceleratioribus, fer-

rum acuat, qualis quantaque vobis erit, Caluinistæ SOCIETAS? Iehoua! ter maxima.

Non vos vel vasti genuerunt æquora ponti,
Vel flammam voluens ore chimæra fero;
Vel canis anguinea redimitus terga caterua,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput?

Et vide Lector, an rem ipsam ex solido dixerim. ossa hactenus arroserunt hi Cerberei canes; nunc aerem impetunt validissimis morsibus. Gratis SOCIETAS docet. & hoc mordent.

—— tacitus pasci si posset coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus inuidiæque.

nam ob hos stolidos gratuitosque morsus, non desinet SOCIETAS docere gratis. quod qua felicitate faciat, vbertas loquitur. nam

—— quacumque propinquat,
Incessu fecundat iter, comitataque gressum
Læta per impressas rorat vindemia plantas;

illa ingeniorum, & altioris eruditionis. & licet SOCIETATEM nemo viderit sine rore suo, sine fruge: nemo etiam eam vidit sine Caluiniana grandine, quæ perpetuat lapsu adeo noxio, vt non semel arbusta iam frugifera, canasque segetes decolorarit. quid poterat sperari aliud ab illa Gebennensi schola, in qua Sol numquam liber est a densa scelerum nube? in qua vnus aer nebula; & quidquid flauerit, Aquilo est? nihil ibi nisi feritas, nisi mendacia calent: veritas supra mare Noricum in æterno gelu est; fides super aream Moscouiticam in perpetua niue est; caritas supra Gomorrhæum agrum in immortali fauilla est.

ELE-

ELEGIA I.

SOCIETATIS IESV nomen.

CERBERE, *qui Stygij recubas circum ostia Regis,*
Cur tua tam vigili lumina fronte micant?
Jam rabida Lethen securus fauce liguri:
Ambrosius saturet iam tua membra sopor.
Jngens turba canum Phlegethontica tecta pererrat:
Quisque suas obeant in statione vices.
Ingens turba canum, nimium latrare diserta:
Vulnificus dentes vestit & ora Chalybs.
Nulla tibi effugiet, illis custodibus, vmbra:
Quorum opera pridem est plena catasta Stygis.
Fallor? an oggannit digitis morosa papyrus:
Semianimisque graui torpet arundo metu?
Scilicet hæreticum timet accensere molossis,
Tot cui feralis decoquit aluus opes.
Vt primum incepit scelerum catulire veneno,
Omnia Cerbereo condidit in stomacho.
Thuribula & calices, vocalia turribus æra,
Et deuota Deo Templa domosque vorat:
Et famet, & spumas sicco iaculatur ab ore:
Nullus ab his tutus dentibus esse potest.
Littera cui triplex resonat de nare canina,
R P ר *strepero gutture vibrat atrox.* R P ר Er ro res
Nunc etiam voluit genuino figere Clerum:
Quem tegit, o IESV, *nominis vmbo tui.*
Sed rabie præceps fallacem dirigit ictum:
Ne minima in toto corpore plaga sedet.
Attamen immani furians cacoethe nocendi,
Vndique rimatur, quid laniare queat.
Displicet hærctico (quid enim non displicet illi,
Quod tibi Relligio, quod tibi Christe placet?)

Displicet

Displicet hæretico IESV de nomine census:
Nos Bacchi & Veneris nomen habere velit.
Nolumus. & mores prohibent, & lingua repugnat:
Et Bacchi & Veneris tu tibi nomen habe.
Ebrietas vestris passim stabulatur in aris,
Queis hara porcorum castior esse solet:
Sobrietas nostros circum excubat vndique postes,
Ingluuiemque procul mittit in exsilium.
Dum semesa stupris putescunt ilia vobis:
In nos vana puer tela Cupido gerit.
Nos iuuat in IESV vestigia flectere gressus:
Vos iuuat in salebras ire vagos scelerum.
Tessera distinguit, distinguunt signa cohortes,
Deque suo dici Principe turma solet.
Si libet inferni tibi symbola ferre Dynastæ,
Ardua laruali cornua fronte geras.
Si libet illius de nomine fingere nomen,
Hybrida vox placeat, Dæmoni-miles eris.
Ringere (quis prohibet?) canis improbe, ringere; nobis
Emicat in summo vertice forma crucis.
Ringere, nec satis est, totus disrumpere: numquam
Nos IESV pigeat noscier e titulo.
Vos procul a IESV, procul ite propago satanæ:
Ad IESVM propius me iuuat ire meum.
Ille mihi roseo de sanguine balnea struxit:
Nunc ego de lacrynis balnea inundo meis.
Ille suis quondam stomachum frenauit habenis:
Et mihi ieiuno ventre fames habitat.
Ille tulit risus, sannas, & scommata vulgi:
Hæretici rictus me quoque ferre iuuat.
Ille Pharisæos acri perfudit aceto:
Et mea nunc aliquid carmina fellis habent.

ELE-

ELEGIA II.

IGNATII nomen & militia.

CRESCITE *iam dentes. Quid adhuc edentula lallant*
Carmina? Jam toto crescite sesquipede.
Quid mihi dentis opus? Procul hinc dentata papyrus;
Hæretici gerras vincere lusus erit.
Sed tamen, vt stolidi pendens circum ora molossi
Sæpe, iocos inter, vulnera dat catulus:
Sic quoque (Quis prohibet? ruit ille in vulnera primus)
Penna mihi interdum sanguinolenta fluet.
Noscere nemo potest mutantem Protea vultus:
Haud secus hæreticum noscere nemo potest.
Iam lupus, instar ouis, pelle est indutus ouina:
Jam leo, iam vulpes, Protea semper agit.
Hoc tamen, & solum hoc, tuto tibi dicere possum:
(Lingua manusque probant) ambitiosa fera est.
Nunc etiam spolijs effulgere gaudet opimis,
Jnque ducem sannis arietat, atque probris.
Et caput & stomachum turbat IGNATIVS *olli,*
Ructat sarcasmos, & maledicta vomit.
Cum fluat illimis Loiolæ vita, nec vllam
Criminis illuuiem candida fama trahat:
Jn latus ille ruit; non recta fronte duellat:
In ius ille apices litterulasque vocat.
Jgne, ait, est natus vobis IGNATIVS. *Esto;*
Ignis enim Pietas dicitur, ignis Amor:
Ignis & ipse Deus: rubus igneus, ignea nubes:
Jgnea lingua fuit: ignis & ipse Deus.
Ergo Deo est natus nobis IGNATIVS. *Hoc est,*
Cur tibi non placeat; dæmoni displiceat.
Vt canis in felem, lupus est propensus in agnum,
(Ingenue fateor) sic ego tuque sumus.

i Hoc

Hoc tamen (vt spero) nostro indulgebis amori,
Vt tibi non placeam; dæmoni displiceam.
Quis mihi nunc circum taratantara personat aures?
Arma procul Martis; Palladis arma gero.
Militiam crepat hæreticus: iam spiculat ensem;
Orphana dum Chalybis torpet arundo mihi.
Dux, ait, est vobis, dux Martius; ille per vrbes
Hesperiæ quondam qui tulit arma ferox.
O tribus Anticyris caput insanabile! quantum
Auriculas asini pseudosophista quatis!
Dux Abraham, Moses, Josue, tot lumina mundi.
Non est, crede mihi, dedecus esse ducem.
At vitijs coopertus erat, crudelis, & atrox,
Hostiles populans, fulminis instar, agros.
Mentiris: sed vera tamen te dicere fingam.
Non quod erat nunc est: surgere lapsa queunt.
Occidit, & rursum exoritur Sol, sidera, mundus;
Alternantque suas noxque diesque vices.
Cur homines mutare nequit, qui tempora mutat?
Sæpe cutem serpens exuit, & senium.
O quoties tepidis tibi dormit Paulus in vlnis!
Ille tamen bellum mouit & arma Deo.
Si tua non torpent ad Solem lumina, Bubo,
Quem tenebræ errorum detinet, & scelerum;
Hoc lege, quod viuax Loiolæ clamat imago:
Hoc mihi pro clypeo distichon esse potest.
Miles eram vanis quondam celebratus in armis:
Militiæ factus duxque caputque sacræ.

ELEGIA III.

SOCIETAS gratis docet.

A VRIFLVIS *tandem discurrite carmina venis:*
Jam mihi conueniunt aurea vota Midæ.
Aurea lingua mihi, dens aureus esto, labrumque:
Aureis e calamis aurea verba fluant.

Non

Non placet hæretico quidquid non fulgurat aurum:
Hoc embamma cibis omnibus esse cupit.
Heu quantum in rictus mordacia contrahit ora!
Ringitur, & totum pæne vomit stomachum.
Non ita fermento generosa farina superbit:
Vt tumidum in bullas eleuat ira iecur.
Quæ ratio? quæ caussa truces exsuscitat vndas?
Ex qua tot furias Æolus arce vibrat?
Et fremit, & frendet: Scyllas vomit, atque Charybdes;
Et Libyci vincit monstra ferasque maris.
Quod gratis doceant Collegia nostra; nec vllo
Venalis prostet lingua mihi pretio:
Quod mea non cupiat Pallas denubere Pluto;
Quodque Minerua mihi virgo manere velit:
Quod nostros pexatus adit tritusque penates,
Clausaque sint solis limina criminibus:
Æstuat hæreticus. Cur? Nescio. forte culinam
Vnctius ille velit peruigilare meam.
Imitus exstirpa curarum e pectore vepres:
Est mihi res tenuis; sed satis est tenuis.
Non mihi latranti stabulatur Pamphagus aluo:
Est mihi res tenuis; sed satis est tenuis.
Si timeas macie ne forte triclinia sidant,
Elumbesque cadant exanimesque tori,
Hinc apage, hinc: nec enim superest quod rodere possis;
Ad mea namque meus sufficit ossa canis.
Heu quid agam: dirum hæreticus Cyclopa tuetur:
Colligit in nebulas triste supercilium.
Vos, ait, o putridi, vos mendicabula vulgi,
Nos quoque ad infamem cogitis ire stipem.
Sola habitat nostram feralis aranea bursam:
Omnis enim gratis discere turba cupit.
O vtinam hæreticus Phœbi dormisset in vlnis,
Atque omnem tripodis combiberet genium!
Ne Stygius vendat puerisque virisque propola,
Quæ calida pridem mente venena coquit.

Sin velut ad veteres fidei divertere calles,
Queis operam possit vendere semper erunt.
Non mens, non animus, non omnibus vna voluptas,
Non cuiuis homini nostra farina placet.
Hic acidis gaudet dapibus; sed dulcibus ille:
Hos labor, & pretium, non cibus ipse iuuat.
Denique quidquid erit, pluris respublica nobis,
Quam tua ieiuno bursa latrans stomacho.
Si gratis puerosque negas iuuenesque docere:
At gratis saltem conticuisse potes.

ELEGIA IV.

SOCIETATIS opes.

IAM *tandem cum nocte diem, cum fluctibus ignem,*
Cum vento pelagus fœdus iniisse reor.
Illius hæretico debetur gratia pacti:
Miscet vtrumque polum, miscet & astra Stygi.
Ante querebatur nullo nos ære mereri:
Iam queritur plenas esse domos opibus.
Si non enumeret nobis stipendia Pallas;
Si iuuat illius gratis obire aciem:
Vnde strues confluxit opum, queis nostra fatiscant,
Et sibi perniciem iam tabulata timent?
An Tagus auratas in nos egurgitat vndas,
Et tantum nostros Hermus opimat agros?
An fruticat lautis fecunda pecunia campis?
Aurea num tellus? aurea num seges est?
Fallitur hæreticus: nobis quoque terra nouerca
Vix dare frumentum sæpe coacta solet.
Euibrat hæreticus, quantum canis Appula, linguam,
Et iaculat tortis scommata multa labris.
Ridet: & exsultat, quod venam repperit auri:
Hoc, ait, hoc tamdiu nos latuisse putas?

Scilicet

Scili et incestus tabulas corrumpis adulter,
 Quas moritura tibi non bene credit anus.
In ius hæretice! Hic Iudex mihi Cassius esto,
 In Themidos scopulus qui solet esse freto.
Quisquis erit nostrum, quem labes illa profanat,
 Quisquis erit, centum vestiat ille cruces.
Numquid adhuc spumat limis conuicia labris?
 Anne furor tandem concidit, & rabies?
Ni fallar, vomit ille aliquid, stomachosior instat,
 Et male digestos vibrat in ore cibos:
O quoties, ait, o quoties expungitur heres,
 Dum vetula illecebris est laqueata tuis!
In ius hæretice! Hic Judex mihi Cassius esto,
 In Themidos scopulus qui solet esse freto.
Quisquis erit nostrum, quem labes illa profanat;
 Quisquis erit, centum vestiat ille cruces.
Quod pietas, quod amor, quod suadet cuique voluntas,
 Quod dare vult, quorsum nos renuisse iubes?
Sed tamen hæc nobis rarissima visitur ales:
 Phœnicem merito credimus esse nouum.
Hæretice! hæretice! O vtinam tibi sabbatha ventri,
 Et festum stomacho iustitiumque foret,
Quamdiu non habuit similem mea bursa saginam,
 Et maciem quamdiu contrahit, atque phthisim.
Quod si nulla fides tibi pectoris incolit ædes,
 Aucupij doctos mitte sagax oculos.
Non gemmas bibimus: non panes pinsimus auro:
 Non auium turmis nostra culina scatet.
Sed tenui sumptu properatur cena Platonis:
 Nec tamen hircoso est obsita mensa situ.
Non sentes edimus: sed olus. Non capo saburra est:
 Regia sed nobis cena, vocatur ouis.
Quo tandem labuntur opes? quæ sorbet abyssus?
 Forte an diuitias helluo terra vorat?
An mihi thesaurus sub pondere lassus anhelat,
 Et male congestas cista flagellat opes?

Quæ ratio? num regna paro? num sceptra nepoti?
Fac emisse velim: vendere nemo velit.
Non sic regna heres, vt tu mendacia vendis:
Illa tibi fornax officiosa coquit.
Follibus e Stygijs semper tibi ventilat auras:
In promptu talis merx tibi semper adest.
Iam fora, iam plenæ ructant tua scripta tabernæ,
Nullaque mendaci carmine pila vacat:
Iamque creas auido tandem fastidia vulgo:
Has sibi iam vestes thus habet, atque piper.

ELEGIA V.

SOCIETAS an ambitiosa.

HAERETICVS *nigras volitare per aera capras,*
Inque cedris pisces nidificare refert.
Creditis? Hæc iurat nuper vidisse: nec vlli
In dubio mentem lubricitare sinit.
O frons incesta! o meretrix Babylonia! cuius
E calice errorum marcida nutat humus.
Non pudet, o labes, multò magis absona vero
Somnia pro certis vendere criminibus?
Vnica præ reliquis vigeat cum regula nobis,
Ne tunicam pingat creta togamque mihi:
Ille tamen fingit totis me tendere velis,
Vt mihi gemmifera fronte tiara micet.
Vos, ait, ambitio calcaribus vrget honoris,
Atque salebrosum scandere cogit iter.
Quisque sibi laudum præfixa cubilia nouit:
Si via non fuerit, perfodit ipse viam.
Illecebram pietatis habet iuuenisque, senexque;
Pontificumque animos illaqueare studet.
Vtque sagax venator agit, rotat vndique gressus:
Quæ petit, illa fugit; quæ fugit, illa petit.

Hæc

Hæc mihi morologus blatero circum obstrepit aures:
Hæc canit, hæc toto seminat ille foro.
Heu quid agam? penetrat subtilis aranea pectus;
Hic quoque nigra sibi texere fila cupit:
Ut muscas captare queat, pennataque mentis
Sensa suis possit illatebrare probris.
Nullas luce palam scelerum quia repperit vmbras,
Cæca cauernosi pectoris antra subit.
Hic, veluti larualis anus dum busta pererrat;
Hic scelerum laruas fabricat ipse sibi:
Et vulgus puerile sua male fascinat arte:
Non tamen hos lemures mens generosa timet.
Vos, ait hæreticus, titulos venamini honorum.
Pernego. (quid trepidas? non ego tela loquor.)
Pernego. (cur subito torpet tibi saxea lingua?)
Gorgonea hæc nobis scilicet Aegis erit.
Pernego. Nil vltra. tandem scopulosus inhorres;
Vnica nec rabido littera ab ore venit.
An tamen ogganis aliquid vulpecula? coram
Eloquere, & pleno gutture verba sonent.
Bellarminus, ait, stellato vertice fulget:
Ille tamen vestri pars fuit ante gregis.
Et fuit; & magno quondam præfulsit honore:
Gratulor hoc nobis emicuisse iubar.
Scilicet hic tandem nebulas procul, atque pruinas,
Et procul errorum discutiet tenebras.
Ecquis enim nescit (nisi queis adamantina torpet
Auris, & e duro robore pectus hebet)
Quanta vir ille fuit contra molitus honorem,
Purpuream quando vidit adesse togam?
Curarum aggeribus, pinnis vestita laborum
Fixit castra, quibus delituisse velit.
Tela fuere preces: verum irrita tela fuere;
Sub sacrum tandem cogitur ire iugum.
Torpet; & in nostris lacrymans amplexibus hæret:
Debuit auelli, debuit inde rapi.

Et

Et nisi Pontificum metuisset fulmen, & iras,
Iam foret in nostro quod fuit ante choro.
Te Clemens, te Roma mihi, te deuoco testem,
Omnia qui nostri cordis in æde vides.
Non adeo rabidos exhorret nauta typhones,
Vndique vesani dum furit vnda maris;
Quam ventosus honor percellit corda timore,
Cum titulos afflat Iuppiter ille rati.

ELEGIA VI.

Hæretici seditiosi.

NECDVM *multa fugax glomerauit sæcula tempus,*
Hæresis e Stygijs cum remeauit aquis;
Seu cui Lutherus modium salis impertiuit;
Seu cui Caluinus commodus hospes erat:
Vix tamen vlla tenet primæ vestigia formæ,
Sic deformatus luctibus orbis hebet.
Non opus est totum lacrymas vndare per orbem:
Heu satis Europæ est condoluisse malis!
Gallia iam triplex, Germania, & Anglia testis;
Ah scelerum nuper pæne sepulta chao!
Deliciæ pietatis eras Britannia quondam;
Pro dolor! innocuo sanguine mersa iaces!
Heu! vbi nunc generosa fides, Alemannia? Tandem
Prostibulum facta es fraudibus atque dolis.
Francica iam quisquis temulentus vina liguris,
Pocula ciuili mixta cruore bibes.
Sed lacrymis fabricat cataractam Belgia nostris,
Atque sibi totum postulat illa mare.
Peste, fame, bello; triplici mutilata securi,
Eheu! supremum funus anhela trahit.
Hæresis hæc olli, cunctorum caussa malorum;
Hæresis hæc olli munera contribuit.

Vt Phlegethonteis furiarum maxima campis
Emicat, & piceas est iaculata faces:
Vndique ferales vlularunt tympana cantus,
Et medicata Stygis flumine tela volant.
Principibus Ducibusque suis plebs improba bellum
Mouit, & in proprium fabricat arma caput.
Ipse truces acuit populorum in prœlia mentes;
Ipse, cui sacri credita verba Libri.
Sanguineas spargit voces, loquiturque sagittas;
Vndique spumoso labra cruore natant.
Si cui nostra fides nimium titubare videtur,
Nec satis ærata constabilita basi;
Lumina per nostras vibret emissitia terras,
Quæ loquor humano scripta cruore leget.
Et tamen o facies Steropum fabricata camino!
Durior & ferro, durior & chalybe!
Nostra tribunicias imitari dogmata voces,
Et vulgi clamat sollicitare fretum;
Atque leuem contra dominos impingere plebem,
Bellorumque truces igniculare faces.
Omnia nos iactat progignere monstra ferarum,
Quæ nuper Lethes extulit ille vadis;
Illuuiemque suæ sperat detergere famæ,
Si nostrum possit commaculare decus.
Verum insana labat stolidæ substructio mentis:
Non aliena facit, sed sua culpa reum.
Cuncta procelloso miscemus regna tumultu,
Omne scelus nostro nascitur in gremio.
Scilicet Auraicus quando mouet arma Philippo,
Humanisque ferox ossibus arua replet;
Nos quoque sanguineam per Belgica tempestatem
Arua, domos, vrbes exstimulasse reor:
Nos quoque sacratas eradicauimus ædes,
Templaque per nostras sunt populata manus:
Nos quoque nosipsos mutare coegimus vrbes,
Exsiliumque vagos quærere, & exitium.

Quin potius tandem rabidas agnosce Charybdes;
Quas tua fluctiuagis lingua creauit aquis.
Tu Neptunus eras, quando sæuissima plebis
Tempestas nostram vertere nisa ratem:
Tu Neptunus eras, quando submersa cruore.
Belgica vix potuit tollere lassa caput.
Jlla tribunicios superabat concio fluctus,
Jn proprium vulgo quæ dedit arma Ducem:
Jlla tribunicios superabat concio fluctus,
Quæ dedit in Superum Templa domosque faces:
Nos, quia Principibus linguaque animoque fideles,
Ferre procul durum cogimur exsilium.

ELEGIA VII.

Hæreticus parricida.

HENRICE! *o proauum decus immortale tuorum!*
Gallica cui populus sceptra Deusque dedit.
Sospitet æternum magni te cura Tonantis,
Sæpius auratam vestiat ille colum:
Deque meis annis aliquos tibi transferat annos,
Ne viduata tuo sceptra labore ruant.
Tunc etiam quando vitæ satur, atque bonorum,
Siderios cupies transsiliisse polos;
Paruulus ille, tibi qui pangit basia patri,
Gallorum placida pace saginet agros.
Audiat hæc quisquis nobis conuicia texit:
Audiat hæreticus: audiat, & pereat.
Scilicet Heroum iactat nos sanguine pasci,
Vulnera moliri Regibus, atque necem.
Vt ferrugineis obnubit corda pruinis
Liuor, & errorum pectora nocte tegit;
Sed tamen inuita radios Sol nube coruscat:
Et tandem lucem prouehit, atque diem.

Ipse

Ipſe etiam hæreticus nuper mendacia laruis
   Exſpoliata ſuis vidit, & infremuit.
Dic age, quiſquis adhuc Aſaſini crimina vibras,
   Diſſutisque cupis luxuriare probris:
Dic age; quos Regum iugulis immerſimus enſes?
   Quæ fuit in manibus ſica reperta meis?
Si ſatis affirmaſſe fuit; ſatis eſto negaſſe:
   Cur tibi ſit potius, quam mihi, certa fides?
An quia Chriſtiadum rellictis transfuga caſtris,
   Arma moues fidei, Proditor, arma Deo?
An quia me potius ferrum tolerare, crucemque,
   Quam conſtricta ſemel ſoluere vincla iuuat?
Quam male perſonam Batauus mandaſſe Tragœdus
   Eſt tibi conatus, helleboroſe ſenex!
Juſſus erat nuper feralem ſcandere ſcenam;
   Quiſquis erat, certe non bene ſanus erat:
Ventilat huc illuc ſtultiſſimus hiſtrio ſicam;
   Et tria vix potis eſt morio verba loqui:
Ac niſi ſuggererent torpenti ſingula mimo,
   Heu! magis elinguis piſcibus ille foret.
Scilicet hæc nuper dignata Tragœdia luce,
   Erubuit, doctas vidit vt ipſa manus.
Ecquis enim, ſanæ cui vel ſemiuncia mentis,
   Non dixit, Vetulæ eſt fabula nata colo.
Vſqueadeo rabida canis hic ſtimulatur orexi,
   Vſque adeo noſtrum rodere nomen auet;
Vt ruat in præceps; nec quid, nec quomodo quærit:
   Quod blateret nihil eſt, ſed blaterare cupit.
Verum aliquis, ſpero, tandem conſurget in iras;
   Qui dentes frangat, ſæue Moloſſe, tuos;
Et meliora tibi iubeat dein verba latrare:
   Quiſquis erit, nobis iure colendus erit.
Lenta nimis veniunt mea vota: præoccupat ante
   Numen, & in noſtrum deuolat auxilium.
Iam picea incepit tandem miteſcere nubes,
   (Quæ caput in noſtrum tot maledicta pluit)

Ex quo Regali Zephyrus spiraut ab ore,
Gallorumque nouis Sol micuit radijs.
Iam verno rursus frondescere cœpimus astro,
Quos pridem inuidiæ liuida pressit hiems.
Iam fructus spondere nouos, iam trudere gemmas;
Iamque tuo herbescit, Gallia, messis agro.
Audi, audi HENRICE! *& cælos & sidera testor,*
Et quæcumque sacras concipit ara preces:
Dum pietas, dum cana fides, dum iura vigebunt,
Pro te Fortunæ ferre pericla iuuat.
Pro te, proque tua (mala sint procul omina) Prole,
Vipereas promptus mortis adibo domos.
Huc ades hæretice, infernis nutrite colubris;
Eructans rabido semper ab ore probra:
Huc ades, atque eadem mecum nunc concipe vota.
Vndique fulminea ferueret æthra face,
Periurique caput peteret cælumque solumque,
Fateresque vagis triste bidental agris.

CAPVT III.

Columna.

DEVS opera sua ordine consummauit: incultis primum elementis depalans quodammodo mundum, dehinc exornatis velut dedicans. nam & lumen non statim splendore Solis impleuit: & tenebras nō statim solatio Lunæ temperauit: & cælum non statim sideribus signauit: & mare non statim belluis frequentauit: & ipsam terram non statim varia fecunditate dotauit; sed primum esse ei tribuit, inoculauit dehinc illam ornatuum tamquam miraculorum vario germine. Imitari hunc

ri hunc voluisti, Rex Magne. SOCIETATEM, quasi informem, in Gallicano orbe statuisti: sedes illi exinde certas designasti: accesserunt ornamenta a munifica tua dextera liberatrice, sed & animatrice omnis consilij melioris. reliquum est, vt pyramidis næuum nobiliore sidere dispungas; vt in illo, tamquam in speculo, & Gallia tua, & Orbis videat, Regium tuum pectus non iam mediæ aginæ æquilibrato impetu ferri, aut parte vna pronum & pręceps in ornatum rapi, sed tota quod aiunt mole. aut sane de more Stoicorum, qui Deum volunt per materiam, instar mellis per fauos, decurrere: ita liberalior mens tua nullam relinquat SOCIETATIS partem inroridam aut inhumectam Borbonio imbre. Fiet hoc, si marmora hæc senserit aut demedullata altiore fulmine, aut detersa potentiore nimbo, aut demum ad radicem recisa,

——velut densas prosternens messor aristas
Sole sub ardenti flauentia demetit arua.
Sic tibi succrescat proles, quæ facta parentis
Augeat:

sic Duce te redeant sæcula olim mortua, cum

Ipsæ mella dabant quercus, vltroque ferebant
Obuia securis vbera lactis oues:

sic Principe te, post desudata marmora, lætum canamus

Dulce viatori lasso in sudore leuamen,
Cum grauis exustos æstus hiulcat agros.

An non leuabit onere, qui has Sisyphias dispellet pilas?

Ac velut in nigro iactatis turbine nautis
Lenius adspirans aura secunda venit,
Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata;

tale sit SOCIETATI, tot iam annos iactatæ, Borbonia manus auxilium. Et intuere, Rex Magne, non nescio cuius amantis, aut odientis; sed suis marmor lacrymis madidatum. credes soluto fletu

—— niueæ saxum maduisse Dianæ.

Audi voces querulas:

Quam mallem in gelidis montibus esse lapis;
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet vnda maris!
Nunc & amara dies, & noctis amarior vmbra:
Omnia nam tristi tempora felle madent.

Audi Rex, & qui soles inexorata, exorata nunc beneficia largire; vt & Gallia tota, atque adeo

Ipse gerens laurum, lauro deuinctus agresti
Miles, IO *magna voce* TRIVMPHE *canat.*

Non cantabit, sat scio, sæculi nostri Polyphemus, qui nouus orbe Cyclops

Se iactat tumido superbus ore.

Sed quid adeo in te magnum,

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata?
An magnum patris scrinia sublegere?

quæ tam sancte signata

Fama fuisse loquax, chartaque dicet anus.

At caue sis, ne quid hic asperius. cum magno tibi viro pugna. Maiores ego vidi:

—— Seianus ducitur vnco:

Amanus Assueri, Parmenio Alexandri, Perennius & Cleandrus Commodi, Ablauius Constantini, Ruffinus & Eutropius Arcadij, Stilico Honorij, Flauius Theodosij, Vinea Frederici secundi, Broca Philippi Galliæ Regis, Luxem-

Luxemburgius Ludouici vndecimi, Cabrera Petri quarti Aragonum, Caraciolus Ioannæ Neapolitanæ, ligno, fune, ferro, igne, veneno, exsilio vitam finiere.

Sed venit hic a longa retro maiorum serie. Prospicite Quirites, ne longus hic homo transsiliat Adamum, & huius purpuram. Sed pręfert magna nomina. Bombomachides, Cluninstaridysarchides, anne magna satis? Vis audire veram vocem, non ab illa plebeia beta, sed a generosiore lauro?

——canibus pigris, scabieque vetusta
Læuibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est,
Quod fremit in terris violentius.

Si tamen adeo te magna

Nomina delectent; omnem Titanida pugnam
Inter maiores, ipsumque Promethea ponas.

Sed & perge, parique audacia & impudentia

De quocumque voles proauum tibi sumito libro.

quod vbi feceris, edissere, rogo te, apud Batauos,

——cuius aceto,
Cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor, & elixi veruecis labra comedit?

digna Veronensi Principe mensa. dignissimæ

——generosi Principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu
Prostitui, Batauaque apium meruisse corona.

Veniet tempus, veniet, cum

——pugnis concisus adoptes,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

Quid audio? sonat Thuani barbiton?

Nunc

Nunc ego me surdis auribus esse velim.

Quid refugis anime? sonat. Olim idem reperies. nam & in virginem adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis: in virginem æque introductum fuit Dei verbum exstructorium vitæ: vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Sed & recentius aliud.

Mysus, & Æmonia iuuenis qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.

E Thuani calamo depluerant versus in SOCIETATEM, qui nec referrent oscula amici, nec agnitæ SOCIETATIS vestigia. ex eodem nunc, dissipata oppansa erroris nube, non in ancipitem quædam retorta defensionem, aut in vnius fluent vocabuli mortem; sed in lucem ac vitam totam, de corrupto in integrum, de casso in solidum, de inanito in plenum, denique de fabula in historicam veritatem. Hoc votum meum. Annuit Thuanus: & de prioribus audi quid sentiat.

Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis aqua.

Luserunt etiam in SOCIETATEM Dousa pater, Dousa filius.

Maiores nusquam rhonchi: iuuenesque, senesque,
Et pueri nasum rhinocerotis habent.

Tu pater filium melioribus instrues,

Cum facias peiora senex, vacuumque cerebro
Iampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?

quærit & pectus illud stolidissimum. cuius

Scillito decies si cor purgeris aceto,
Anticyrasque bibas Samij Lucumonis acumen,

num-

numquam ad purum defatuabis. Cui ergo mirum, si pręferente patre stoliditatis facem, temerarios ignes sparserit filius? Vide bestias.

—serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta;
Illi eadem sumtis quærunt alimonia pennis.

Sed cum in SOCIETATEM adringeris canino tuo rictu,

Non vides quanto moueas periclo,
Dousa, Getulæ catulos leænæ?
Dura post paullo fugies inaudax
Prœlia raptor.

De filio quid dicam? Nec calamum meretur. neque enim

—cuicumque datum est habere nasum.

Non quod nasus illi nullus sit; sed quod ab obstetricis adhuc manu, a matris mamma, a cunarum fasciis sit. Quo puere, quo?

Si vitare canum morsus, lepus improbe, quæris;
Ad quæ confugias ora leonis habes.

Quod si propius Trossulum hunc, Lector, intuearis, arbitraberis prodire ab illo puluere, in quo sex parantur aut decem sophi nummis? falleris. venit ab illo, in quo tria millia veneunt dupondio. Te in veteranum primipilum? melioribus olim sæculis

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumque puer; licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.

Quid facerent, si viderent hunc a fasciis recentem canos Viri Magni saliua sputoque turpare? & tu tamen

Allatres licet vsque nos, & vsque,
Et gannitibus improbus lacessas,
Certum est hanc tibi pernegare famam.
Non deerunt tamen hac in vrbe forsan,
Pellem rodere qui velint caninam:
Nos hac a scabie tenemus vngues.

ODE I.

Columna Parisiensis.

ERGO *piorum sanguinis ebrios*
Columna scurras Mauia conuocat,
Locanda famosis Macelli
Faucibus, Exquiliis, Suburra?
Ergo Senatus principis vrbium
Ploranda viuis funera conspicit?
Portenta! spirantique famæ
Imposuit Libitina bustum?
O! cui superbos nobilis imperi,
HENRICE, *fasceis* GALLIA *subdidit;*
O! cuius ingentes laborat
Gloria deproperare palmas;
Regnare paruum est. REGIBVS *aureos*
Hæc vna postes Gloria consecrat,
SERVARE CIVEIS: *vna quercus*
Tot superemineat tropæa.
Regnare magnum est: si pia supplici
Patet clienti regia Principis,
Nec Virga lictorum pauentem
Submouet imperiosa turbam.
Sic perduelles imposito pede
Compescat hosteis Martis adorea,

Hastas-

Hastasque, captiuosque currus
Exuuijs numerans opimis.
Per non timentem funera Galliam
HENRICE, *testor: sic tibi sanguinis*
DELPHINVS *æternans honorem*
BORBONIOS *generet nepotes.*
Veta columnam funere præficam
Cantare lessum. non timidos mori
Pro Regibus, focis, & aris
Illa manent Prytanæa vitæ?
Indigna laus est BORBONIA *manu*
Pulsare inermes. O liceat tuis
Hoc nomen inscripsisse fastis!
TV PATRIAE PATER ATQVE PACIS.

ODE II.

BVRDONIS mentitum genus.

VETA *tabellis Euganeum canem*
Damnare iustos. Gloria Iudicis
Audire: Judicis secundam
Innocuus reus optat aurem.
Citata fallunt; fallere nesciunt
Perendinatos crimina Iudices:
Quicumque non audita damnat,
Justitiæ negat esse Princeps.
Fac ventilatis partibus incubet
Lex Talionis. Tunc vagus, exsulans,
Amphisuie, exerrare, BVRDO
Italiæ metues per oras.
Illic biformes publicat Hybridæ
Verona cunas; scimus vt Jtalos,
Attonse Cæsar, decoloras,
Cenomanum vitians cruorem.
Ille, ille Terra natus imagines

Heroum auitis subleget atriis?
Plumaque follicante cornix
Finget auos generosiores?
Deuota probris hostia! si tibi
Mentita auorum nobilitas placet;
Quo turba tot canum latrantum
Suppositæ numerata genti?
Fumosa raptum cera per ordinem
MAGNOS, FVRENTES, SEGNORIOS *Canes*
Ostentat; hinc dentes, auito
Jure petis ruta cæsa fundo.
Hinc illa Mordax termite adultero
Fœdata stirps est; cum sobolem dedit
Latrator Vmber. Rara lambit
Degeneres catulos lycisca.
NATVRA *proles assimilat patri:*
Setis paternis horripilant sues:
Sic vnguis heredes, iubæque,
Bella mouent capreis leones.
Jnsunt iuuencis cornua; vulpibus
Tradux parentum fraudibus indoles;
Nec Colchica exsangues veneno
Vipera progenerat lacertos;
Haurit Bonasus perniciabiles
A patre succos, sanguineam sitim,
Sonosque fallaces Hyæna;
Et lacrymas Crocodilus haurit.
Virtus canini stemmatis æmula,
Trifauce rictu Cerberеam latrans
Spumam venenat; vt Garumnæ
Sistra nouum celebrent Anubim.
Canes latrarunt ante Aquitanicum
Multi; sed omnes cautibus asperis
Edentulos fixere morsus.
Jnuidiæ leuis est cicatrix,
Priuata ludo dum batuit rudis:

Tunc,

Tunc, tunc timentur vuln era, publico
Si dura Consulto Senatus
Bella Canes moueant arenæ.
Auerte pestem quisquis amicior
IESV *alumnis: lumina gentium*
Audite magnarum, Senatus,
Quem Cineas velit esse Regum.
Ite, ite, latam muniit orbitam
Exempla monstrans Maximus, Optimus,
Felix, Pius, Fortis, Serenus
Victor agens niueas quadrigas.
En mille labris oscula sauciis
(Fides!) propinat: qui Marij manum
Ter exsecratus hospitalem
Omine dat meliore dextram.
O rara magnis gloria Regibus!
Exulceratam vulnere gratiam
Placare, & insolentis iræ
Indomitos superare fluctus.

ODE III.

Thuani amica compellatio.

ITE, *ite, saxis æra reuellite*
Legis pudendæ: fulguret æquitas:
Iam tersa nubes, veritati
Sole diem referente purum.
Tu præter omnes carminis entheo
Abrepte quondam vortice, Gallici
Princeps Senatus, o Thuane,
Redde animum, citharæque chordas
Aptans amicas, blandius Orpheo
(Quamuis reuulsas duceret ilices,
Vndasque, rupesque, & leones)
Pyramidem tua musa vertet;

Donec Senatus per saturam datis
Suffragiorum vocibus obruat
Infame saxum, fronte figens
Funeream Canibus tabellam.
Tunc consecrati nomine Principis
(Cui prisca cedant æra Quiritium)
CLEMENTIAE HENRICAEAE *equestrem*
Gallia substituet colossum.
Quis me, quis error ludit amabilis?
Sonant Thuani carmina barbito?
Patresque consentes laborant
In numeros animare vocem?
Sic est: terentur maxima Principis
Vestigia; ambit curia tramitem
Calcare Regum: Galliaque
Sic iterant praeunte Diras.

ODE IV.

Diræ in columnam & auctorem.

EXOSA *cælo marmora! marmora*
Inhospitalis vertice Caucasi
Excisa! bacchatove thyrsis
Missa iugo! trifidave flamma
Auulsa saxis Acroceraunijs!
Vos fulminantis magna Dei manus
Sternetque, vitandumque tristi
Omine prostituet bidental.
Ecquid minatur Pyramis æthere?
Sternent auorum marmora posteri,
Ventura terræ æquabit ætas
Innocuæ monumenta famæ.
Opus Cyclopum non erit ignibus,
Non arte, & armis; mole ruent sua,
Et fasce mendacis fatiscent
Opprobrij moritura saxa.

Volat

Volat senectus omnia pertinax
Sulcare rugis; dat cariem dies.
Mortale nil longum, & columnis
Tempus edax sua fata dixit.
Cur ille præco munere vescitur
Fauentis aulæ, dum lapidi sedens
Famam subhastauit bonorum,
Sector opum, iugulique sector?
Cur ære census, cur capitis minor,
Impune gaudens fallere Curiam,
Et vnda & interdixit igni
Innocuos capite imminutos?

ODE V.

Caluinianas sicas Paschasius accingit SOCIETATI.

EN *ipse fraudum sutor adest, adest;*
Adeste Leges: exsulet, exsulet
Paschasius, lues bonorum;
Pende tuas malesuade pœnas.
I quadruplator; puluere Gallico
Procumbe succidanea victima:
Infamibus soluta nodis,
Læta manus repetit Penates.
Nunc illa virtus sanguine pulcrior
Plaudit reduci Ciuibus exsules,
Quos puluere adspersos decoro
Nobilitat peregrina tellus.
Frustra iubentur carmine publico
Narrare seris SAXA *nepotibus*
Sicasque, sacratosque, Regum
Sanguine purpuream iuuentam.
Bezæ sonabant cornua classico,

MA-

MACTATE REGES, *sanguine pascimur:*
O! cur cicatrices tremente
Mens refugis renouare dextra?
Nullis tacebit Gallia posteris
Tot REGICIDAS: *vidimus hæresim*
Succos nouercalis veneni
Thessalica furiare nocte.
O Parca præceps! sic tibi toxicum,
FRANCISCE, *longos corripuit dies?*
HEV! CAROLO *sic orba mater*
In geminis lacrymauit vrnis?
Caluini in aris Sergia, Cassia
Sacrata sica est; palmaque nobilis
In cæde lemniscata Regum
Hæreticos decorat lanistas.
Non his iuuentus docta latronibus
Cruore Regum sancta palatia
Infecit, auulsaque lauru
Funereas statuit cupressus.
HENRICE, *testis quando iterum rogat*
Illis iuuentam credere Gallia;
Frustra oblatrante Marione
Cerberea maledicta fauce.

ODE VI.

In Pyramidis architectum.

VIX *hæc amico* GALLIA *carmine*
Faustum elocuta est, consiliantibus
De more magnorum Deorum;
Iam pedibus manibusque surgens
Sententiarum murmure conscio
Lætum Senatus ter crepuit sonum:
Canisque BVRDONIS *per omnes*
Tartareus color iuit artus.

Quid

Quid mirum? vbi altas Arcadicum pecus
Demiſit aureis, incidit illius
Formido noctis, qua vocabis,
Æace, concilium ſilentum.
Tunc, tunc fateri proſubigens dolos
Mouebis atrox illacrymabilem
Quæſitor vrnam. quo Megæra
Pyramidem lapide expiabit?
Nil eſt labores Siſyphios pati; aut
Lapſura montis vertice marmora
Timere ſemper; nec ſceleſtis
Vna ſat eſt humeris columna:
Nil eſt rigentem Palladis Ægide
Mutare formam; nil Sipyli iugo
Saxeſcere, æternoque fletu
In Niobes vlulare buſto:
Nil libero ſuccedere Theſeo
In ſede rupis; nil dape fertili
In Caucaſo ſemper renatis
Paſcere viſceribus volucrem.
Quodcumque BVRDO *ſupplicium luet,*
Optare fas eſt Enceladi rogum,
Ut voluat æſtuante rictu
Pyramidis liquefacta ſaxa.
Tunc diſcet atris carpere verſibus
Gigas Tonantem; Bardocucullio
Tunc diſcet æternum ſilere
De lacero cuculus cucullo.

ODE VII.

SOCIETAS IESV inuidia maior.

F RVSTRA *tenebras nubilat inuidas*
Calumniarum feta vaporibus,
Verſæque lymphatæque mentis
Turbinibus glomerata nubes;

Nubes probrorum saxea grandine,
Nubes Auerni fœdior halitu,
LEMANNICAE *Mephitis Hydræ,*
Cui vomuit maculosa tabum.
Stat Sol IESVS *nescius obrui:*
Stant mille circum SIDERA, *sidera*
Amica Soli, nubilisque
Lucem acuunt animumque nimbis.
LIVORE *nemo iudice fit nocens,*
Quem priua virtus non peragit reum:
Sed gloriæ parcens iacenti
Inuidia est inimica summis.
Æquare palmam scilicet impotens
Clarescit umbra, sordibus emicat;
Virgamque Censorum pauescens
Se rigidum simulat Catonem.
Quicumque famam liuidus inclytam
Opprobriorum lancinat vnguibus;
Dum pressa mole palma surgit,
A proprio iugulatur æstro.
FVLGET *decoro puluere turpium*
Mendaciorum sordida Veritas;
Nec perdit, aut sperat secures
Inuidiæ petulantis vrna.
Si laudem amica quis dederit manu,
Frui parata est: si rapit inuida,
Lubens resignat; nec repulsæ
Iudice se metuit tabellam.

ODE IIX.

Arnaldus & Turnebus moniti.

ECQVID *trilingui murmure Cerberi*
Fessi latrando, carmina sibilant?
Cur toxicant spumante rictu
Innocuis aconita terris?

Cur

Cur Gallicanis Sphinx noua cautibus
Obscura belli ænigmata murmurat
ARNALDVS? *ó* ARNALDE, *quantis*
Dedecoras male nata culpis!
Cur feta probris sæcula polluunt,
TVRNEBE, *partam Pallade gloriam?*
TVRNEBE, *cur ignota mordes,*
Opprobrijs præeunte turba?
Sic ciuium ardor falsa canentium
Te mente celsa præcipitem rapit?
Hac fama taminata labe
Conspicuum violabit ostrum.
Cur vagientis nescius Ordinis
Cantas tuorum crimina temporum?
TVRNEBE *felix! si tulisset*
Posteritas melioris æui;
Quando illa cunis exsiliens cohors
Vulgauit orbi nomen amabile:
Tunc, tunc recantato retrorsum
Vela dares iterata versu.

ODE IX.

Batauus N.

PERGANT *profani. Nil odio est satis.*
Latrare iussit mormora, Palladis
Abactus infans, præco noctis
Leidius, Eumenidum sacerdos.
At tu, vetustas, dum pede prorues
Stantem columnam, ruderibus preme
Famam Batavi; hoc fama busto
Plangat humum moriente penna.
Fallor? reditur? iam titulis fidem
Detraxit vrbi reddita veritas?
Reditur: & iam Batte mendax
Ætherię lapidescis ira.

tale ſit SOCIETATI, tot iam annos iactatæ, Borbonia manus auxilium. Et intuere, Rex Magne, non neſcio cuius amantis, aut odientis; ſed ſuis marmor lacrymis madidatum. credes ſoluto fletu

—— niueæ ſaxum maduiſſe Dianæ.

Audi voces querulas:

Quam mallem in gelidis montibus eſſe lapis;
Stare vel inſanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vaſti tunderet vnda maris!
Nunc & amara dies, & noctis amarior vmbra:
Omnia nam triſti tempora felle madent.

Audi Rex, & qui ſoles inexorata, exorata nunc beneficia largire; vt & Gallia tota, atque adeo

Ipſe gerens laurum, lauro deuinctus agreſti
Miles, IO *magna voce* TRIVMPHE *canat.*

Non cantabit, ſat ſcio, ſæculi noſtri Polyphemus, qui nouus orbe Cyclops

Se iactat tumido ſuperbus ore.

Sed quid adeo in te magnum,

Quod tam grande ſophos clamat tibi turba togata?
An magnum patris ſcrinia ſublegere?

quæ tam ſancte ſignata

Fama fuiſſe loquax, chartaque dicet anus.

At caueſis, ne quid hic aſperius. cum magno tibi viro pugna. Maiores ego vidi:

—— Seianus ducitur vnco:

Amanus Aſſueri, Parmenio Alexandri, Perennius & Cleandrus Commodi, Ablauius Conſtantini, Ruffinus & Eutropius Arcadij, Stilico Honorij, Flauius Theodoſij, Vinea Frederici ſecundi, Broca Philippi Galliæ Regis, Luxem-

Luxemburgius Ludouici vndecimi, Cabrera Petri quarti Aragonum, Caraciolus Ioannæ Neapolitanæ, ligno, fune, ferro, igne, veneno, exſilio vitam finiere.

Sed venit hic a longa retro maiorum ſerie. Proſpicite Quirites, ne longus hic homo tranſſiliat Adamum, & huius purpuram. Sed præfert magna nomina. Bombomachides, Cluninſtaridyſarchides, anne magna ſatis? Vis audire veram vocem, non ab illa plebeia beta, ſed a generoſiore lauro?

——canibus pigris, ſcabieque vetuſta
Læuibus, & ſiccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardus, tigris, leo, ſi quid adhuc eſt,
Quod fremit in terris violentius.

Si tamen adeo te magna

Nomina delectent; omnem Titanida pugnam
Inter maiores, ipſumque Promethea ponas.

Sed & perge, parique audacia & impudentia

De quocumque voles proauum tibi ſumito libro.

quod vbi feceris, ediſſere, rogo te, apud Batauos,

——cuius aceto,
Cuius conche tumes? quis tecum ſectile porrum
Sutor, & elixi veruecis labra comedit?

digna Veronenſi Principe menſa: digniſſimæ

——generoſi Principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita ſaltu
Proſtitui, Batauaque apium meruiſſe corona.

Veniet tempus, veniet, cum

——pugnis conciſus adoptes,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

Quid audio? ſonat Thuani barbiton?

Nunc

Nunc ego me surdis auribus esse velim.

Quid refugis anime? sonat. Olim idem reperies. nam & in virginem adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis: in virginem æque introductum fuit Dei verbum exstructorium vitæ: vt quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Sed & recentius aliud.

Mysus, & Æmonia iuuenis qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.

E Thuani calamo depluerant versus in SOCIETATEM, qui nec referrent oscula amici, nec agnitæ SOCIETATIS vestigia. ex eodem nunc, dissipata oppansa erroris nube, non in ancipitem quædam retorta defensionem, aut in vnius fluent vocabuli mortem; sed in lucem ac vitam totam, de corrupto in integrum, de casso in solidum, de inanito in plenum, denique de fabula in historicam veritatem. Hoc votum meum. Annuit Thuanus: & de prioribus audi quid sentiat.

Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis aqua.

Luserunt etiam in SOCIETATEM Dousa pater, Dousa filius.

Maiores nusquam rhonchi: iuuenesque, senesque,
Et pueri nasum rhinocerotis habent.

Tu pater filium melioribus instrues,

Cum facias peiora senex, vacuumque cerebro
Iampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?

quærit & pectus illud stolidissimum. cuius

Scillito decies si cor purgeris aceto,
Anticyrasque bibas Samij Lucumonis acumen,

num-

numquam ad purum defatuabis. Cui ergo mirum, si prȩferente patre stoliditatis facem, temerarios ignes sparserit filius? Vide bestias.

—serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta;
Illi eadem sumtis quærunt alimonia pennis.

Sed cum in SOCIETATEM adringeris canino tuo rictu,

Non vides quanto moueas periclo,
Dousa, Getulæ catulos leænæ?
Dura post paullo fugies inaudax
Prœlia raptor.

De filio quid dicam? Nec calamum meretur. neque enim

—cuicumque datum est habere nasum.

Non quod nasus illi nullus sit; sed quod ab obstetricis adhuc manu, a matris mamma, a cunarum fasciis sit. Quo puere, quo?

Si vitare canum morsus, lepus improbe, quæris;
Ad quæ confugias ora leonis habes.

Quod si propius Trossulum hunc, Lector, intuearis, arbitraberis prodire ab illo puluere, in quo sex parantur aut decem sophi nummis? falleris. venit ab illo, in quo tria millia veneunt dupondio. Te in veteranum primipilum? melioribus olim sæculis

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicumque puer; licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos.

Quid facerent, si viderent hunc a fasciis recentem canos Viri Magni saliua sputoque turpare? & tu tamen

Allatres licet vſque nos, & vſque,
Et gannitibus improbus laceſſas,
Certum eſt hanc tibi pernegare famam.
Non deerunt tamen hac in vrbe forſan,
Pellem rodere qui velint caninam:
Nos hac a ſcabie tenemus vngues.

ODE I.

Columna Pariſienſis.

ERGO *piorum ſanguinis ebrios*
Columna ſcurras Mæuia conuocat,
Locanda famoſis Macelli
Faucibus, Exquiliis, Suburra?
Ergo Senatus principis vrbium
Ploranda viuis funera conſpicit?
Portenta! ſpirantique famæ
Impoſuit Libitina buſtum?
O! cui ſuperbos nobilis imperi,
HENRICE, *faſceis* GALLIA *ſubdidit;*
O! cuius ingentes laborat
Gloria deproperare palmas;
Regnare paruum eſt. REGIBVS *aureos*
Hæc vna poſtes Gloria conſecrat,
SERVARE CIVEIS: *vna quercus*
Tot ſuperemineat tropæa.
Regnare magnum eſt: ſi pia ſupplici
Patet clienti regia Principis,
Nec Virga lictorum pauentem
Submouet imperioſa turbam.
Sic perduelles impoſito pede
Compeſcat hoſteis Martis adorea,

Haſtaſ-

Hastasque, captiuosque currus
Exuuijs numerans opimis.
Per non timentem funera Galliam
HENRICE, *testor: sic tibi sanguinis*
DELPHINVS *æternans honorem*
BORBONIOS *generet nepotes.*
Veta columnam funere præficam
Cantare lessum. non timidos mori
Pro Regibus, focis, & aris
Illa manent Prytanæa vitæ?
Indigna laus est BORBONIA *manu*
Pulsare inermes. O liceat tuis
Hoc nomen inscripsisse fastis!
TV PATRIAE PATER ATQVE PACIS.

ODE II.

BVRDONIS mentitum genus.

VETA *tabellis Euganeum canem*
Damnare iustos. Gloria Iudicis
Audire: Judicis secundam
Innocuus reus optat aurem.
Citata fallunt; fallere nesciunt
Perendinatos crimina Iudices:
Quicumque non audita damnat,
Justitiæ negat esse Princeps.
Fac ventilatis partibus incubet
Lex Talionis. Tunc vagus, exsulans,
Amphisuie, exerrare, BVRDO
Italiæ metues per oras.
Illic biformes publicat Hybridæ
Verona cunas; scimus vt Jtalos,
Attonse Cæsar, decoloras,
Cenomanum vitians cruorem.
Ille, ille Terra natus imagines

Tunc, tunc timentur vuln era, publico
Si dura Consulto Senatus
Bella Canes moueant arenæ.
Auerte pestem quisquis amicior
IESV *alumnis: lumina gentium*
Audite magnarum, Senatus,
Quem Cineas velit esse Regum.
Ite, ite, latam muniit orbitam
Exempla monstrans Maximus, Optimus,
Felix, Pius, Fortis, Serenus
Victor agens niueas quadrigas.
En mille labris oscula sauciis
(Fides!) propinat: qui Marij manum
Ter exsecratus hospitalem
Omine dat meliore dextram.
O rara magnis gloria Regibus!
Exulceratam vulnere gratiam
Placare, & insolentis iræ
Indomitos superare fluctus.

ODE III.

Thuani amica compellatio.

ITE, *ite, saxis æra reuellite*
Legis pudendæ: fulguret æquitas:
Iam tersa nubes, veritati
Sole diem referente purum.
Tu præter omnes carminis entheo
Abrepte quondam vortice, Gallici
Princeps Senatus, o Thuane,
Redde animum, citharæque chordas
Aptans amicas, blandius Orpheo
(Quamuis reuulsas duceret ilices,
Vndasque, rupesque, & leones)
Pyramidem tua musa vertet;

Donec Senatus per saturam datis
Suffragiorum vocibus obruat
Infame saxum, fronte figens
Funeream Canibus tabellam.
Tunc consecrati nomine Principis
(Cui prisca cedant æra Quiritium)
CLEMENTIAE HENRICAEAE *equestrem*
Gallia substituet colossum.
Quis me, quis error ludit amabilis?
Sonant Thuani carmina barbito?
Patresque conscentes laborant
In numeros animare vocem?
Sic est: terentur maxima Principis
Vestigia; ambit curia tramitem
Calcare Regum: Galliaque
Sic iterant præeunte Diras.

ODE IV.

Diræ in columnam & auctorem.

EXOSA *cælo marmora! marmora*
Inhospitalis vertice Caucasi
Excisa! bacchatove thyrsis
Missa iugo! trifidave flamma
Auulsa saxis Acroceraunijs!
Vos fulminantis magna Dei manus
Sternetque, vitandumque tristi
Omine prostituet bidental.
Ecquid minatur Pyramis æthere?
Sternent auorum marmora posteri,
Ventura terræ æquabit ætas
Innocuæ monumenta famæ.
Opus Cyclopum non erit ignibus,
Non arte, & armis; mole ruent sua,
Et fasce mendacis fatiscent
Opprobrij moritura saxa.

Volat

Volat senectus omnia pertinax
Sulcare rugis; dat cariem dies.
Mortale nil longum, & columnis
Tempus edax sua fata dixit.
Cur ille præco munere vescitur
Fauentis aulæ, dum lapidi sedens
Famam subhastauit bonorum,
Sector opum, iugulique sector?
Cur ære census, cur capitis minor,
Impune gaudens fallere Curiam,
Et vnda & interdixit igni
Innocuos capite imminutos?

ODE V.

Caluinianas sicas Paschasius accingit SOCIETATI.

EN *ipse fraudum sutor adest, adest;*
Adeste Leges: exsulet, exsulet
Paschasius, lues bonorum;
Pende tuas malesuade pœnas.
I quadruplator; puluere Gallico
Procumbe succidanea victima:
Infamibus soluta nodis,
Læta manus repetit Penates.
Nunc illa virtus sanguine pulcrior
Plaudit reduci Ciuibus exsules,
Quos puluere adspersos decoro
Nobilitat peregrina tellus.
Frustra iubentur carmine publico
Narrare seris SAXA *nepotibus*
Sicasque, sacratosque, Regum
Sanguine purpuream iuuentam.
Bezæ sonabant cornua classico,

MA-

MACTATE REGES, *sanguine pascimur:*
O! cur cicatrices tremente
Mens refugis renouare dextra?
Nullis tacebit Gallia posteris
Tot REGICIDAS: *vidimus hæresim*
Succos nouercalis veneni
Thessalica furiare nocte.
O Parca præceps! sic tibi toxicum,
FRANCISCE, *longos corripuit dies?*
HEV! CAROLO *sic orba mater*
In geminis lacrymauit vrnis?
Caluini in aris Sergia, Cassia
Sacrata sica est; palmaque nobilis
In cæde lemniscata Regum
Hæreticos decorat lanistas.
Non his iuuentus docta latronibus
Cruore Regum sancta palatia
Infecit, auulsaque lauru
Funereas statuit cupressus.
HENRICE, *testis quando iterum rogat*
Illis iuuentam credere Gallia;
Frustra oblatrante Marione
Cerberea maledicta fauce.

ODE VI.

In Pyramidis architectum.

VIX *hæc amico* GALLIA *carmine*
Faustum elocuta est, consiliantibus
De more magnorum Deorum;
Iam pedibus manibusque surgens
Sententiarum murmure conscio
Lætum Senatus ter crepuit sonum:
Canisque BVRDONIS *per omnes*
Tartareus color iuit artus.

Quid

Quid mirum? vbi altas Arcadicum pecus
Demisit aureis, incidit illius
Formido noctis, qua vocabis,
Æace, concilium silentum.
Tunc, tunc fateri prosubigens dolos
Mouebis atrox illacrymabilem
Quæsitor vrnam. quo Megæra
Pyramidem lapide expiabit?
Nil est labores Sisyphios pati; aut
Lapsura montis vertice marmora
Timere semper; nec scelestis
Vna sat est humeris columna:
Nil est rigentem Palladis Ægide
Mutare formam; nil Sipyli iugo
Saxescere, æternoque fletu
In Niobes vlulare busto:
Nil libero succedere Theseo
In sede rupis; nil dape fertili
In Caucaso semper renatis
Pascere visceribus volucrem.
Quodcumque BVRDO *supplicium luet,*
Optare fas est Enceladi rogum,
Vt voluat æstuante rictu
Pyramidis liquefacta saxa.
Tunc discet atris carpere versibus
Gigas Tonantem; Bardocucullio
Tunc discet æternum silere
De lacero cuculus cucullo.

ODE VII.

SOCIETAS IESV inuidia maior.

FRVSTRA *tenebras nubilat inuidas*
Calumniarum feta vaporibus,
Versæque lymphatæque mentis
Turbinibus glomerata nubes;

Nubes probrorum saxea grandine,
Nubes Auerni fœdior halitu,
LEMANNICAE *Mephitis Hydræ,*
Cui vomuit maculosa tabum.
Stat Sol IESVS *nescius obrui:*
Stant mille circum SIDERA, *sidera*
Amica Soli, nubilisque
Lucem acuunt animumque nimbis.
LIVORE *nemo iudice fit nocens,*
Quem priua virtus non peragit reum:
Sed gloriæ parcens iacenti
Inuidia est inimica summis.
Æquare palmam scilicet impotens
Clarescit vmbra, sordibus emicat;
Virgamque Censorum pauescens
Se rigidum simulat Catonem.
Quicumque famam liuidus inclytam
Opprobriorum lancinat vnguibus;
Dum pressa mole palma surgit,
A proprio iugulatur œstro.
FVLGET *decoro puluere turpium*
Mendaciorum sordida Veritas;
Nec perdit, aut sperat secures
Inuidiæ petulantis vrna.
Si laudem amica quis dederit manu,
Frui parata est: si rapit inuida,
Lubens resignat; nec repulsæ
Iudice se metuit tabellam.

ODE IIX.

Arnaldus & Turnebus moniti.

ECQVID *trilingui murmure Cerberi*
Fessi latrando, carmina sibilant?
Cur toxicant spumante rictu
Innocuis aconita terris?

Cur

Cur Gallicanis Sphinx noua cautibus
Obscura belli ænigmata murmurat
ARNALDVS? *ó* ARNALDE, *quantis*
Dedecoras male nata culpis!
Cur feta probris sæcula polluunt,
TVRNEBE, *partam Pallade gloriam?*
TVRNEBE, *cur ignota mordes,*
Opprobrijs præeunte turba?
Sic ciuium ardor falsa canentium
Te mente celsa præcipitem rapit?
Hac fama taminata labe
Conspicuum violabit ostrum.
Cur vagientis nescius Ordinis
Cantas tuorum crimina temporum?
TVRNEBE *felix! si tulisset*
Posteritas melioris æui;
Quando illa cunis exsiliens cohors
Vulgauit orbi nomen amabile:
Tunc, tunc recantato retrorsum
Vela dares iterata versu.

ODE IX.

Batauus N.

PERGANT *profani. Nil odio est satis,*
Latrare iussit mormora, Palladis
Abactus infans, præco noctis
Leidius, Eumenidum sacerdos.
At tu, vetustas, dum pede prorues
Stantem columnam, ruderibus preme
Famam Bataui; hoc fama busto
Plangat humum moriente penna.
Fallor? reditur? iam titulis fidem
Detraxit vrbi reddita veritas?
Reditur: & iam Batte mendax
Ætheriæ lapidescis ira.

Rumperis: en iam liberat aureas
Stymphalis auras, æthera liuidis
Gauisa funestare plumis,
In medio nebulosa Sole.
Conuexa cæli iam medio patent
Rursum sereno; nubibus alites
Sic expulit FLESCHANA *arundo,*
BORBONIO *bene missa neruo.*

ODE X.

Bezæ calumnia emaculata.

AT *tu propinquo disce periculo*
Frenare linguam, cui super impia
Ceruice stat Minois vrna,
Vera reos subigens fateri.
O BEZA *nostri infamia sæculi!*
Emasculato cum grege mollium
Procus virorum, Harpyia fœdans
Vnguibus ingenuum pudorem,
Senile monstrum, fax furialibus
Accensa flammis sulphure Tænari,
Vespillo iuratus pudorem
Luxuriæ cinerare busto.
Ille, ille gurges, Scylla libidinum,
Circe Gebennis pocula fascinans,
(Immane!) Sirenumque cantu
Nauifragas decumans procellas,
Castos VLYSSES *sordibus implicet!*
Arcete dirum, pro Superi, nefas!
Arcete pestem! incesta IESV
Ne radij tenebrentur aura!
Quin nube pulsa, quod iubar emicat
Loquatur orbis. dicite posteri;
At ille tentator Dianæ
Virginea pereat sagitta.

ODE XI.

SOCIETAS pacis amans.

ARNALDE *pergis? cum lituo tubæ*
Ferale murmur quas Aquilas vocat?
Dat militi LOYOLAE *honestam*
Relligio noua missionem.
SERRATA *rupes testis, & aureo*
Fixa arma trunco: testis & optimi
PATRONA *voti, militares*
Qua soluit tibi lege nodos.
Ergone inermis, parua SODALITAS,
Mysteriorum, nominis & Togæ
Oblita, Patriæque amoris,
Sic statuet rapietque lauros?
Gallis decorum est pro patria mori;
Pro Rege plecti dulcis adorea:
Galline difflictum recudent
In Dominos Patriamque ferrum?
Nefas! virescant LILIA, LILIA
Florente culmo: nec decus occidat;
Dum dira bellorum cruentis
Fulmina detonuere nimbis.
Ecquis CARAFFAM *terruit Annibal?*
Quis Brennus vrbem? quo canitur PATRE
Bellum patrato? feciales
Quos habuit bona pax alumnos?
Sic te Charontis remigio parans
Famam piorum Manibus inferes?
Oscamque Diphtheram reuoluens
Hanc recoques, moriture, crambem?

ODE XII.

DOVSA Pater, DOVSA Filius.

SIC *fibulatis semiuir artibus*
Elumbis effeto arietat impetu?
Lassisque Depontanus annis
DOVSA *graui iuuenatur æuo?*
Proles subibit deterior patre,
Auo nepotes. degenerantibus
DOVSAEADVM *exemplis parentum*
Atria per generosa ceras
Male auspicato pollice fingitis;
Quando insolentis frena licentiæ
Laxauit error, impudicis
Exonerans maledicta plaustris.
Hinc ille sponsus Penelopes, puer
COSTERIANI *verticis in niues*
Oppedere ausus: o verenda
Ludibrium pueri senectus!
Ergo Sororum, DOVSA, *per vltimam*
Ibunt senectam perfida vellera!
Quamquam o! Sed Indicus piauit
Iura Dei temerata Pontus.
I nunc, & vmbris VMBRA *dicacibus*
(Dum iudicantem senseris Æacum)
Vitæ, Dei, famæ, tuique
Ante diem properatus exsul,
Dic esse nullum FORTIBVS *exsulem:*
Dic esse Gallis & PATRIAM *& lares*
Vbique, natalesque terras
Dum videt astra habitanda Virtus:
Dic esse veros sontibus exsules,
Quicumque LINGVAE *supplicium luunt;*

VOLCASque, MISENOSque, & omnem
Colluuiem ſimul inuidentum:
Dic fabuloſis carmine Manibus
Veram Poetas pingere imaginem,
Rotaſque liuentum, & fugaces
Delicias, lapideſque & vndas:
Dic, dic, & atra voce ſuperſtites
Teſtare GALLOS: Parcite morſibus:
Nemo remorſuros laceſſat;
Non pueri lacrymant inulti.
Teſtare cælo viuere vindicem
Calumniarum. quo pede ſtrangulat
VINDICTA fauces? fera! fera!
Sed grauibus metuenda pœnis.

CAPVT IV.

Batauus, neſcio quis, in comparationem IESV, & Ieſuitarum, calumniarum ebrios deuomuit verſus. detergo hos meliori ſpongia.

CALVINIANI, frequentiſſimum plane conciliabulum inter hęreticos ex apoſtatis veritatis, ad fabulas ſemper vigiles, ad criminationes celeres, ad calũnias profuſi, ad vaniſſima figmẽta prodigi, miro vultus artificio

(—— iacto velut aſpera ſaxo
Comminus erigitur ſerpens, cui ſubter inanes
Longa ſitis latebras, totoſque agitata per artus
Conuocat in fauces & ſquamea colla venenum)

SOCIETATEM, quam vident non tantum in apertis, & ad lucem habitare columbam; ſed ingenio, & eloquio, & omnifaria eruditione grauidam, neſcio qua nobilitatis, qua populi prærogatiua potiri, indignabundi ad expugnandum conuerſi, actu colubroſo, nefando ſemini ſuo

ſuo viam deliniunt; dumque illam vocant in inuidiam, ſe ſuaque commenta incautis inſtillant pectoribus; quæ aut a Patribus damnata, tamquam ex omnium ſcelerum defloratione, conſtruxerunt; aut a Satana noue ſuxerunt. quos ego in hoc amphitheatrico ludo nouus locarius qua ſede ponam? —*fratres inter aenos*, apud quos

Somnia pituita qui purgatiſſima mittunt,
Præcipui ſunto; ſitque illis aurea barba.

In horum numero non ſatis ſcio an eſſe poſſit ille, qui verſus ſub Ioue natos frigido e glaciali pituita deſpumauit in SOCIETATEM, cuius ridet miracula. Magis crederet nouus Diagoras Melius, ſi quis illi in aurem cantaret

— *mugitum labyrinthi,*
Et mare percuſſum puero, fabrumque volantem.

Credat, non credat; e SOCIETATE fuerunt, qui per altiſſimos gurgites pedem tulerunt illotum: qui calcarunt ponti terga, vndis ſtupentibus, ad famulatum ſubeunte natura: quorum iuſſionibus fœdæ vitiligines obtemperarunt: quorum contactu ſanguinis profluuia ſteterunt: ad quorum manus veternoſæ fugerunt vndæ: quorum verbis, turgentia viſcera ſalutari auiditate defluxerunt; vocibus, inſana ſe maria explicarunt, procellarum turbines ſederunt; nutu, pollinctorum velaminibus expediti, poſt funeris diem tertium ac quartum, readunita diiugatione, nouoque animæ illigamento, noui homines terris cæloque redditi ſunt. quæ ego cum nolim dilatare ambitioſo præconio, tum ſatis habeo rem dixiſſe teſtatam multis hominum millibus, quibus cauſſa nulla fuit mentiendi.

Sed

Sed & a Caluiniana manu portenta demanarunt. Fateor. vbicumque enim illa ſedem fixit, rareſcit iuſtitia, increbeſcit iniquitas, diſciplina torpeſcit, caritatis munia exorbitant, ſcelerumque nouis monſtris regna turbantur, euigoratur libidinibus iuuentus, inſultatur virginibus & matrimoniis alienis; macella, ſcenæ, amphitheatra, ſanguinis, impietatis & impuritatis publice loca conſtruuntur. nolo fœdioribus contaminare verecundam chartam; & ab his ipſis, quæ dixi, lubens conſilio deflecto: ne, dum plura, veriſſima tamen, inambulo, contaminationibus verborum nudorum vel atramentum polluam. Et ſane quis non mecum miretur tardam in vindictam Domini dexteram? aut tam impudentibus greſſibus non ſubduxiſſe ſe terram pondere victam? atque interim poſt tam nefanda, poſt ſacra profanaque omnia rapinis proſtituta, poſt ciuilem ſanguinem, ſacrilegia, parricidia, proſcriptiones, quibus Gallia nobilitate viduata, agri cultoribus nudati, audent ream facere ſcelerum ſuorum SOCIETATEM, quæ ſtudia ſua, ſudorem, vitam, Galliç æterno bono dum ſacrauit, nec noctes patitur ineruditas cum deſpectu valetudinis bonæ, quo creditam ſibi iuuentutem omni politiori litteratura inſtituat; idque tam prodige, vt plerique huius alumni vitam in illius informatione ponant. quo magis miror hunc ab obſtetricis infami digito inueſtem Batauum

(—— riſum teneatis amici)

SOCIETATEM totam auſum ſpurco turpare carmine, quod huic ante caligas, ſed & ante calceos venit. Audiamus bellum mammatorem lallantem

PARISSIMVM EPIGRAMMA.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Epigramma; & inter thuris, piperis, & culinæ fuliginosos versus parissimum.

Vis cursu pedibusque gloriari?
Tigrim vince, leuemque Passerinum.
Nulla est gloria præterire asellos

Gebennicos, Rupellanos, Heidelbergicos, Batauicos, Leidios, Franekeranos.

QVOD QVIDAM EXIMIVS POETA.

Vt matrona meretrici dispar erit, atque
Discolor; infido vt scurræ distabit amicus;

tantum hic procul erit ab eximio Poeta. nisi

—— si quis pedibus quod claudere senis
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem cenatus,

inter eximios adlegi debeat. at tu, qui carmen legeris,

Bœotum in crasso iurares aere natum.

vt non immerito, quicumq; audierit hunc proletarium Poetam, cum classibus & capite censeatur, adscribi ordinibus primis, exclamet, Tempora! quibus

—— nanum cuiusdam Atlanta vocamus,
Æthiopem cygnum, paruam exortamque puellam
Europen.

Sic dentata sibi videtur Ægle,
Emtis ossibus, Indicoque cornu.
Sic quæ nigrior est cadente moro,
Cerussata sibi placet Lycoris.
Hac & tu ratione, qua Poeta es,
Caluus cum fueris, eris comatus.

Et

Et tamen, fide integra, quis eſt hic eximius Poeta? Qui

Rubiginoſis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forſan eſſe quis credat:
Ego eſſe miſerum credo, cui placet nemo.

Iam quid huic eximio precer Poetæ, nomen qui tam religioſe premit ſuum? niſi vt

Nunc inquieti monte Siſyphi preſſus,
Nunc inter vndas garruli ſenis ſiccus
Delaſſet omnes fabulas Poetarum:
Et cum fateri Furia iuſſerit verum,
Prodente clamet conſcientia: Scripſi

Douſa, Scripſi, Mea ſunt hæc,

Quæ redimant ſoli carmina docta coci.

indigna auribus eruditioribus, indigniſſima in quæ melior manus pennam ſtrinxerit.

In tauros Libyci ruunt leones,
Non ſunt papilionibus moleſti.
Quæras, cenſeo, ſi legi laboras,
Nigri fornicis ebrium Poetam,
Qui carbone rudi, putrique creta
Scribit carmina, quæ legunt cacantes.

nam SOCIETATIS doctior frons non eſt notanda hoc ſtigmate. Dabo interim huic puero aliquid: ne, ſi vacua cum manu dimiſero, lacrymas ad matrem deferat.

VERSIBVS REVERA AVREIS.

Nugaris: ſolea puer obiurgabere rubra.
Infanti melimela dato, fatuaſque mariſcas:
Nam mihi, quæ nouit pungere, Chia ſapit.

O puerum male feriatum! qui audeat in Fabiorum, in Curionum vertices

Scribere versiculos, miseras & perdere chartas.

Intuere, quos tibi dabo. lege.

Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyiasque
Inuenies: hominem pagina nostra sapit.
Quæ nec sæcula centies peracta,
Nec longæ cariem timet senectæ,
Hanc tu quisquis es, o malus, timeto.
Nam si vel minimos manu rapaci
Hoc de palmite læseris racemos,

in tuum tuorumque caput læseris, in nomen tuum.

Spectato.

INTRAT *theatrum Roscius, cothurnatus,*
Soccatus; vt Parnassidos tumens Musis
Marone grauidam exoneret, ebrius leno,
Dissibulatus ganeo, & salax, aluum;
Nouoque Pindum Delio locupletet
PARISSIMVS *Poeta. Testor orchestram;*
Si non strigosus atque mucidus simo,
Large flagello vapulet cachinnorum.
Proreptat elego pumilus pede, & lauri
Caluaster infans nescius: rotat frontem,
Blæsaque lingua labeo broncus eructat
Mendaciorum fæce turgidos fluctus,
Conuiciorum nosque conspuit cæno.
Mæonide natum, aut stemmatis Sophoclei,
Quem lacte Sappho pauerat, cui Vates
Cyrrhæus implerat Deo entheo pectus,
Rebar futurum; qui chely Orphei Pæan,
Melopæa Flacci caneret, aut epos Publi.
Informis ecce prodit embryo, Batti
Soboles, lyra squallente, marcido plectro,

Cada-

Cadauerosa arundine, & labro insulso;
PARISSIMASque *Mæuius parit Musas.*
An non farina dignus, vt litet pera
Bacchi Sacerdos? Massicum vt merum spargat,
Porriciat exsta? myrtea coma vinctus
Donetur hirco? hem! sancta si Fides clamet;
Dignus latrina. quem prius sua Brontes
Incude formet, leuigetque runcina,
Steropesque lima pectinet, graui scalpro
Rodat Pyracmon; scurra ne lacernosus,
Et exoletus verna scorteis tectus,
Dum se vndulatum credit in heteromallo
Sedere segmentatum, & ostrino luxu
Turgere, leges dictet insolens vllas
Lasciuienti paginæ, aut magis cudat
Elumbe carmen, maleuolentiæ testem;
Nugis profanans sacra, scommate imprægnans,
Et indolato Apolline innubas Diuas.
Hunc si ad tribunal Macedonum trahat lictor,
Cauea Helymon putrescet, & rubens virgis,
Enectus alapis Chærilus, melos crudum,
Animamque felle liuidam euomet scenæ.
Sed caprimulgus ille Labeo, decoctor
Honoris, illeque plagiario peior
Poeta, olentis Mauij putre excrementum,
Interque Olores obstrepens procax Anser:
Si non Gemonios scanderit gradus, fundens
Circo veternosa ilia, aut moletrina
Catamidiatus gyrgathoque, Suffenus
Pœnas rependat atta; pure perfusus,
Suaque sanie, taureis flagris supplex,
Cauteriatus, crure fracto, & obstipa hic
Ceruice stabit, Sotademque lymphatum,
Et vsque, & vsque plectet insequens Musa;
Donec flagellis satur ad equulei mensam,
Dediscat os Charonticum integram famam

Arrodere bonorum stylo, & probrum mendax
Referre cerdo metuat ad palimpsestum.

Auctori.

De plebe quispiam; vt reor, Poetarum,
Pennam saginans liuido Stygis viru
Famam venenat nostram; & arido rodit
Nos dente mordax. Quis sit, haud satis luci est.
Albusne, an ater; luciosus, an pætus;
An labeo, dento, naso, mento, vel bucco:
An ostreatulo superbiat tergo:
An auris olli Mercuri ad tholum fixa est:
Calumniatrix littera an notet frontem:
Et ista, & alia haud rettulit mihi Fama.
Nec putidam nucem duim olli, vt hæc narret.
Res vna te notissimum mihi fecit:
Calumniarum sarcina es, chaos plenum
Mendaciorum. hoc stigma te obuium prodet:
Clamabit: Ecce sycophanta hic est, ecce.
Præclara res est, celebre per scelus nomen!

SPONGIA

Eluendis calumniarum sordibus.

Calumnia I.

Presbyteri, à socio geritis qui nomen IESV,
Dispeream, si vos IESVS *amare potest.*

Spongia I.

Tv, qui nos sale putido iocorum
Perfricare studes, salax Poeta,
Quid iuuat tumidis latrare buccis,

SI VOS IESVS amet, volo perire?
An illud Nemesin putas latere?
Inferni Nemesin Dei ὠταχουςὴν
Quid ni IESVS *amet sibi tenaci*
Votorum laqueo palam illigatos?
Quid ni IESVS *amet, quibus voluptas*
Illum Anthropophage intulisse genti?
Quid ni IESVS *amet tibi perosos;*
Cui odisse bonos Venus nefanda est?
Quid iuuat tumidis latrare buccis,
SI VOS IESVS amet, volo perire?
In promptu ratio est procacitatis:
Iam gratis tibi peierare fas est:
Nam olim stirpitus, o miser, peristi.
Abiurata tibi est fides auorum:
Mens turpi scelerum situ fatiscit:
Ex quo non puduit stuprare matrem
Errorum illuuie improba & nefanda.
Quare, ni celer orbitam relinquas,
Has ego melius preces paciscar:
(Audite o superi, inferique Manes!)
SI te IESVS amet, volo perire.

Calumnia II.

Humano generi fons & dator ille salutis:
Vos contra innocuis omnibus exitio.

Spongia II.

I.

VELLERE *non solum; sed totam euellere barbam*
Philosophis, putrido niteris vngue nepos.
Scortatur Natura iterum: te patre triformis
Rursus in hanc lucem nata Chimæra fuit.

Exitium,

Exitium, atque ſalus; ſimul & prodeſſe, & obeſſe;
Te paranympho ineunt nobile connubium.
Fax eſt penna tibi Stygiis accenſa caminis:
Et Feſcenninum ſunt maledicta melos.
Hæreſis e ſalebra plebem extraxiſſe ſtudemus:
Et tamen innocuis dicimur exitium.
Ædibus in noſtris ſcelerum Panacea vireſcit:
Et tamen innocuis dicimur exitium.
Noſtra ſcabros iuuenum mores concinnat amuſſis:
Et tamen innocuis dicimur exitium.
Interea Veneris ſudat tibi carmina fornax,
Scripta Cupidineis carmina arundinibus.
Si bene te noui; tuus eſt, tuus ille libellus,
Quem non abſque graui Naſo legat ſtomacho.
O leno! o lurco! Geticis digniſſime terris,
Siſypheo ſaxo, Tantaleoque vado.
Et tamen vna ſalus mortalibus eſſe videris:
Nos contra innocuis omnibus exitio.
Ferrea ni frons ſit, niſi plumbea fibra; ſalute
Quilibet abiecta mauolet exitium.

II.

O Turpe, vecors, barbarum, impudens monſtrum!
Quod plebe tota maius eſt cachinnorum:
Democriteus iure cui lien ſeruit,
Aut e patriciis ſplenibus grauis cenſu.
Nos, qui polimus affabre virum pectus
Incude ſacra; & mucidos ſenum mores
Virtutum ἐφηβῶν *fronde cogimus læta:*
Nos, qui iuuentæ ceream in ſcelus mentem
Liqueſcere æſtu deuetamus ætatis;
Nos innocentum dicimur hominum Syrtes,
Queis implicatur naufragæ ſalus vitæ.
Tu lurco, leno, vappa; tu lues morum,
Strages pudoris; tu, cui imitus ſudant

Stupra

Stupra ex medullis; penna cui litat sacra
Priapi acerra; tu, cui placet fœda
Meretricis inter oscula emicans metrum,
Palam dicari PVBLICAE *tibi affectas*
Aram SALVTIS. *Numen! o sacrum numen!*
Cui ara iure maxima erigi debet,
Erecta qualis Zoilo fuit quondam,
Proterua meritas lingua cum daret pœnas:
Quater viginti nempe crux pedes alta.

Calumnia III.

Cauponantum agmen flagris templo expulit ille,
Et dixit, Precibus est sacer ille locus:
Templa dicata Deo per vos spelunca latronum;
Per vos facta Dei est magna taberna domus.

Spongia III.

QVORSVM *tabernas nostra dicitis templa?*
Hoc augurarier Oedipus sagax nescit.
Nil nundinale prostat illibi vulgo.
Deo sacratas fundimus preces gratis:
Deo litamus hostiam; atque eam gratis:
Eius cruore abstergimus scelus gratis:
Sacramque doctrinæ dapem hic damus gratis:
Nec nos laboribus excoqui piget gratis.
Tu, ne labori præmium absuat nostro,
Mentiris, & nos conspuis probris gratis.
Sed prodigalitate non opus tali est:
Nisi obserare cautius dein labra,
Per me doceri mauelis; sed haud gratis.
Sin lectionem discere hanc procax nolis,
Fies Proserpinæ hospes; & quidem gratis.

Calumnia IV.

Fraternum paßim lex Christi inculcat amorem:
Exsulat a vestris quam procul ille choris.

Spongia IV.

FRATERNI *amoris flammula fibras nobis*
Negas calere. Bella res procax lingua!
Fingit, refingit quidlibet: nouos mores,
Nouosque vultus, fabricat nouos mundos.
Quantus Prometheus! digna Caucaso meßis,
Aquilaque dignum ferculum, & Iouis telo
Dignum tropæum! Bella res procax lingua!
Nunc insueta pectus emicat luce,
Fideique sacris Indus æstuat tedis
IGNATI *ab igne. Quamlibet flagret Sole*
Nimium calenti, sensit has faces Afer;
Marique toto flamma non potest vinci.
Nuper cruore ebulliit Thetis nostro;
ASEVEDA *quando pectus obtulit letho.*
Quid adhuc rebelli peruicax ais fastu,
Nullas medullis candicare sub nostris
Faculas amoris? Venia iam tibi danda est.
Veneris amores semper insident linguæ;
Negasque talibus æstuare nos flammis.
Nec veriora Pythius duit metra.
Rite est Poetis nomen inditum VATES:
Verum profari ingratiis Deus cogit.

Calum-

Calumnia V.

Non vstor Christus, non sector: vos dare flāmis
Corpora, vos Christi membra secare iuuat.

Spongia V.

SI quod sit vetulum senexque probrum;
Si qua edentula sit calumniarum;
Si mendacia fœda, & obsoleta,
Queis hircus putridis olet sub alis,
Emunctis fera naribus molesta:
Illud decrepitum instar est Charontis:
Iam centum numerat dies, & annos:
Iam potest Acheronticum vocari;
Et quod me hercule Cerberi trifauce
Per Stygem merito latretur ore.
Securus loquor: in capace regno
Quotquot millia, millia obuagantur,
Cuncta hæc millia Cerberum Poetam
Mentiri vnanimi obstrepent tumultu,
Dicentque: Hæreticis ea est libido,
Christi membra truci secare ferro;
Christi membra truci vstulare flamma.
Quare desine, quisquis es, Molosse,
Canina inuidia, canina orexi
Hoc cadauereo probro helluari.
Quantumcumque fuit sale, atque aceto
Obsonata nouo, nouoque semper
Hæc calumnia, iam diu putrescit.
Quid lingis vomitus canum priorum?
Se iam stommata nauseare vestra
Lectorum stomachus palam fatetur.

Calumnia VI.

Plebem iussa Patrum, natos seruare parentum,
Exemplis Christi nos monet ordo suis:
Contra in honore magistratus, vel habere parentes,
IGNATI patris vos documenta vetant.

Spongia VI.

VNVM *rogare, Fama, te supplex volo:*
Nostin' Batauum? Hunc dico, qui nobis ferox
Insultat, & liuente nos rodit labro.
Non quæro, quantus illius nasus siet.
Res certa: centum promicat longus pedes;
Quando hæc & alia cernit attonitus metra.
Vnum rogare, Fama, te supplex volo:
Quot auris olli, quot stadia protenditur?
Ecquid renides? stemma non negat suum:
Apuleius ipsi proauus, & tritauus Midas;
Mordaxque & excors symbolon stirpis gerit.
Quot auris olli, quot stadia protenditur?
Ducenta, vel trecenta; vel quantum nequit
Titan diurna conficere velox rota.
Sed quanta, quanta; certus hoc vates cano,
Auritus hic, & auris hoc numquam audiit;
Nos imperasse filiis, ne quis patrum
Consulta seruet, matris aut leges colat.
Auritus hic, & auris hoc numquam audiit;
Nos imperasse subditis, ne quis Ducis,
Ne quis Senatus scita veneretur sui.
Quid ergo? Nequam & scurra, non leges pati,
Non Principi subesse, non suetus Deo,
Allinere nobis percupit crimen suum.
Sed bellus ille pictor exerrat via.
Frustra innocenti crimina appingit nocens.

Calum-

Calumnia VII.

IGNATI, *in cuius iuratis verba magistri.*
Spernere vos homines hinc iuuat, inde Deum.

Spongia VII.

HVC *quisquis Dialectices suesti*
Gordios celer explicare nodos:
Hic Cretæ labyrinthus; hic dolosæ
Hinc illinc Maleæ iocantur vndæ:
Struxit Oedipodi crucem Poeta.
Huc accurrite Palladis ministri,
Omnes vndique, quotquot estis, omnes:
Dignum hoc auribus est sophisma vestris.
Nos Ignatius optimus virorum
Sub Christi docuit merere signis:
Ergo spernere nos Deum coegit.
O nouum hercule Socratem, aut Platonem!
Si quis hoc puer in scholis sophorum
Monetæ nimium leuis sophisma,
Aut culpa ingenij, aut nimis pigellus,
Barbato trutinauerit magistro;
Anguillæ miseras nates vorarent:
Tu barbatule lautiore barba,
Impune hæc blateras? nec erubescis?
O frons terrea, corneæque fibræ!
Jam totum decuit rubere tergus,
Pictum carnificis in officina.

Calumnia IIX.

IGNATI, *cui dote viros fraudare,*—

Spongia IIX.

PARTHORVM *decus inclytum Surenas*
Decem millia coniuges arabat:
O multo locuples colonus aruo!
Huic scilicet inuidet Poeta,
Spurcus (Iuppiter!) & salax Poeta!
Nec spurcus modo, nec salax Poeta;
Sed ipso est magis Euclione auarus.
Namque omnes, adipaliore censu
Onustas, cupit aduenire Nymphas.
Hinc quam sollicito excubat latratu,
Ne qua dotis inops puella nubat.
Et ne forte aliquid perire possit,
Per rimas canis hic tuetur omnes;
Atque vmbras etiam allatrat molossus:
Et quasi ingeniata naris olli
Hic tandem inueniat cubile fraudum,
Iam nos dente molit ferox canino:
Nos dotem eripere insonat virorum;
Hac nostras patinas dape helluari.
O Bœotia naris! o Bataua!
Ohe! iam satis est canem fuisse:
Iam tandem ingenium exuas ferinum.
Si quo nos potes obligasse furto,
Nos reos age legibus Draconis.
Quid porro refugis? Calumniarum
Notam scilicet improbus vereris.
Quantumcumque rabit furore pectus
Mali supplicium timent malorum.

Calum-

Calumnia IX.

—parentes
Prole sua, voti summa caputque fuit.

Spongia IX.

IN *ius Christe! vocat Poeta noster,*
Nouus Cassius, & nouus Charondas.
Quæ lex, quis titulus, stylusque legis?
Quorsum odisse suos iubes parentes?
Contubernia si qui Apostolorum,
Conuictumque tuum sequi petessunt.
In ius Christe! vocat Poeta noster,
Nouus Caßius, & nouus Charondas;
Atque, quod magis est tibi extimendum,
Iam crucem ædificat nouus Pilatus.

Calumnia X.

Quisquis obit, vobis cedat legata necesse est:
Nec refert orbus, an pater ille fuat.

Spongia X.

DECEMVIRORVM *Principi huc aures date,*
Memorique in ære scribite hanc legem omnibus:
Ne quis Charontis posthumam scandat ratem,
Legata moriens quin prius nobis duit.
Quis non Capenam Risui ad portam litet,
Si liberalis viderit pectus viri?
Parum est iubere: ceteris facto præit;
Nuperque iugera mille nobis transtulit,
Calumniarum larga quæ vestit seges.
Et ne benignæ ponat indoli modum;
Mendaciorum adiunxit immensum nemus:

Nemus

Nemus vepretis arduum, & plenum rubis.
Tum plaustra mille scommatum nobis dedit,
Salisque plaustra mille; sed quæ putida
Fœtent senecta. Talis, immeritos licet,
Possessionis scribere heredes cupit.
Namque illa, quæ vinosus & spurcus nepos
Meretricis inter stertuit nuper sinum,
Vidui locelli, cælibesque capsulæ,
Araneansque bursa mentiri docent;
Tabulæque clamant publicæ, & iurant palam,
Batauus ille calumniator pessimus,
Batauus ille pessima dignus rota est.

Calumnia XI.

Exheredantur nati quoque. quām procul absint
A IESV *hæc! heres nullius ille fuit.*

Spongia XI.

IESVM, *quem neque tu soles amare;*
IESVM, *qui neque te potest amare,*
Effronti calamo, impudente charta
Heredem blateras fuisse nulli.
Unde hoc scire tibi dedere Diui?
An ærarius illius Tribunus
Iactes, an potius fuisse Quæstor?
Te (quantum memini intime, & recordor,
Tunc cum Pythagoræ heresi fauerem)
Proxime solitum adsidere Iudæ,
Atque illi a calamis fuisse vidi;
Te Christi fideique proditorem,
Huic Christi fideique proditori.
Hinc te discipulum improbe sagacem
Liuenti docuit latrare lingua;
Si qua munera, si qua forte dona,

Tua

Tuæ prætereant fores crumenæ.
Quantumcumque tamen malus magister;
In hoc nequior es tuo magistro:
Nullis ille solet litare probris,
Mystes Inuidiæ nigras ad aras:
Tu montes fabricas calumniarum;
Chimæras fabricas calumniarum.
In hoc nequior es tuo magistro.
Sed conuicia fabricans lutosa,
Quæ sidunt penitus suapte sponte;
In hoc stultior es tuo magistro.

Calumnia XII.

Discipulos sine re paucos sibi iunxit IESVS:
Cœtibus in vestris pauper vbique iacet.

Spongia XII.

O *Phœbe! Vates, quisquis inter Hollandos*
Graui furore inæstuans hias carmen;
Incesta cuius percitam abripit plebem
Cortina: sodes, quis tibi hoc Deus dixit,
In æde nostra pauperes humi abiectos,
Vappæque adinstar, nauteæque, contemptos,
Præbere risum ceteris? O effrontem!
O impudentem! Sola vox NEGO *fauces*
Oppessulabit ferreo tibi vecte.
Non visa, non audita somnias probra.
Quin experiris? Nudus instar anguillæ,
Cui proteruam euestiit coquus pellem,
Nostras ad ædes aduola: obuiis passim
Curretur vlnis: nullus expetet lucrum,
Aurumque nullus. Fallor! heu nimis fallor!
Hinc appage, hinc; nec nostra polluas tecta.
Quamuis lupinos exuat lupus crines,

Nemus vepretis arduum, & plenum rubis.
Tum plaustra mille scommatum nobis dedit,
Salisque plaustra mille; sed quæ putida
Fœtent senecta. Talis, immeritos licet,
Possessionis scribere heredes cupit.
Namque illa, quæ vinosus & spurcus nepos
Meretricis inter stertuit nuper sinum,
Vidui locelli, cælibesque capsulæ,
Araneansque bursa mentiri docent;
Tabulæque clamant publicæ, & iurant palam,
Batauus ille calumniator pessimus,
Batauus ille pessima dignus rota est.

Calumnia XI.

Exheredantur nati quoque. quā procul absint
A IESV *hac! heres nullius ille fuit.*

Spongia XI.

IESVM, *quem neque tu soles amare;*
IESVM, *qui neque te potest amare,*
Effronti calamo, impudente charta
Heredem blateras fuisse nulli.
Unde hoc scire tibi dedere Diui?
An ærarius illius Tribunus
Iactes, an potius fuisse Quæstor?
Te (quantum memini intime, & recordor,
Tunc cum Pythagoræ hæresi fauerem)
Proxime solitum adsidere Iudæ,
Atque illi a calamis fuisse vidi;
Te Christi fideique proditorem,
Huic Christi fideique proditori.
Hinc te discipulum improbe sagacem
Liuenti docuit latrare lingua;
Si qua munera, si qua forte dona,

Tua

Tuæ prætereant fores crumenæ.
Quantumcumque tamen malus magister;
In hoc nequior es tuo magistro:
Nullis ille solet litare probris,
Mystes Inuidiæ nigras ad aras:
Tu montes fabricas calumniarum;
Chimæras fabricas calumniarum.
In hoc nequior es tuo magistro.
Sed conuicia fabricans lutosa,
Quæ sidunt penitus suapte sponte;
In hoc stultior es tuo magistro.

Calumnia XII.

Discipulos sine re paucos sibi iunxit IESVS:
Cœtibus in vestris pauper vbique iacet.

Spongia XII.

O Phœbe! Vates, quisquis inter Hollandos
Graui furore inæstuans hias carmen;
Incesta cuius percitam abripit plebem
Cortina: sodes, quis tibi hoc Deus dixit,
In æde nostra pauperes humi abiectos,
Vappæque adinstar, nauteæque, contemptos,
Præbere risum ceteris? O effrontem!
O impudentem! Sola vox NEGO *fauces*
Oppessulabit ferreo tibi vecte.
Non visa, non audita somnias probra.
Quin experiris? Nudus instar anguillæ,
Cui proteruam euestiit coquus pellem,
Nostras ad ædes aduola: obuiis passim
Curretur vlnis: nullus expetet lucrum,
Aurumque nullus. Fallor! heu nimis fallor!
Hinc appage, hinc; nec nostra polluas tecta.
Quamuis lupinos exuat lupus crines,

Securus hospes esse non potest agnis.
Exuere virus vipera, haud cutem debet;
Quando hospitari sub meo volet tecto.

Calumnia XIII.

Nil habuit Christus, vos omnia. nulla supellex,
Nulla domus Christo, culcitra nulla fuit.

Spongia XIII.

FVR, *latro, sacrilegus, raptor, prædator, abactor,*
Furinæ Mystes, Mercuriique nepos!
Redde meam chlamydem. meus est, meus ille galerus;
Ille meus thorax; & tunica illa mea est.
Redde aurum, gemmas redde, & quascumque tyranna
Durius immeritas cista flagellat opes.
Omnia redde mihi; vel te, scelerate, vadabo:
Omnia nam mea sunt: omnia nam mea sunt.
Chirographum ipse tuum, Fama obsignante, dedisti:
Omnia iam mea sunt: omnia iam mea sunt.
Aut mea redde mihi; aut populo te verba dedisse,
Mentitumque palam confiteare decet.

Calumnia XIV.

Vos Vrbem vestris domibus cõpletis, & orbem. &c.

Spongia XIV.

SI *nostris domibus replemus vrbes;*
Si nostris domibus replemus orbem:
Eia dic, vbi sint tui penates?
In quanam platea, vel angiportu?
Forte in Vtopia capace regno?
Vel cælos supra, et atrium Deorum?

An cibos vbi Tantalus fugaces
Frustra prosequitur, rotatque fessus
Sisyphus nimium rebelle saxum,
Atque aues Tityus fibris saginat?
Hic sunt, arbitror, hic tui penates:
O apti nimium tibi penates!
Quidnam ringeris? insto, rursus insto:
Eia dic, vbi sunt tui penates?
Nam nulla esse queunt in vrbe, & orbe.

Calumnia XV.

Vos vncti capitis tonsura coronat: IESV
Nulla nisi e spinis plexa corona fuit.

Spongia XV.

DVM *mystice coronat, vt decet mystas,*
Tonsura puritatis exhibens pignus,
Sudum caput sine balsamo, & sine vnguento;
Mordace spina verticem velit nobis
Siluescere atrox verpa. num rogas caussam?
Quantum sagaces indicant mihi nares,
Iudæ propago est; indolem gerit stirpis.
Mastigas ille criminum suorum odit:
Vellet perisse, vellet, & cruci iniectos
Cupedias dedisse vulturi, & coruo.
Quas liberali pectori vices pendam?
Sex millia hellebori vncias, quibus bilem
Vtramque purget, desinatque sæuire.
Quod si mederi nesciam malo tanto;
Auarus esse nolo, siue inurbanus:
Tum mille restes imprecor, cruces mille:
Nec vero egere pluribus virum credo.

Calumnia XVI.

Persona fucique expers agitauit IESVS:
Ore nihil vestro pictius esse potest.

Spongia XVI.

NON *herba fallax, non linunt genas faeces;*
Nec linteum mendax, nec impudens larua.
Vultus dieſcit liber, & procul nubes:
Radiant serena fronte pectoris Soles:
Illimis absque faece frons, genæ, vultus;
Nec fucus aut cerussa adulterat formam:
At sola honestas vultibus micat nostris.
Quænam ergo fraudulenta, quæ vafra inuestit
Persona corpus? nulla (Iuppiter!) nulla.
At sola honestas vultibus micat nostris.
Hanc esse laruam credis: & velut laruam
Fugis timore torpidus, metu pallens;
Puerique adinstar, matris in sinum repis.
Ah fallor! aurem vellicant tui libri:
Lurconis instar, Veneris in sinum repis.

Calumnia XVII.

Vobis larga caui spirant mendacia folles:
At Christus doctus non nisi vera loqui.

Spongia XVII.

TRIVIALE *probrum, plebis obtritum pede,*
Calumnia absque obsonio, absque vllo sale,
Mentiris: *istud inuicem scurræ ingerunt:*
Triuiale probrum, plebis obtritum pede.
Sed ne procaci mente responsum abnui.

Quera-

Queraris, & conuicia effingas noua;
Dignum patella operculum cudam tibi.
Mentiris, *o calumniator pessime,*
Mentiris. *Istud nomen expungas libris:*
Iam persolutum est, ut reor, cum fenore.

Calumnia XIIX.

Plurima sunt Christo *miracula: qualia narrāt*
Nulla domi a vobis edita, nulla foris.

Spongia XIIX.

QVID *miracula, quid cies procaci*
Nostra prodigia improbus tumultu?
Quamuis Lerna vagum ambulet per orbem,
Et præpes elephas volet per æthram;
Quamuis astra nigro hospitentur Orco,
Et Styx lacteo in alueo coruscet;
Dices hæc magicis peracta succis.
Quid miracula, quid cies procaci
Nostra prodigia improbus tumultu?
Vnum est prodigium omnibus stupendum,
Vnum est prodigium omnibus piandum:
(Si quo fonte tamen potest piari)
Tam procaciter insolens Poeta,
Tam procaciter impudens poeta;
Vt tonsoribus, ut probata lippis
Illum ostenta queant latere solum;
Ille ostenta queat negare solus.
Vis miracula nostra contueri?
Ne fides tibi lubricet necessum est.
Hoc Christus docuit, chorusque Christi:
Quid contra crocitas o Antichriste?

Calumnia XIX.

Orbe procul nostro credat Maranus apella,
Non ego; & auctores sit penes ista fides.

Spongia XIX.

MARANVS *ille, quisquis est, cui ferreo*
Incumbis ore, o proditor Dei & Regis,
Palam fatetur, orbe quod procul nostro
Ostenta priscis aequa Numen ostentet.
Sed tu, Marano peior atque Iudaeo,
Praebere dextram denuis. Quis hoc credat?
Qui proditorem Regis & Dei credit.
Namque hic Marano peior atque Iudaeo est.

Calumnia XX.

Fibula cum Christo nil conuenit, omnia pugnãt;
Nil confine polo scilicet orcus habet.

Spongia XX.

DISCINCTISSIMVS *omnium nepotum,*
Perditissimus omnium nepotum
Christum adstringere fibula recusat;
Et cogit tunica ire dissoluta:
Ac ni decipias, Apollo, vatem,
IESVM *in Venerem incitare vellet*
Discinctissimus omnium nepotum,
Perditissimus omnium nepotum.
Quantumcumque tamen latres, molosse,
Et dentes acuas, & ora vibres.

Frustra

Frustra litus aras, nihilque frugis
Demens agricola hinc potis referre.
Miscebis citius polis Auernum;
Miscebis citius polos Auerno;
Quam Christo potes abstulisse zonam,
Quam nobis potes abstulisse zonam.

Calumnia XXI.

Quid vobis IESVS? *quos vsu instructa magistro*
Natura haud agnos, sed probat esse lupos?

Spongia XXI.

VNO *te, lupe, paruuloque verbo*
Conuentum cupio: breue est problema,
Quod in concilio tuo explicandum.
Hic consanguineus tibi Poëta;
Hic, qui in nos vlulat procace lingua;
Hic, qui nos laniat procace dente,
Nobis esse ait indolem ferinam;
Nobis esse ait indolem lupinam.
Quid censes, lupe, maxime o Catonum?
An non huic magis indoles ferina?
An non huic magis indoles lupina?
Huic, qui in nos vlulat procace lingua?
Huic, qui nos laniat procace dente?
Audin', quid senior lupus loquatur,
Consultum recitans sui senatus?
Vos lupos ait esse pestilentes,
Quos Christi iuuat in gregem rabire
Furcis, & laqueis, & ense, & igne.

CAPVT V.

Arnaldina, Paschasina, variorumque in SOCIETATEM IESV *criminationes enubilata.*

MIraculum fuit Græca quinionem enixa filiorum, ſemel omnium mater, vnici fetus parens multiplex, vnici vteri puerpera numeroſa, quæ tot ſtipata corporibus, pæne dixeram populo, ſextum ipſa corpus fuit. Maius portentum Caluiniana labra, poſtquam

—— *infami fregerunt ſæcula luxu,*

vno ructu integra mendaciorum maria deuomentia in adamantinam SOCIETATIS rupem. At hæc altior eſt omni murmure, firmior eſt omni ſtrepitu, certior eſt omni Aquilonio flatu: & tamen fremunt Caluiniſtæ, frendentque in SOCIETATEM tam acide, vt, ſi vel Iuppiter in os illis pluat nectar, futurum ſit acetum,

Vel Vaticani perfida vappa cadi.

Quis non minora monſtra putaret,

Si mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnum;

quam ſi audiat Caluiniſtas SOCIETATI ſua appingere facinora? Perſuadere hæc poterant mulierculis credulis, ſexus ſui facilitate labentibus, quæ verborum lenocinio a veritate auocatæ ſine delectu aſſentiuntur omnibus: at nos rem ipſam, non eloquentiæ tumore, ſed rerum ſoliditate libremus, conuiciorumque acerbiſſimam labem verborum veracium lumine diluamus. apud prudentes enim mihi hæc verba. nam imperitorum

rum mens, artis concinnitate decepta, tamquam auri quodam fulgore, argenti nitore, eboris candore, perstringitur atque hebetatur. dedit enim

— hanc contagio labem,
Et dabit in plures; sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit & porrigine porci.

apud quos nullo sæculo solida veritas stabulauit: quæ candore quodam suo ignara fuci, vt infans extranea vbera, sic Caluiniana fugit fabulosa cubilia, affectatricia & interpolatricia veritatis: cuius castris semel in hæresi denunciatis, & veri aquilas, & candoris baltea deturbauit. Nemo enim ad hostem transit, nisi proiectis armis suis, nisi destitutus signis & sacramentis Principis sui, nisi pactus semel perire. Quibus ego quid respondebo? Magi quidquid miraculi ludunt, per dæmones ludunt: quibus inspirantibus, & infrendentibus, præstigias edunt. Diabolus aduersus SOCIETATEM fabulas grandes ædificaturus, de Caluiniano ore mendacia deructauit. Quid dicis Paschasi? quid tu

— acuto capite, & auribus longis;
Quæ sic mouentur; vt solent asellorum?

Exspecta,

Dum veteres auias tibi de pulmone reuello.

Durior, ait, it versus. Non diffiteor: scio te illum malle,

Quo Cynico barbam petulans Nonaria vellit.
— post prandia Callirhoen do:

mane salis, aceti, & ellebori modium, edicti loco. fruere. Hæc pro tuis fœdæ & linguæ & calami versibus,

Quæ sulphurato nollet emta ramento,
Vatiniorum proxeneta fractorum.

Vis a me serium monitorium? Caue vmquam

Fumantem nasum viui tentaueris vrsi.
Sit placidus licet, & lambat digitosque, manusq;
Si dolor & bilis, si iusta coegerit ira,
Vrsus erit. vacua dentes in pelle fatiges,
Et tacitus quæras, quam possis rodere carnem.

Nam ad tuos illos stolidissimos versus, quis Cacus ora teneat?

Quid? congregare cum leonibus vulpes,
Aquilisque similes facere noctuas quæris?
Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
Inepte, frustra crure ligneo curres.

Quid tu ad hæc Arnalde? Rides, ait,

—— & nimis vncis
Naribus indulges.
Innocuos permitte sales. cur ludere nobis
Non liceat; licuit si iugulare tibi?

Quamquam,

—— per me equidem sint omnia protinus alba;
Nec moror: euge: omnes etenim bene miræ eritis res.
Hoc iuuat. Hic, inquis, veto quisquã faxit oletum
Pinge duos angues: sacer est, pueri, locus, extra
Meiete. Discedo.
Hic tamen infodiam: Vidi, vidi ipse libelle,
Auriculas asini quis non habet,

in omni illo pantomimorum Gebennensium grege? Et has ego non vellicem?

Hoc ridere meum tam nil nulla tibi vendo
Iliade.

& te-

& teneam latiores cachinnos ad Paſchaſij, ad Arnaldi librum? Video vtrumque trepidare,

Ne nigram cito raptus ad culinam
Cordyllas madido tegat papyro,
Vel thuris piperiſque ſit cucullus.

Iam eſt, ne dubita.

Sed de Marione vis quid ſentiam? Quis ſit hic Marion, dicite Poëtæ.

Hoc, quod Tranſtiberinus ambulator,
Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutat vitreis: quod otioſa
Vendit qui madidum cicer coronæ:
Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis cocus popinis.

Pinxit hic SOCIETATEM tam tetro ſulphuris colore, tam vili ciceris dictione, tam rancido gurgulione, vt & vere & erudite amicus meus luſerit:

Impia Cecropias effundit pica querelas:
Iudice non opus eſt noſtris, nec vindice, libris;
Stat contra, dicitque tibi tua pagina, FVR ES.

Redeo ad te Arnalde. quo? quo Paſchaſi? quo?

Vnde mihi lapidē? Quorſum eſt opus? Vnde ſagittas?
Aut inſanit homo, aut verſus facit. Ocyus hinc te.
Ni facis, accedes opera agro Gallicano.

Tu me? tu Gallicanæ areæ? *— vt vetulus bos,*
Qui domini cultris tenue & miſerabile collum
Præbet, ab ingrato iam faſtiditus aratro:

ita tu, non modo a Gallicano campo; ſed a Lemannico iam faſtiditus lupanari, ignauam præbebis ceruicem, linguamque maledicam. o tandem,

Tandem nequitiæ fige modum tuæ,
Famosisque laboribus!
Maturo propior desine funeri.

Adeone te caluo capite iuuat alienis
Insultare malis, rebusque ægrescere lætis?
Nocte boues macri, lassoque famelica collo
Iumenta ad virides . . . . mittuntur aristas.
Nec prius inde domum, quam tota noualia sæuos
In ventres abeant; vt credas falcibus actum.

Factum hoc a manu tua, in illa alta SOCIETATIS nocte, in qua (exclusa a Gallicano Sole) Itala Belgicaque vidit sidera. at

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ.

Vides hoc, & Cerbereo trifauce rictu sæuius infrendes,
—— tumefactaque frustra
Colla sedent, irasque tui bibis ipse veneni.

bibe, & exsatiare damnabili hoc succo. At tu interim aude nunc pedem pedi, ferrumque stringere in armatam hostilem dexteram. nam qui, extra metas dandi sanguinem, in absentem longe sæuit hostem, hunc ego credam virum,

—— si grandes patinas, tucetaque crassa

apponas mensis; si tripedales cyathos. Ergo intuere (& viue) inimica agmina, non iam vltra Oceanum denso vallo firmata; sed in oculis sui Regis, Ductoris, Tutatoris. si non frigidus promanet sudor: si non,

Qualis cæruleis tumido sub gurgite terror
Piscibus, arcani quoties deuexa profundi

Scru-

Scrutantem Delphina vident; fugit omnis in imos
Turba lacus, viridesque metu stipantur in algas;

ita tu a pedibus salutem petas, mentior. Et aude nunc. Dic SOCIETATEM iuuentutem perdere, ad quam formandam, & quasi de rudi argilla figulandam, Regio euocata imperio est: dic in Principis sui iugulum armare dexteras, immemorem iuguli sanguinisque sui: accinge viduo castoque illius lateri ferrum, quod numquam vidit; & mendacio potes. Nosti illum, qui secundus eruperat in has blasphemiæ voces:

—— virtus mihi Numen & ensis,
Quem teneo?

Audi alterum cæli terræque contemptorem Capaneum,

(Primus in orbe Deos fecit timor)

prouocantemque non iam Reges, sed Deum ipsum. neque tamen speret cælo fulmina femineum pectus: nimis etiam valida dabit hæc manus a SOCIETATIS schola. quæ,

Duris vt ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes animumque ferro;

ita a Calumniarum tuarum viperea pharetra, tamquam a salubrium medicaminum theca, robur induit, virescitque, crescitque, non iam ad oculorum fugam, sed ad lippientium exsultabundum stuporem; deque exitiabili tuo afflatu, de venenoso spiramine, densatis neruis lacertisque, seipsa nunc maior SOCIETAS est. E cuius schola non diffiteor me prodire, vltimum Scæuola-

rum, qui in caput Arnaldi tuumque iuratam manum ſtringimus. huic ego ſcholæ, ſi quid habeo, debeo. Et in hanc quidem lucem

—— ſteriles tranſmiſimus annos:
Hæc æui mihi prima dies, hæc limina vitæ,

in quam vel nolentem, & alia omnia agentem, tua me Caluinianaque coegit improbitas. Olim

Ante rates pigro torpebant æquora ſomno;
Nec ſpumare Thetis, nec ſpargere nubila fluctus
Audebant: viſis tumuerunt puppibus vndæ.

accidit idem meo calamo. torpebat, ſed & ſtertebat altum; nec illi quidquam prius otio ſuo: excuſſit ſoporem Caluinianum taratantara. Da veniam, Lector, ſi non ad Miltiadis, Epaminondæ, Themiſtoclis, aut Africani buccinam; ſed ad infame Meduſæum Charonticum cornu cingar lorica. tota iam incurrunt agmina, & ſecurus dormiam? Nec negauero interim ſtetiſſe non ſemel pectus hoc dubium

Incertumque animi, daret armis iura, nouoſque
Caluino incuteret ſtimulos; an frena teneret
Irarum, & motos capulis adſtringeret enſes.

& porro pergebat dubium, cum non niſi magno vellet

—— in ſanguine mergi.

Vt vidit tamen creſcere hoſtilem aciem, nouiſque auctibus aliquid timendum ſpirare, nec diutius integra fama poſſe amari hanc quietem; deſcendit ad arma, & hæc (audiat Deus, dirigatque) propugnatoria tela dicat ſacratque:

I. Pa-

I.

Paschasio.

SEMPER ego sileam? numquamne insana refellam
Dicta tot Eumenidum, quot vulgauere libellos?
Non ita. stulta abeat patientia cum mala crescunt,
Nesciaque occluso mitescere lingua palato
Illita letiferis iaculatur tela venenis,
Queis feriat quascumque aures; & si qua patescat
Janua, per penitas sinuet sua toxica fibras.
Vnde sed incipiam? quæ prima extremaque dicam?
Vndique me cinctum mendacia circumsistunt:
Attamen experiar, quid concedatur in illos,
Qui veluti folles & semina prima malorum.
Ergo ades, hereticæ Patrone & Tutor Hyanæ,
Helleboro cerebrum, pectus dignissime bulla;
Infami quamuis digitet Nonaria canos.
Huc ades, & VERO sub Judice confere dextram;
Si qua animo virtus, si qua est fiducia caussæ;
Si qua Dei, aut Superum: melius sibi conscia certe
Me trahit in medium, cælo inuitante, THEATRVM.
Perge, age; quid trepidas? calca gladiator arenam;
Seu Myrmillo placet, seu Thrax; seu forte Secutor,
Seu tunica accincti Neptunia fuscina Gracci:
Incipe, &, adsperso proludere puluere cessans,
Inuidiæ pharetra solitas deprome sagittas:
Ingrederis, simul aggrederis; sed futile telum
Euolat, & summas asini vix verberat aures.
Namque Magistratum nati conuellere PATRES?
Subtrahere obsequium Dominis, motusque ciere?
O caput Anticyris purgandum, fulmine linguam!
Dic potius natos euertere dira rebellis
Dogmata Lutheri, (cunabula prima loquuntur)
Exstirpare nefas, vitiorum abolere nefandam
Progeniem, posita radicis ad ima securi;

Atque

Atque ita securos populumque, Patresque, Ducesque,
Æternum solida virtutum pace beare.
HAERESIOS *proprium in Dominos armare* REBELLES,
Et similes fluctus tempestatesque mouere.
Vidimus experti, (ne longe exempla petantur)
Vidimus, heu! BELGAE, *tot iam lugentibus annis.*
Pro! quibus illa lues atque implacabilis Hydra
Cladibus afflixit! quibus impetit vsque ruinis!
Destruit hinc vrbes, agros populaturit inde,
Impiaque infestis indicit prœlia signis.
Hæc eadem flammisque tuis, validisque procellis,
GALLIA, *queis quondam flagrasti, & mille periclis;*
Mille malis, dedit vna faces, dedit vna ministros.
Hæc primum præstrauit iter tot cladibus, atque
Cædibus, extremæ limen rimata ruinæ;
Ni PATER OMNIPOTENS *obstacula certa dedisset.*
Sed dedit, & laxas compressit hiantis habenas;
Teque tibi, auspiciis HENRICI, *& præpete cælo,*
GALLIA, *restituit, Phœbumque diemque reducens.*
GALLIA *ter felix, Fidei si prodiga numquam*
Impia ciuilis fouisses semina belli
Hæreticos, numquam vestigia deflexisses.
Ille dies primus belli, primusque malorum
Caussa fuit, primus te sensim vellere cœpit,
Naufragiique metum, malo nutante, minari.
HAERETICI *ergo tui, Cyclopum dira propago,*
Tartareæque faces, atque incentiua nocentum,
(Non LEGIO *hæc, velut effutis, Ductoris* IESV*)*
Flammauere rogos, quibus arsit Gallicus orbis,
Belgicus ardet adhuc: illi ciuilia soli,
Heu! nimis infaustis auxere incendia Cauris:
Illi acuere enses: illi armauere ministros
In Regum capita, in cineres, nec tuta sepulcris
Sedibus ossa suis: illi eruta corpora bustis
Obiecere feris prædam, aut ludibria ventis:
(Ignoscant homines; poterunt ignoscere Manes?)

Illi,

Jlli, illi, Dominoque, Deoque, vtriusque Senatu
Turpiter explosis, fascesque sacrasque Curules
Inuasere, truci turbantes cuncta tumultu;
Iura profana sacris, & iura sacrata profanis;
Templa foro, templisque forum: subsellia & aras
Cauponum tenuere manus, fæxque improba vulgi,
Audaces scurræ, parilique tyrannide lixæ.
I nunc, & SOCIOS IGNATI *hoc crimine culpans,*
Hæreticos palpa, Caluini posthuma proles,
PASCHA-SVIS *Bezæ, Bezæanique Lycei*
Delicium; similes eructa sæpius offas,
Ventribus vnde parent parasiti prandia centum.
Fallor? adhuc mutis, socerique venena resorbens,
Stigmaticæ infelix pruriga ARNALDE *proseuchæ,*
Euomis in similes nebulonum hinc inde patellas,
Tartareis quondam mensis decora alta futuras?
Deficis at primo rationum limine mendax,
Deficis; & proprij retegens figmenta cerebri,
Testaris fallacem animum, rabidumque furorem,
Quem Pluto Furiæque cient, quemque hæresis efflans
Ventilat omnigeni fecundo folle veneni.
Perge tamen solito mendacia fingere, litem
Cum socero, & generis præclaro stemmate vestri,
Innocuos contra, cacodæmone, contestatus:
Perge; Iuuentutem dic perdere; finge ciere
In capita Heroum, Regumque; & candida verte
In nigrum, Stygiæ teterrime carbo culinæ.
Haud vmquam melior texendæ occasio fraudis,
Quam dedit infelix iuuenum e tot millibus vnus.
Arripis, & stomachum ventorum nube saginas,
Jnque Ixionidas solitæ tuceta farinæ
Ebrius exhalas, odiorum pabula crudis.
Stulte, quid aeriæ vaga nubila porrigis vmbræ?
Inque foro clamans diris mugitibus instas;
Quales nec Siculus rabido dedit ore iuuencus?
Si quis inops mentis, si quis pietatis egenus

Prodierit castus, spurij de more, Lyceis;
Doctrinæ reputas vitium, culpamve magistri?
Falleris, & toto cælo haud ignarus aberras.
Semina virtutum satis est sparsisse per agros,
Et virides animorum hortos, dispersaque rore
Atque aliis fouisse modis, exire sub auras
Vt valeant, lætosque sinu protrudere fetus.
Non datur agricolæ vitio, si consita tellus
Semina suffocet, gremioque putrescere cogat;
Aut exserta solo si grandinis atterat imber,
Euerratque furens ventorum turbine prædo:
Non magis hoc. sed verte tamen, solitoque furore,
Atque errore pari, cælo indignante, MAGISTRVM
Sacrilegi Iudæ CHRISTVM, CHRISTIQVE *(nefandum!)*
Argue doctrinam, sociosque hoc crimen ob vnum
Damna omnes, vna innocuos, vnaque nocentem.
Hæc censura placet? si displicet, excute Virgam,
Qua studia incestas: alioquin lumina torquens,
Respice ab aduersa vastum quot parte per orbem
IGNATI *fudere scholæ, virtutibus æque*
Ac varia illustres doctrina, omnique decoros
Ingenua arte viros. Verum hæc exempla tenebræ
Lucifugo, & veri terebranti lumina Solis.
Vnum vrgens, vnum inculcans, das crimine nullo
Mille reos, vitiique vocas scelerisque magistros,
Pax quibus vna placet, Virtusque ignara nocendi.
Cernimus in steriles toties vanescere calmos
Triticeas messes, succosque oblita priores
Degenerare pyra, & mentiri semina sexum:
Quid molles puerorum animos monitore carentum
Miramur ruere in peius, retroque relabi?
Quam leuis illa volet, quam cæca, & mobilis ætas,
Quam prona in casum, quam recta relinquere pernix,
Cereaque in vitium, quis nescit? at vndique quantæ
Insuper insidiæ! scelerum contagia quanta!
Quid loquor? in cælis (vitiorum vbi nulla tyrannis,
Nulla

Nulla mali radix, veri ignorantia nulla)
Infandum nimis, & nimis exsecrabile crimen
Sacrilegis aggressi animis, cæcoque furore,
Spirituum Proceres, superi pars magna Senatus:
Et miramur adhuc sacris exire palæstris
Degeneres animos, qui recto tramite flectant,
Errorisque viam teneant, virtute relicta?
Miraris, mirande magis, durisque flagellans
Verborum scuticis, proclamas esse nocentes,
(Vnius ob noxam & furias audacis ephebi)
Quos nosti innocuos, & atroci crimine puros.
Sic replere studes patulas erroribus aures?
Pemmatiumque tuis, Caluini pistor, amicis
Pinsere, quo dentes in CENA *mille fatigent?*
Hinc furis? hinc bifida fallacis cuspide linguæ,
Et calami, immeritos laceras crudeliter artus?
Tempus erit, cum VERIDICVS *ius dicere* IVDEX
Nube super rosea veniet, teque arguet horum,
Nudaque detractis reteget mendacia laruis.
Sed quid ago? frustra moneo, cui lumen vtrumque
Jampridem, & veræ Fidei, & rationis, ademptum;
Cui ferrugineum perfricta fronte cerebrum.
Perge igitur solito mendacia fingere, Ditis
Magne gener, solca tandem donabere sponsæ:
Perge pios onerare probris, & texere cœptam
(Gratum opus hæreticis) duplicato stamine telam;
Non qualem Pallas, vel Palladis æmula Lyde.
Prosequeris celer, & sparsos hinc inde Cyclopas,
Jmmistosque ciens Erebi stagnantis alumnos,
Somnia vana refers auidis, recipisque vicißim:
Scilicet IGNATI *periisse Agamemnona telis,*
Longæuumque Asiæ Regem, Rutulumque ferocem.
O miser! a tergo te quanta ciconia ridet!
Rhinoceros quanto suspendit in aere naso!
Quam Regum populique salus sit cara, docet res:
Quin ipsi regnorum apices proceresque loquuntur.

Et quamquam diuersa sonant; tamen omnibus vna
Vox sonat, inque PATRVM *præconia concitat œstrum.*
Sed quid progrediar? satis est libasse supremis
Hoc epulum labris; fastidia forte moueret;
Indiga nec laudis, se felicissima, VIRTVS.
Non frustra HENRICVS(*quo* GALLICA LILIA *florent,*
LILIA *perpetui spirantia veris odorem)*
Hos, hortante Deo, sua regna reuisere iussit,
E quibus (vndecimus melior iam voluitur annus)
Infestis succincta odijs extruserat Hydra
INVIDIA, *& iunctis damnosa* CALVMNIA *laruis.*
Heu! quibus illa modis, quibus illætabilis auræ
Vulneribus, quibus obloquiis lacerauit, acerbans
Iram ira! quibus opprobrijs, qua cuspide PATRES,
Luxuriata odijs gliscentibus, interpunxit!
Atra lues! funesta lues! tu prima malorum
Buccina, & vrgentis fax funestissima flammæ;
Tu prima errorum genitrix, nutricula prima;
Tu scelerum inuentrix; tu tot mendacia in auras
Traxisti e tenebris, alimenta nefanda furoris,
Qui tanto in miseros grassatus turbine dudum
Sæuijt, & rabiem nequijt satiare nocendo.
Est tamen, est aliquis sceleratis terminus ausis:
Pressa malis variis, varijsque exercita pœnis,
Exsurgit VIRTVS, *atque eluctata refulget*
Clarius; e mediis velut emicat ignibus aurum.
Cernis? ab exsilio reuocantur, & auspice REGE
Exsultant reduces, nec in vna sede locantur.
Qui plausus, quæ signa animi comitantur euntes!
Quanta per addictas exundant gaudia mentes!
Gaudia; Sequanico quæ non contenta teneri
Litore, magnanimi celebrant præconia REGIS
Omnibus in terris, & crispant æthera votis:
BORBONIOS *da mille, Deus, da mille nepotes!*
Votorum fit tuta fides, fideique vicißim
Vota datæ, falsique impresso crimine gaudet.

Purga-

Purgatum VERVM, *victoque Errore* TRIVMPHAT.
Fausta dies! optata dies! date carmina tali
Digna die, & dudum suspensæ sumite tandem
Obsita plectra lyræ, numerisque intendite neruos,
Deliciæ Aonidum, Parnassi germina, Vates:
Quisque, velut pollet redimitus tempora lauru,
Festiuo moueat vocales pollice chordas:
Quisque diem studeat certatim extollere cantu,
Cumque die Auctorem victuris tradere chartis.
Hunc equidem ambisset, pulsis ad carmina neruis,
Pellacis celebrare lyræ Rhodopeius Orpheus;
Nec minus insignis Graia testudine Homerus,
Et Latia certans superare Andinus Homerum.
Me certe non vnus amor, non vna canendi
Caussa trahit cupidum pleno decurrere campo
In laudes, REX MAGNE, *tuas; sed terret euntem*
Copia, & expanso remoratur Cerberus ore.
Da veniam, liceat paullum suspendere cœpta,
REX INVICTE, *precor; rabidi dum stringo capistris*
Guttura, & IGNATI *sancta ceruice repello*
Turpiter impacti mendacem criminis vmbram.
Perge igitur, solito mendacia fingere perge,
Dedecus heu patriæ, perturbatorque bonorum,
Impie PASCHASI; *sua bella mouentis alumnos*
Hesperiæ indigita PATRES, *vafrosque Sinones.*
Sic foculum igniculas? sic Troica, sæuior illo
Qui cecinit flagrante domo, lallare laboras?
Macte, Tribunicios Caluini imitare nepotes,
Talia qui norunt, ne dum pappare minutum:
Totos pande sinus, mendacibus vtere velis,
Et quæcumque potes verborum aplustria profer.
Scilicet Hesperiæ quærendus remus in vnda,
Quo citius ratis INVIDIAE *per cærula currat.*
Sed quid ego hæc frustra nulli non nota reuoluo?
Quidve tuas nebulas, tenuesque euentilo fumos,
Deplorande senex, puerorum & fabula vulgi?

Sponte sua in nihilum, nullo sufflante, residunt:
Et satis hos CICERO *patrio* RICHEOMIVS *ore*
(Eloquium eloquio superans, mendacia veris)
Fregit; at oppressit velut ictos fulmine nuper
REGIVS *immenso rationum pondere* SERMO.
Estis io SVPERI! *vobis sunt omnia curæ.*
Per vos caussa PATRVM, *tot dudum onerata tenebris,*
His procul excussis, placuit purgata SVPREMO
GALLORVM DOMINO. *quid ringeris, inuide? frustra*
Ringeris, & VERO genuinum infigere tentas.
Perge tamen, solito mendacia fingere perge,
PASCHASI *infelix, alterque latrator* ANVBI.
Perfrixisse quidem queritur conclusio fauces;
Sed calet & feruet flammata libido nocendi.
Pergite; si quod adhuc post tot mendacia restet,
Euomite, & vosmet pytismate conspurcate.
Scilicet hanc miseri laudem, spolia ista refertis,
Tuque, generque tuus, mortaria bina Megæræ.
Ite, patrissantes recutiti lilia dorsi
Carpite, & incestum constringite stemma nepotes.

II.

IANO ET IANINO

DOVSICIS.

QVIBVS perpetuam in his versibus, ab incude etiamnum calentibus, vitam. hos inter transtra multiforabilibus tibiis, glabri remiges; inter aplustra Zelandici archipiratæ; in ædificatis super abiegnarum textu toris, bicoloribus ab Indico raptu culcitis, Bataui canent Gubernatores; postquam frequens tessera, eboratis (ne quid in crudelitate ad luxum desit) resultans pyrgo-

pyrgorum gradibus, deuoluta fuerit in innocentis alicuius decimatum caput. ita gaudet feritas, ſortis æquitate, mortis iniquitatem diſpergere. quod vbi fiet, nautica effrenis turba, per triſtes hoſce exitus polluta, ad leuanda ſcopulorum confragoſorumque fluctuum faſtidia (quo hilarius periclitetur) moleſtaſque excubiales curas, nobile hoc celeuma concinet: ſed &, vbi impia deterſerit arma, lætum Ianino pæana canet; vt ori ſacrilego rubiginem ſubmoueat; & omnem latrociniorum, quibus per naufragia, perque diſcriminum familiaritates exercitata valide valet, excutiat memoriam: aut demum inter Thyeſteas epulas delibutæ iuuentutis, inter myrrhatos, pumicatos, & ab Oriente malobathratos Batauicos inueſtes adoleſcentulos, demorſum hoc carmen, per inoffenſas, aut per ſalebroſum balbutientes linguas, proludat.

IANO ET IANINO
DOVSICIS.

CERTATIM *totus, ruptis clathris, Epicuri*
Grex erumpit haris; fumos vndaſque caminus
Ecce vomit: vos Leida vocat; ceſſatis Hyænæ?
Vertite mox alio: læta men ab arbore pendens
Nequidquam retinet, vibrataque membra fatigat.
Quid? necdum naſi ſeſe nidore ſupinant?
IANINVS, *non incertum Stygis incrementum,*
DAEMONIS EXCREMENTA *coquit; ſartago coaxat:*
Inculcata parat ſolitis farcimina probris,
Liuentiſque atro Cocyti inſperſa veneno;
Qualia veratro imbutis ſapidiſſima linguis
Eſſe ſolent. eſt lautities ipſiſſima: caſta
Relligioſorum laniatur fama. tepetis;

Dum

Dum Calaber patinis condimentum parat auceps
PASQVINVS, rude donandusque Lauernio inardet,
Putrentem exhalansque animam dat flabra sub ollam?
Nuba peregrinus cum Circæo famulatu,
Vt Brontes Steropesque, madent: vnguenta popinæ
Caupo Gomorrhæus mittit, Patriarcha Gehennæ.
O mores! o tempora! nil ergo helleborosis
Anticyræ concessa diu commercia prosunt?
Ebria de Gangis folio stupor obtinet ora.
Nuper, cum appensis tetra ad conuiuia lychnis,
Curandus genius nebulonum cogeret agmen:
Visurus quid rerum agerent, irrepo. Quid hic non
Democriti sannam, aut Heracliti singultum
Commouisse queat? Quæ mensa? Laconica? Pol non.
Verum Euangelicis quadrans, qui nuntia Carni
Læta ferunt, Veneris Bacchique probanda clienti:
Queis venter Deus est; clausum sub fornice cælum;
Lex & Relligio, quam mens obnubila nouit
Dictare, & magno munire lubido sigillo.
Idolum est hinc cuique suum; dum pronus adorat,
Quos patitur maneis. Iuno sibi mancipat illos,
Blanda alios Cypris, viua hos iuuat esse sepulchra
Turdorum, & Cereris; hos dolia carnea cernas.
Ergo vbi distento iam plene abdomine (quantum
Tympana pulsato dum replent compita dorso)
Defluit in lumbos cerebrum, & genitalia tecta;
Et demota loco mens tota in ventre resedit;
Exagitare Fidem, & vestigia fingere recti
Incipiunt: feriunt cæsim punctimque animosi.
Ille: Errant Veteres: non sic ego luscitiosus:
Cymmerijs mersa est Ecclesia tota tenebris.
Dat castigator radios. (vere ille Prometheus!)
Scripturæ sensus genuinos quis capit? inquit
PASQVINVS: quisve in moderamine tangere veri
Puncta queat? non est cuiuis pronum penetrasse
Democriti puteum; penitissima ego abdita vidi.

Mirum,

Mirum, cuique suum quantum bene oleret oletum.
Ipse farinatos inter, plebemque dicacem,
Erro Magistellus, superum mensæ latus implens,
(Burdius vt cuculos inter solet esse Ministros)
Spemque, Agapenque, Fidemque tuo, Luthere, culullo
Vno condit aqualiculo, grauidusque profatur:
Fercula, quæ vestris sciui placitissima nasis,
Ad finem seruata mihi. Dictoque probrorum
Orditur telam; stipat mendacia, nomen
Mandit Iesuvvitarum, caput omnibus vnum
Exoptans. monumentorum ciuem Gerasenum
Iurares, nigra quem Legio raptabat hiantem:
Sic erumpebat liuoris spiritus impos
Gutture, postico, antico, totisque fenestris:
Sic eructabat rabiem, mentoque rigenti
Dentes pugnabant, fluitante ex ore saliua.
Tunc ego subieci panem sub nare; sinapi
Namque fere vocem extorsit, fœtore sepulcrum
Exsuperans. Non feralis satis incola bubo,
Nocturnusque corax; sed diro adflare veneno
Phœbæas moliris aues? Tota interea plebs
Assurgit, plaudit, succlamat, brachia tendit.
Succenturus erat veterator Creticus, annis
PASQVINVS vitijsque grauis, factura atheïsmi:
Sed, somno incumbente oculis, stertebat vt vrsus,
Turbida ventriculo componens somnia crudo.
Edormit maniam; donec, fumis resolutis,
Mane Catechistes stolidus sua tecta reuisit.
Mens mihi præsagit, properet nisi mortis alumnus
Cum naulo, nec Pascha nouum, nec aquam superabit
Cocyti; sed cum Pharai pistore sepultus,
Centum annos errans volitabit litora circum.
Vna eademque alijs prurigo, fricare fricantem,
Lingere lingentem, donare ad fenora laudes:
Laus obscena loqui, Timoni extollere caros,
Carpere virtutem: podex datur anseris olli,

Qui mage in innocuos mendacia fœtida iactat.
Ergo certatur (lupus abripiat, ſcabieſve
Occupet extremum) haud aliter, quam ſi Capitoli
Cuſtodem pigrum portaret furca per Vrbem;
Mexica vel populi delicta cruore piaret
Hoſtia. Sacrilegos, raptores, ſeditioſos,
Templorum & legum euerſores, Principicidas,
Verſutos, molles, corruptoreſque Iuuentæ,
Harpyias, vulpes, locuſtas, dæmonas, ipſum
Zabulum appellant; & quem ſe quiſque putabat,
Quando peſſimus eſt, hoc illos nomine veſtit.
Ipſe, Lycaoniæ veluti qui fercula menſæ
Horruit, erumpo; ac, O ſi, inquam, Iuppiter audis,
Hoc impune pati! Quid? turpiculos ſcarabeos,
Retrogrado ſcrobibus pede voluere ſtercora ſuetos,
Sic diuinam Aquilam, & generoſos tangere pullos!
Iamque ſepulta dies, ſaturis crambe, ac aſininis
Auriculis; Caprearum nox ſpurcatur Hyænis
Coniugibus Ganymedis, Iunoniſque maritis,
Credere ſi fas eſt: ſed fas eſt credere Bezæ.
Mane, per anguſtas ingreſſo lumine rimas;
Euigilant, oculoſque fricant, veſteſque reſumunt.
Dant Danaæ Iouibus lymphas, corpuſque animumque
Pollutum purgant; gemmæ, piſciſque niteſcunt
Inſtar. vti puris Rex merſus Americus vndis,
Dum Phœbo teſte in mare deportanda relinquit
Crimina; fœtentem deponit vel lea pardum.
Offendo in plateis agelaſtos, atque Lycurgos;
Intra ſepta domus Sarmentos, atque Cicerros.
Curro, poetaſtrum IANINVM *leniter ora*
Pallioli adduco: Dic auree, bellule Vates;
Mnemoſyne heſternæ retinet certamina menſæ?
Quis tu? Sum Theſeus tuus; vt Proſerpina Diti
Tuta ſit. In IESV *famulos Bacchanal habebas;*
Fruſta velim, cum non ſentire repotia detur.
Mens, Byzantinis dudum velut hoſpita tectis,

Viſa

Visa mihi ad sciolum demum reuocata reuerti.
Texere tum stupido cœpit conuicia filo.
O dignos, inclamabat, referente Nerone,
Qui scribant decreta! Scaphismum & cyphonismum,
Flammas atque rotas inducunt in pia Christi
Membra; magistratus vellunt; vrbesque tumultu
Et Mauorte replent; incestu templa profanant;
In sacros cineres meiunt. quoties Libitina
Ante domos Regum stetit; & Respublica, fractis
Rebus, in extremam pæne est coniecta ruinam!
Turbatis hi quippe lupi piscantur in vndis.
Annuo, confirmo; Condæaque prœlia, motus
Gallorum, Heluetios, Batauos, Anglos, Aquitanos
Commemoro. testes Hessus cum Saxone, IESV
Quos famulis fauisse vltrix Metanœa flagellat.
O si Luthero Germania, Gallia Caluo
Audisset! non templorum intra septa catellos
Celaret lupa, vel miluus discerperet escas.
Irrisorem agis, hic, asinum. O pulchellule parce:
Tecum nempe loquor; mi aperis hypochondria, qui sic
Argute loricatos facis & galeatos
Agnos insultare lupis, crudeliter aruis
Grassari, ac vno catulum deglubere morsu.
Cuncta tamen Clario, vt fatear, dictantur ab ore;
HAERETICVS *tropice modo* IESV VVITA *vocetur,*
Quem pingis proprie, audaces allegorias dans.
Hæc eadem, vt credo, catachresis TEMPLA TABERNAS
Sacra vocat, Christoque dicat Panthea tuorum
Quæ capiunt quoscumque hominum, quoscumque Deorum,
Nymphas, & Satyros, & Faunos, atque Priapos.
Solus cum Diuis IESVS, *cum Virgine Matre,*
Seiani dum perturbant consulta Senatus,
Excubat ante fores, obductaque pessula sentit.
Di male te perdant. Bona verba; iocumque rependе,
Si iocor; aut, si serio ago, mihi seria redde.
Dic sodes, posito fuco: Num mentis & oris

Symbola conueniunt? Tango aras, atque rapaces
Dico, putoque. Ausis sub chalcographo Raphelengo
Hanc vulgare thesim, & Martis præsente Senatu
Inuictam, Phaleris boue candescente, tueri?
Dico diem: per Aristidem licet antestari.
Quam cito mugires! Tun' stulte probaris auaros
Esse Crates, olim qui Pluto & honoribus aucti
Te famulo poterant vti; mundoque relicto,
Parco contenti, quantum vitæ exigit vsus,
Æternis gazis inhiant, regnoque futuro
Sese aliosque parant? Quod si terrena requirunt,
Thesauros cumulant; scrutatis quando reperti?
Defossos celabat humus. Sic nempe profunde,
Vt vestros talpas fugerent, vis dicere venas
Reclusas terræ gremio. Has Rex possidet, inquis.
Sic est. Cetera post Regem vos, Marte vel arte.
Credis te Gygis gemma perstringere mentes?
Vt rapias, vras, perdas, in carne volutes;
Nemo sciat; totus te orbis putet esse columbam?
Hinc instar furni os aperit, largoque cachinno:
Non lynci merces vendo; doctrina Cyclopas
Nostra cupit, vel qui anseribus pascentibus adsint,
Arcadiæ vel qui ducant in montibus agmen.
Hei mores! quodnam hæc in tempora dura Sibyllæ
Incurrit folium? laus vna est esse scelestum;
Esse probum scelus. en statua donantur equestri,
Qui Æsopi patinam, ac AntonI prandia sorbent:
Fabricios Curiosque notat Censoria virga.
Curia tota patet socijs ClodI & Catilinæ:
Cum Cicerone Cato fonte est exclusus & igne.
Beza gulæ, aio, mancipium est. quid postea? Miles
Plauti Beza. parum est. Beza est de gente Gomorrhæ.
Esto: placet: genio nos secum ducat eodem:
Nil durum, nil triste docet; sunt mellea verba.
Linea si recti est placidum, & virtutis amussis,
Corui cum cornice volent; non prædo latronem,

Non

Non lupa carniuorum exhorret. Belle hercule, belle!
Saltem quando foues Circæus lurco ſepultos
Ventre apros, noli ieiuno prætereunti
Obiectare gulam. Sed ſcilicet ore nitebit
Therſites, nuce ſi Paridem depinxerit atra.
Fucus apem deprædatur, culiceſque cruorem
Sugunt, defœdat pulcros Harpyia labores:
Hæret ſpina roſæ, fumus flammæ, vmbraque luci,
Nec ſceleratorum dentem vmquam effugit honeſtus.

III.

Voueo Dauidi Pareo.

HVIVS, Lector, ſi frontem, ſi barbam Heidelbergicam intuearis, iurabis Catonem: introſpice, comperies natura petulantem, laſciuijs implicatum, perpetuiſque illecebris exæſtuantem. Vis illum propius noſſe? Protruſerat diſputatiunculam de ſacrarum Scripturarum auctoritate: & illuſtrarat eam marginalibus notis, tamquam vlmeo germine, doctior Moguntina magiſtra manus. at ille ſycophanta, qui ſenſiſſet tot vlmos tam miſere in tergo ſuo mortuas, ſeque in arena prouocatrice tantum non iugulatum, parauit editionem alteram, reciſis hinc inde quæ melior illa dextera vberi virgidemia depluerat; negabatque a ſe dicta, quæ dicta erant ante, & teſtata prælis. o impudentiam poſt natos homines! detexit has ſtrophas Mulhuſinus, & ad ementita illius in innoxios ſcelera reſpondit; eruditius, an elegantius neſcio. verba ipſa dabo. Si obieciſſe ſatis eſt crimina, auſculta tu quoque:

At ego te ſacram coronam ſurripuiſſe Ioui ſcio:
Et ob eam rem te in carcerem eſſe compactum ſcio:
Et poſtquam es emiſſus, cæſum virgis ſub furca ſcio:
Tuum patrem occidiſſe, & matrē vendidiſſe etiā ſcio.

An non hic

Doctus ſoluere vincla quæſtionum,
Et verbi gladio ſecare ſectas,
Si quæ Catholicam fidem laceſſunt?

Sed & iacet miſellus hic Doctor Heidelbergicus a Mulhuſini dextera Scripturarum, Patrum, Philoſophiæ ſpiris inuncatus, ſolas aſininas quaſſans aures in inertiæ portu: in cuius iura cum totus conceſſerit, ſi vel illius vmbram, verberante vento Soleque, ſenſerit occurſantem, toto videbis corpore trepidantem, tamquam ſi contra incurſaces Macedas prodeundum, aut viginti palmarum ſcapha, formidata Nilotidis aquæ ſtagna per indigenas crocodilos ſint transfretanda. Qui vnius parmę obiectu Arcadicę matris vterum quęrit, quid faciet, ſi totus ſe e SOCIETATIS ſchola exercitus profuderit? Plutonias captabit ſedes Amphiaraus. cui, ne ad ima terrarum prolapſus eat durior, aſininis auribus, corioque, tamquam pluteis, ſaxorum a me ſcabra pulpitabuntur; vt in offenſo corpore totum ſe illi tribunali ſiſtat. Quid, Paree, delicatæ pigritiæ tuæ plus poterit impendi, quam vt te perueniſſe ad tam adnata Euangelio tuo balnea inuenias, cum euntem te vix ſenſeris? quod quo facilius fiat ex voto meo, tuoque, dico dedicoque tibi lubens, volens, merito, hoc

Aſino

Asino capistrum.

PAREVS *ille pessimus sophistarum,*
In nos probrorum ructat impudens Syrtes,
Mendaciorum turbidos ciens fluctus,
Queis naufragetur innocentium fama.
Sed frustra asellus pelle se arrogans vestit
Leonis: illo namque syrmate indutus
Rudit facetus histrio, & genus prodit.
Hunc splene pupi conspuunt, huic vulgus
Impendit omne ergastulum cachinnorum.
Talis Pareus. Nuper, admodum nuper,
Illi metempsychosis (vt equidem credo)
Procacem asellum euestijt. Fit extemplo
Magnus sophista. sed suæ memor stirpis
Occalcitrare, morsicare non cessat,
Asinosque vocitat quemlibet. Neque hoc mirum;
Fraterculum appellare se suum credit.
Et tanta cum sit aurium, atque tam vasta
Olli supellex, Theologum gerit mento.
Braccatus asinus pulpito in suo rudit:
Dea impudentia, quantus hic tibi Mystes!
Procace Bellarminus illius lingua
Plusquam ad tribunal vapulat. Quis hoc splene
Perferre possit integro? Neque hic meta est;
Mariam tribunal ad suum citat Iudex:
Illam Lutheri legibus ream clamat:
Et subdit hastæ illius insolens famam.
O lanx iniqua Themidos! O probrum Astreæ!
Ego illa tolerem? mutus hæc feram piscis?
Silesiorum fabula hunc probe ludit.
Illis asellus ferculum fuit quondam
(Leporem putabant, aurium hoc strues suadet)
Huius cerebrum quispiam abliguriuit.

Auus Parei, & labra pariter, & ventrem.
Hinc barda mens, hinc impudens viri sermo,
Stomachusque asello dignus. O genus clarum!
Sed huic asello ferula expilet dorsum,
Ni cultiores discat impotens mores.
Audire nobis semper haud libet probra.

IV.

HENRICO BOCK-HORINCO.

EXI *latebris, si qua te, pudor, tellus*
Celat, tegitque; si quis orbe iam toto
Tenebricosus exsulem specus claudit:
Quate impudentis ferream canis frontem.
Gypsatus ille scurra candidis plantis,
Ille e catasta circulator argutus
Spadone quouis euiratior fluxo,
De-sub tabella, qualis improbus sorex,
In Bocks-boringum stemma clançulum erepens,
Vespillo propter busta quem parens seuit;
Subsessor ille putidus tori externi,
Tentigo fœdi quem Cupidinis planxit,
Eductus olido mœchus e gynæceo
In castitatem luridos mouet dentes;
Mortaliumque (quis probrum ferat?) toto
Eliminatam contubernio exturbat,
Omnem pudori detrahens solo sedem;
Matrumque, virga qualis aurea Circe,
Domos pudicas in lupanar euerrit.
Aliquidne superest, ipse quin suam vxorem
(Hoc si meretur nomen impudens scortum)
Maritus, & nunc fronte perdita leno,
Inter releget bustuarias mœchas;
Moxque e cuculo plebis obuiæ sannis
CVRRVCA *totis vrbis audiat vicis?*

CAPVT

CAPVT VI.

FIBVLAM

SCENICIS variegatam ſordibus Caluiniſtæ adnectunt SOCIETATI: ego vobis Caluinianam ex vero dabo.

Quid? vos Amphitheatrales ſcurrę SOCIETATI Fibulam? Si caſtam vultis; dabit illam, quam, ſordium ſuarum conſcius, non

—— ianitor atræ
Impauidus Lethes, non ipſe horrore ſine alto
Eumenides vidiſſe queant.

Et metire illam, quaqua voles, oculis. inſpice, quanta ſit morum maturitas,

Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis;
Ingeniumque ſuper

omnes Africanos, Catones, Lælios caſtum. At tu vis Ganymedeam. Nouioduni habitat. teſtis vlmea virgidemia, in ſacerrimo capulo Gomorrhææ carnis ſepulta. Gebennę habitat. cui enim ignotum, cur ſolo Beza Caluinus Pontificatus ſui tabulas impleuerit? Rupellæ habitat. teſtis tritum decantatumque apud illius tonſores:

Cur mihi non liceat, iuſſit quodcumque voluntas?
—— quo deinde, inſane, ruis? quo?
Quid tibi vis,

diſcinctiſſime Nepotum?

Nam te non viduas iacere noctes
Nequidquam tacitum cubile clamat.

ſit a ſola Candida; nec toties in aurem mordeas Audebertulo,

Meæ deliciæ, mei lepores,
Iube ad te veniam meridiatum,

Amphitruonatum. O Corydon, Corydon!

—— numquam adeo fœdis, adeoque pudendis
Vtimur exemplis, vt non peiora ſuperſint?

non detrudantur tetriora ex illa Gebennica Lernæa ſchola. Abde caput pudor: procul hinc, procul ab his cubilibus;

Æqua vbi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec menſa remotior vlli:

vbi, vir mulierve

—— fuat, nullo diſcrimine habetur:

vbi ad Neronianos ſaltet numeros nouus Orbi Commodus. Sol & ſidera, vbi eſtis? non explet vnus,

—— ſeptem, ſi ſeptem forte fuiſſent.

Credamus Herculi; cum apud Chriſtianos (ſed ſolo nomine)

—— nullus verbis pudor, & reuerentia nulla.
Hic turpes Cybeles, & fracta voce loquentes

viri-mulieres; quos videas ſudantes, ne

—— genis optatus honos, iurataque multum
Barba

ante diem properet. O ſæculum! o ſordes! Et hi SOCIETATEM de Fibula prouocabunt? numquam

—— plebeio deſæuit ſanguine virtus:
Sed iuuat exanimis, proiectaque præda, canesque,
Degeneresque lupos. magnos alit ira leones,

ſi contra ſteterit non indignum genere & viribus par.

Et

Et tamen eo nunc creuit os impurum, vt hi

Lenonum pueri, quocumque in fornice nati,

inuerecundiore etiam ſtilo audeant incurrere in SOCIETATEM ex illo Gebennenſi lupanari. Sed quid ego? Perge, per me licet: vtere velis, quin &

Totos pande ſinus. quis enim non vicus abundat
Triſtibus obſcenis?

immo quis non apud vos lectus? & tamen SOCIETATI Fibulam? A quo hæc audax impudentia calamo? Lutheri?

—— cum quo nuper vittata iacebat,
Sanguine adhuc viuo terram ſubitura, Sacerdos?

Caluini? Lilia, Lilia. Bezæ? baſio tacebit imo. An a ferro, quod cinctum lateri, perpetuoque madidatum ſanguine, ſæuius eſt illo, qui ad voluptatem ſolitus

—— tenui iugulos aperire ſuſurro;
Et qui vulturibus ſeruabat viſcera Dacis?

Nihil agis:

—— non ſi ferreus agger
Ambiat, aut triplices ſpurco tibi carmine muros
Scaurus agat, Caluuſque tuus. nil tela, nec ignes
Obſtiterint, quin auſa luas, caſtiſque ſub armis

fœdam pulſes mordeasque moribundus humum; teque

Atra pix agitet apud carnificem, tuoq; capiti illuceat.

atque interim vis videri, vis dici caſtus.

Vt cui caſtrenſis caligæ cognomen adhæſit;
Vt Nero Romanæ dedecus hiſtoriæ.

Et quæ poteſt ſperari continentia ab illo Caluo, primogenio Quinti Euangelij, ſordium decantatore? cuius, vt vidit,

Horruit informem turbata mente figuram
Portitor, & refluis lintea vertit aquis:
Nec tulit inuisam speciem formamque Megæra,
Indignans aliquid turpius esse sua.

Dices fors hanc Fibulam SOCIETATI a Caluinista adnexam inter pocula, ab illo qui viginti

Siccarat calices nasorum quatuor:

quare & veniam mereri.

Non vinum hominibus moderari, sed vino homines solent;
Nam vinum, si fabulari posset, se defenderet.

& non in illo largo Lyæi flumine larga veritas? Quid deuomet ebrium pectus, tantarum sordiũ reconditorium, quam sordes suas? oculos nullos habet extra suos; sibi videt: sibi doctus est ad pocula

—— vigilanti stertere naso:

sua vel nolens deructat; nescit aliena. At tu, vbi vinum illud iam sederit, aut qua via venerat redierit, intuere SOCIETATEM: nullæ in ea feminæ; viri omnes, nec aliud: nulli deliciarum & poculorum custodes: nulli flores Hyacinthi. Vis certiora? discinge illam; numquam ostentabit tegenda; numquam diffibulabit, quod suffundat sanguinem: sed & densioribus vestitam videbis, quo plus detraxeris. virtutis illa ratio est: tegitur, si nudaueris; vestitur, si spoliaueris; crescit, si demetis; dilatatur, si extenuas. Exspectas Fibulam Bezaicam? iam dedi. Vis illam a Rupellana manu? consule Caluinianarum sinisteritatum domesticos vindices, qui nec tacere potuerunt inuerecundarum Fibularum suarum portentosam discinctionem. per illas si quando lubuerit peregrinari,

regrinari, iuuenies digna votiuis Tiberij crucibus; dignissima Heliogabalæis, Caracallæis propudiosissimis hinnitibus, ad ruborem Solis radiorum. Et nescio, fide bona, quid ludat hic impurus ludio de Fibula. Gebennensem viderat, Eleusinia & Samothracia impudentiorem, ad fastidium inuerecundorum oculorum; & ore, supra omnem mollitudinem scenicam deterioris sexus, inuerecundiore, Fibulam adnectit SOCIETATI: quam fidissima, eaque æterna castitas sepsit; quamque aduersus omnem libidinem cæcam reperies. At tu intuere, Lector, Caluinianos

FIBVLATORES.

I.

QVAE *noua putenti demens exclusit Erinnys*
Oua Erebo? an sacrum thalamum incestauit adulter
Porsephones? an lasciui cum Nocte sopores
Eumenidum peperere nefas? quid Iuppiter Idæ
Montibus insistens Ganymedis ad oscula pergis?
Cur Rhadamante Talum, Minos cur Thesea, pæto
Prosequeris oculo, iaculisque Cupidinis instas?
Agnosco catamitorum connubia, prolem
Cænæam, pathicaque satos de gente cinædos;
Quos Venus in lustris, Siculoque in fornice Siren,
In Baiis tribades, Circæo lacte venenant.
Quam dignum Sylone genus! Quo frena recusans
Indomitus spatiatur amor, quæritque subactus
Furta pudor? Danaen defendat ahenea turris;
Ægide Tritonis pugnet, Diana sagittis,
Votis Vesta, fuga Daphne, Pompeia sacris;
Saucia virginitas impuri vulneris ictu

 Corruet,

Corruet, & vitium lusus lenonibus istis
Semper erit. Vix Pasiphaes sine clade Iuuencus,
Fuluij equæ, Lacydisque anser, Crathidisque capella,
Draucorum insidias, & vota calentia fallent.
O subsessores! petulans cur lingua flagellat,
Innocuosque ferit, brutique accusat amoris?
FIBVLA succinctos stringat lasciua Lupercos,
Hippolytos zonæ: ferro castretur & auro
Antinous: gelidæ sunt nobis fluminis vndæ,
Spina, niues, ieiuna fames. sit circulus olli
Freni instar, qui luctantem, insuetamque capistris
Ire pudicitiæ Venerem fouet. Jto satelles
Vnctus Aristippi, leges tibi Caluia scribat,
Æschylus in soccis vetitos præcantet amores,
Dent Fescenninas tabulas tibi scripta Philisci,
Vt Lamia effœtos verporum infibulet artus:
Bellerophontæam sobolem Sthenobœa sequatur,
Putipharis coniux poppysmo mulceat, auro
Aspasia, eloquio Phorcynis, fronte Gnathæna;
Actum aget, & numquam casti præcepta pudoris
Dediscet Tennes, vallabit sentibus aures
Clematius. Facile est exstinguere Cypridis ignes,
Atque rebellantes carnis compescere motus,
Si DEVS & PIETAS animarum sceptra gubernent.
Non nobis venalis Amor, non ante Cytheris
Fana cedet, pruritque proco veniente, corollis
Inuitat, fucisque madens commercia suadet,
Quæ vel Stesichori dixit, vel penna Cratini.
Si quis lasciuæ nostrum libauerit aræ,
Vester erit: vobis hanc propinamus amurcam,
Et fæces sacramus. olet bene victima Bezæ,
Si Veneres oleat: mage quo putentior hircus,
Gratior, & coitum tantum cui clepsydra soluit,
Cui Crobylus pater est, quem Plauti Ballio nutrit,
Cinnarus exercet, lustrisque Vetilius abdit.
Attamen hi mystæ, lenones matronarum,

Ante

Ante Neronæum, Nini, Paphiæque tribunal,
Insontes damnant capitis, figuntque catastas
Hippolyto, & crimen mendaci in marmore sculpunt,
Mutaque falsa iubent opprobria saxa profari.
Sed frustra blaterant sitienti fauce Molossi
Cerberei, fictis mundum latratibus implent
BVRDONVM *catuli, mores & nomina circum*
Dente Lycambeo, & furiali murmure pugnant.
Inconcussa manet bene facti conscia VIRTVS;
Non Famam Archilochus lethali vulnerat ense,
Quam Pudor & sanctæ Probitatis castra tuentur.
Castigate salax vitium, non ante lupanar
Virginitas prostet; Macedo ne nubat Arisbæ;
Basia ne, populo scenam inspectante, Bagoæ
Figat Alexander; ne Pindarus ille, Lemani
Verna, Theoxenij in gremio fatalia rumpat
Stamina: stringit enim vibratque Trebonius ensem.
O vtinam, vita fugiente, superstite penna
Tantum, vpupis similes, probrosi nominis ala
Tranaretis iter liquidum! Coquit ignea fornax
Æternis tormenta rogis, Tityosque voraces
Depascent volucres, surgetque e vulnere vulnus
Pirithois, voluent Nessos Ixionis orbes,
Detritisque humeris saxum irrequiebile trudent
Pullopremi, viuet moriens puerarius hospes.

I I.

O SI, BEZA, *tuos frenasset* FIBVLA *amores!*
Non iam dedecoris plenus, non turpis adulter
Audires marium coniux, teneræque puellæ
Riualis. Si comœdus, CALVINE, *fuisses,*
Pronosque in Venerem reuocasset FIBVLA *sensus;*
Non iam posteritas probrosi signa furoris
Stigmatico in dorso legeret, populusque pudendum
Horreret meminisse nefas; nec flammeus in te

Tristia

Tristia iam plenis Phlegethon incendia ripis
Volueret. Ite igitur macti ductoribus istis,
Ite malis auibus: tantis nam, credo, magistris
Dignum aliquid dabitis, turpes quod fœteat hircos,
Quod lustra, & fœdi gurgustia fornicis afflet,
Et castas nares inimica verberet aura;
Quod putridus Spado, quod mollis Sybarita recantet;
Quod Cynicus risu, quod Perseus ore seuero
Mordeat; &, toto Satyra clamante theatro,
Cerdoni lusum, bilem tonsoribus ipsis
Quod moueat; nobis lacrymas. Ite, ite subantes
Infami de more sues; declamitet omnis
Gymnasij paries, prauoque cupidine pleni
Impuros versate sales, torquete cachinnos,
Obscenique oris saniem ructate, pudicam
Exuti frontem, quos nec pudet esse secutos.
Vincite luxuria, magnos superate Nerones;
Barbatusque suo nubat Callistratus Aphro.
Non iam pancratico madeant ceromate crines;
Sed mage lasciuo guttus perfundat oliuo:
Nullaque virginitas, aut dura coerceat artus
FIBVLA; *nulla animi flammas ieiunia frangant;*
Incestas artes impune licentia soluat,
Et tota in Veneris castris mens spurca triumphet.
Sic laceret, sic vos schola morsibus impleat; & pro
Carmine Sotadico, vestras quod mulceat aures,
Quo Fescenninus molli puer arte volentes
Infatuet, dulcique animos serpente venenet;
Armatus deinceps, dignusque Catone seuero
In nos frangatur stylus. Hinc, qui rodere nouit,
In Satyram assiliat, corruptas pectoris artes,
Astutamque mala vulpem sub fronte reuelet:
Hinc Scazonta suum, vel si quis in arma feretur
Archilochus, pronos in vulnera stringat Iambos.

CAPVT VII.

BEZA SOCIETATEM INDIGITAT SATANÆ EXCREMENTVM.

Adeſte hendecaſyllabi quot eſtis,
Omnes vndique, quotquot eſtis, omnes.

OLIM Græcia Olympia Ioui, Herculi Nemea, Neptuno Iſthmia, ceteriſque Deorum ſuorum mortuorum varios agones ſacrauit: at ego viuo Gebennenſium ſecundo Pontifici Max. funebria noua. erraui. æternam vitam in his verſibus. Et tamen non diffitebor, reprimerem me lubens ab hoc morſu calamorum: ſed

—— quis iniquæ
Tam patiens cauſſæ, tam ferreus, vt teneat ſe?
Quid faciam? præſcribe. quieſcas. ne faciam, inquis,
Omnino verſus. aio. peream male, ſi non
Optimum erat: verum nequeo dormire;

ita & pulſant has aures Caluiniſtæ, & proritant nares *Satanæ excremento*, quod SOCIETATI appingunt tamquam florem e Gebennenſi roſeto. Quid ais fecunde Bytho, aut ſceleribus immanior Achamoth? quæ dabis his ſpurciſſimis excrementorum coagulis diuerſoria? pannos? Caluini dorſum? os Bezæ? bonum factum. nam quid reddere impurum os hoc aliud poterat, quam quod a nouæ Baubonis gurgite præguſtatum

delegerat; nec multo post in circulatorio basiorum suorum cœtu, inter Lemanicos scurras, non ignobili versu decantarat? Non videbas in SOCIETATIS alumnis carnem suffusam sanguine, substructam ossibus, intextam neruis, venis implexam, quæ nesciret aliena matrimonia? quæ nullam sciret virginem præter suam, quam Deo sacrarat meliore voto; quam IESV suo mactarat altiore victima; quam Christo iugularat nobiliore hostia? Nonne melius fuerat elinguem te fieri, & præscindi illud iugulum fœdæ loquacitatis, quam tantis sordibus casta spurcare pectora? aut si tu nouus terræ Copronymus, & perpetuo fœdo sinu semper infans; non habet SOCIETAS his sordibus matres, non pannos. inuenies illas inter Gebennensium masculas sordes, per quas decurritur extra puerperia: inuenies hos inter mentita Candidæ lectisternia; fuerant melioris sexus. Credes posteritas

Post Capreas TiberI, post turpia Numina CaI,
Censuram ClaudI, citharam thalamosque Neronis,

potuisse sordes denasci maiores? sed & eo impudētiarum deuenire quemquam, vt eas non modo non retegat parietibus suis, sed & Orbi decantet toti? Simon Magus Helenam Tyriam de loco libidinis publicę eadem pecunia dignam sibi mercedem emit, qua sanctum Spiritum in Actis cogitauerat: at magnus hic Gebennensiū Pontifex, qui iam fastidiret ad vulgo nota gaudia, ad vsu plebeio tritam voluptatem, eadem pecunia, quam ex venditis Ecclesiasticis beneficijs redegerat, Audebertulum emit; apud quem perpetuo voto, nūc mugiret in bouem, reperet in formicam, salıaret in Satyrum, nunc deuolaret in

ret in coruum, inuolaret in cygnum, transiret in aurum, sed & in feminam, ab haustu inuerecundi illius ignis, quem & proderet versu. pro quo ego hunc tibi repono.

Si quid potes pollesque, meus ades Scazon:
Adeste Iambi; sed pede altero curti,
Torrentis instar ite turgidis venis.
Mihi entheatum pectus, & noua dextram
Armate flamma, bileque vstulabundi
Accensus ardor iecoris in fibras currat.
Beza inuenustus, infacetijs plenus,
Plenusque rure, scurra perditus, diri
Plenus veneni ac pestilentiæ Beza,
Ille, ille Galbas atque Sestios omnes
Vincens Caballos, oris improbi dente
Furit, iocatur, ringit insolens Beza.
Mox, vt leæna montibus Libystinis,
Insanus atram pectore exspuit tussim:
Mox, Burra quidquid, quidquid ipse ructauit
Sarmentus olim, quidquid impiæ Gades,
Quidquid petulco dente Canius risit,
Quod circulator verpus ille trans Tibrim,
Salariorum turba quod solet; nostrum
Fastidientem impurus in sinum cogit.
Postque impiatas tot virum manus cæde,
Post incitatas Gallia faces tota,
Sufflaminatam perfida fidem bucca,
Post lustra fornicesque, post greges ductos
Meritoriorum, impune ludit, & mordet
Patris Satanæ verna, vappa discinctus,
Diffibulatus histrio, salax mimus.
Sat lusitatum Beza, nunc sat est. cesset
Atella risum promere; vrbicus cesset
Exodia toto adspersa salibus argutis
Vomere theatro: si qua Persius quondam,

Luciliusque morsicando vapparum
Salibus laborans defricare gingiuas,
Lixiuioque adspergere ora mordaci,
Peregit, audi. Lydium tibi non iam,
Ioniumve, Doriumve cantetur:
Tibi, Beza, quouis felle, toxicoque omni,
Absynthijque tristius mali succo
Amarulentiusque, quod tuas aures
Mordace aceto proluat, volo adpromi.
Adeste, quidquid vspiam pudicorum,
Seuerioris quos iuuat pudor vitæ,
Audite, Beza quid ferat putri bucca,
Bassaride lingua. Dæmonis recrementum
Mystas IESV, *virginem tori spondam*
Infame oletum gannit impudens scortum,
Simia recalua clune depudicata.
Quid? ista tellus audit, & pudor viuit?
Necdum ista frontis impudentia effrontis
Stagno Lemano mergitur; Gebennæve
Hiulca rupes finditur, malam hanc mercem
Quæ mox patenti fauce sorbeat, Vestæ
Contaminatæ ceu graui sepulcreto?
Forsan trisulcum, Beza, fulmen aptatur,
Radice prima, ipsoque gutture eliso
Tibi resectam quod foris premat linguam,
Quo tu impiatus atque spurcus attactu,
Vt fulguratum cælite iaculo, sacrum
Fias bidental. lanea Deus planta
Consurgit vltor. casta sordet impuro
(Quin bilis iram concies mihi in nasum?)
Omnique Venere pura vita lenoni.
Auidus resorbe, quod vicem reponemus.
O stupra Bezæ ture, balsamo, nardo,
Spica Cilissa, cinnamo, rosa, costo
Fragrantiora; lilio, niue, argento
Candentiora. o mæchus aureus Beza!

Mæchus

Mœchus ligustri flore purior Beza!
Tandem ruborem ferrea canis fronte
Expressimus. ohe iam sat est; stilum verto.
O stupra, oleto, nautea, putri stagno,
Hara, mephiti, cimice, allio, Orcoque,
Fluente sanie, fœtido vlcerum tabo,
[illegible]gonij alis, fauce olenti [illegible]annei
Pu[illegible]iora; felle, tigridis spuma,
Absynthio omni, putidis sali conchis
Amariora! O mœchus insolens Beza,
Patroclianis inquinatior sellis,
Veneris pudendæ cultor impudens! Beza
In catulientes pruriens lupas: Beza
Sororiantum virginum procus: Beza
Olidus caper, maritus exoletorum:
Infame nostri Beza dedecus sæcli,
Inter pudendas qui libidinum sordes,
Fœdosque olentis fornices gynæcei,
Inter spadones & gregem euiratorum
Lutulenta putri sus natas volutabro.
Non esse beta sustines, cupis dici
Princeps, nepotumque alpha sordidatorum.
Digito notaris omnium; sed infami
Signaris vngue, Beza, diciturque, Hic est.
Quid? an Biberius Caldius Mero quidquam,
In Capreensi luridus licet sella;
Quemque in sorores egit atra tentigo,
Fulmenta caligæ militaribus clauis
Suppacta nomen cui dedit; vel impurus
Gabalus ille, prima Cæsarum labes,
Peregit vmquam spurcius? quid? & vitam
Post ista scelera plumbeus senex ducis?
Sic eruditus a Platone Caluino,
Dignum patella operculum, tuo caluo
Dignus magistro Beza? dignus o, non iam
Qui litterata dorsa splenio celes;

 Sed

Sed cui pistor apparet rogus flammas,
Quis caluus ille sycophanta iampridem
Erat cremandus. sed caue, o caue Beza.
Si te potentis Iberiæ sagax Censor,
Vel quis seuerus ἄρχων πάγου sontem
In ius vocarit, isque capitis anquirens
Nigrum tabellis theta mortis affigat.
Næ tu peristi Beza; nec tibi, quamuis
Patrocinetur arx libidinum prima
Nuper tuarum, pectus eximes letho:
Mortis tropæis pallidum caput debes,
Stygique sectum frontis impiæ crinem.
Non iam Phaon quo more gutture exsecto,
Aut impudicus quo ruit Tigillinus;
Sed vstulatus igne pectus ardenti
Scelera expiabis capitis hostia, & nostras
(Quas scelere pridem turpe mæchus incestas,
Diraque pestilente fascino Lernæ
Comples, cicutæ lacte ceu nouercali)
Lustrabis auras. sumet ilicet pullas
Gebenna vestes, & putri parentabit
Mæcho Lemanus; isque, si quidem detur,
Stagnantis vndæ lurido lacu exstinguet
Funebre bustum: rana præfica occentu
Inauspicato lugubrem dabit lessum,
Quamuis Seriphi muta sit magis stagno:
Rauca præibit voce bubo feralis,
Dirumque tristis sibilum dabit sorex:
Hi te Siticines mortuum, hæ tubæ plangent.
Sed tale nequid accidat tibi forsit,
Vtque hasce pestes arceas procul Beza,
Comœdus esto, seu breui velis socco,
Seu mage cothurno, Roscius vel Æsopus;
Fac Fibulatus semper ambules scena;
Coliphiorum furfures vora pronus,
Auidusque macrum dentibus cicer pinse.

Sic,

Sic, Beza, amores, sic Cupidinem prauum,
Veneremque franges; moxque principe e scurra,
Mœchoque, fies alpha PANTOMIMORVM.

IN FESCENNINOS BEZÆ
in Cantica Canticorum.

O Vesane, cuniculi capillum
Euincens, inulamve mollicellam,
Beza, mollicie salaciore!
Quid cincinnulus ille crispulusve
Crinis cum MARIA, *Deique sponsa?*
Quid Diuæ tribuis pudicæ ocellos
Pætos? o aciem dolosiorem!
Quid labellula bina semhiulca
(Quo fugis pudor?) intimant amanti?
Quid flamma illice suffocas iuuentam
Debentem Veneri nihil iocosæ?
Queis si cornea fibra sit; micante
Sint tamen salisubsuli medulla.
Ignorata tibine aquosa Cypris,
Quæ nouit medio flagrare fluctu,
Et flammas pluuio fouere nimbo?
Quantum dissidet integella Virgo,
Cui non liquitur igneo Leone
Concretus niuei latex coloris;
Cui, rorantibus hinc & inde campis,
Intacto area vellere immadescit;
Cui flagrat rubus innocente fronde,
Et fragrat magis inuidente flamma;
Cui iam deciduo arboris decore,
Aluo virgine planta germinascit.

Exesto

Exesto Paphiæ Deæ minister,
Et sub fornicibus petas lupanar.
Conchatæ procul osculationes,
Petulci procul hinc columbulilli.
Non has cælica velitationes
Cyprilla exigit, aut Deus Cupido,
Eiurate nimis superque vates.

CAPVT IIX.

E Batauia vetulus Molossus catulis suis e DIVA HALLENSI *pennas collegit, quas spargerent: ossa delegit quæ obroderent: sed & eruit tempora altis obducta nubibus, & vbi nebulæ intercurrerant, nox nata est.*

TVNE ille es, qui absentem rodis amicum?

Intres ampla licet torui lepus ora leonis,
Esse tamen vacuo se leo dente putat.
Quid frustra nemorum dominū regemq; fatigas?
Non nisi delecta pascitur ille fera.

Et quid hic rides? Diuos? o Luciane! Diuam Matrem Virginem? o Bonase! an doctam pennam? o Canis!

—— carne opus est, si satur esse velis.

& interim vis videri amicus: vis quæ scribis censeri proba,

Et cerussata candidiora cute,
Sint licet infantis sordidiora sinu.

Quid rides magne Naso?

Nasutus sis vsque licet; sis denique Nasus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas:

quid,

quid, inquam, rides? prodigia? Credo huic Cynico nulla ſunt, aut magicarum artium ludi ſunt. pari felicitate eluet Moyſis virgam, proſciſſum mare, illius manum poſt carnis & ſanguinis diſcidium, capillorum & vnguium Iſraelis crementa quadraginta annis defixa; ſed & cum veteri Synagoga, & Iu liano, Nazaræus in Beelzebub principe Dæmoniorum eijciet Dæmonia.

Olim, dicet Cyrenæus noſter, infantauit ſuos Deus hoc quaſi lacte & melle: hac virili toga, quid neceſſum? Tibi, tuiſque Theodoris nihil, quibus Batauia de aggerum ſuorum glebis placentas & ſamias coxit: in quos monſtruoſæ fabuloſæque Veronenſium cantatrices, crepitaculis adludentes, inclamarunt Iao, quaſi *porro Quirites*, aut *fidem Brenni*; cuius faſcijs eos illigauit Nus pater, & mater Sige: quibus Satan per Lemanicam voraginem ſceleris ſui vmbilicarem neruum, quaſi per crudelitatis ſuæ traducem, perpetuatura venena inſtillauit. Permitte nobis, permitte Iſaurice, hæc auxilia tamquam egentioribus; hæc ſalutis medicabula, quibus, munificentiſſima benignioris adflatricis huius imperiali dextera prolectati, de non vna inualetudine ad certiora redeamus. Vos illis non egetis, licet luridati perpetuis delinquentiæ nebulis; licet nigrati denſiſſimis ignorantiæ & malitiæ tenebris. ſed neque lacrymis egetis. nullam enim his gehennam emeritis; emetis ſordibus & ſacrilegijs, quibus indormitis: non ſit æternum.

Rides hæc vota mea, & ab Heidelbergenſi aratro neſcio quem imitatus, in Hallenſes campos ſtipulas inſeris. quid ſperas vt areſcat hic blaſphemiæ ſurculus cum ſuo auctore? ita fiet: ſolique illius ſe fecunditas teſtabitur.

 Nauſees,

Nauſees, vt voles, Cynocephale, ſuper hoc magno Nomine, magna Penna: ludaſque fremaſque ad hæc Admiranda, ſuccumbaſque Magnitudini; quam cum non capias, ringeris. mirum ſi non & rumperis, cum diem intueris ſepeliri totum, & rurſus cum ſuo cultu, dote, Sole redire; ſibimet heredem, donec & nox cum ſuggeſtu ſuo reuiuiſcat; cum Lunæ ſpecula vides redornari menſium numero acciſa; cum terræ de cælo prodigioſam diſciplinam; cum arbores veſtiri poſt ſpolia; flores & herbas de monumenti ſui requie ſurgere; cum denique totum hunc vides reuolubilem ordinem. In quo cum nihil depereat niſi in ſalutem, (vt credas naturam de fraudatrice ſeruatricem) an non manifeſta quædam teſtatio eſt diuinæ potentiæ? & erit hęc reciſa in tantæ Matris meritorum pręrogatiua? Sed eleuas hęc portenta, de cęcitate in viſualitatem; de adnata aut fortuita claudicatione in ſolidam rectiambulationem; de aridis & exſuccidis oſſibus, carne, neruis, in natiuum colorem; de febribus, hernia, paralyſi, cancro, ferro, fune, aquis, vitaque varie excruciata, in plenam reſtitutionem. Imitare, ſi potes, cum tota tua ſchola, non dico hęc prodigioſa; ſed cutalis alicuius ſcabiei aut verrucę fugam, formicæ ſtabula, araneæ retia, bombycis ſtamina, culicis tubam, deſultationes anguillę, ſterquiliniorum vermes, vt venena rumines: aut exhibeas aliquid ſimile Hallenſi Diuæ, & obduxeris. At tu Porphyrius caligas ad hunc Solem, & cęcus vis mitiorem; quem nimirum in tenebris videas ipſa nocte tetriorem: quem ſubterraneum, quem ſubaquaneum cadauerino vultu, ſtringas Neronianis ample-

amplexibus; detergas Bezaicis osculis; cuique oblata acerra thura spargas Copronyma.

Ferrem, ais, priora; sed ornatum hunc augustiorem quis ferat? Bene ab illo ore, ab illo parente, *Ad quid perditio hæc?* poterat nimirum venundari multo, & dari fratribus Gebennicis. Quid? calicem non iam bene sibi conscium, sed venerarium, in quem Regia mors ructauerit, frictricis, archigalli, vel Bezaici militis manu, tota Gebennensis schola inorabit, honorabitque adspergine quadam florum: & Dei Matrem, felicioris vitæ progeniem initialem, (quæ magnum illum Solem, qui solus diem cælo statuit, vtero clausit, vbere lacteque pauit virgine) inornatam transibit melior religiositas? Iam Lunam, quod præbeat nauigantibus tutas nauigationes, an non turba nautica, ipsique adeo Gubernatores venerantur? & hanc cælesti maiorem, quæ non raro, pugnantibus inter se vento, tenebris, fluctibus, inexorata pręstat beneficia, inhonoram patietur Deo sacrata dextera? Venio etiam propius. Battauici alicuius exercitus Ductoris tabulam venerantes, non ibunt sine honore; temerantes, non abibunt sine sanguine: & magnæ Dei Matris inueneratam, omnique cultu viduam transsiliet Christianum pectus? aut sine scelere deuenustabit, vt dictu fœda transeam? Pulsabo te domestico teste. parentem tuum expresserit docta manus; an indotatam voles? melior etiam in ignem miserit; an non dabit sanguinem, siue istum verum, siue hunc calamorum? & Diuam Virginem Matrem altior penna decorabit, & recedet illaudata? deterior deturpabit,

pabit, & ſicca morte diem claudet vltimum? Quis hic non ſtupeat totus ad hos Apellecianos graculos? qui poſtquam a diſciplina Lutheri in Caluinum, tamquam in nouam Philumenen, carne lapſi ſunt; ſpiritu euerſi, etiam Matrem negabunt, & Chriſtum mendacio dimidiabunt. Quamquam has ſpurciſſimarum linguarum decolorationes qui cogitauerit venire a Gomorrhęa manu, mirari deſinet. partualis enim quidam ſanguis eſt, quem non certa lege menſtruum, ſed æternum erogat, quæcumque ab illo maſculo ludo venena ſpargit vipera. At Diua noſtra caput huius conteret, etiam noua Aſpricollis acceſſione, in teſtationem aſſertæ vindicatæque a Caluiniano noxio colubroſo flatu Romanæ fidei. ita certo etiam loco alligari voluit Deus hæc ſolatia. factum hoc iam olim, omni hiſtoria teſte; ne nunc obuenticium quiddam miraremur, quod tanto annorum cenſu ſciremus firmatum. Non ero prolixior; tantum moneo: Fuge hos Marciones Ponticos, quiſquis times ſcelerum mercedem: fuge has linguas, omnis ſecurioris notæ deſpectrices. ſic gladiũ latrocinijs ebrium, de capitis officio, de cubiculo, de domo tota relegamus. quid enim ad huius adſpectum, quam inludia animarum inquietantium ſanguinis concubium ſomniemus? deteriora etiam exſpectes ab his labris, condimentarijs & anteambulis æternæ in æternis ignibus genituræ: in qua nulla temporis longinquitas carnifices dexteras delaſſabit; nulla tormentorum atrocitas ſæuientium ingenia exhauriet. Olim, ſi frater illiberis deceſſiſſet, vt ex fratris coſta ſuppararetur illi ſemen, lex imperabat: at in his tormentis, nullæ vicariæ, nullæ ſuccedaneæ

in

in auxilium aut leuamen demutationes sunt: nemo alienas vices, singuli perferunt suas; solaque si qua succedit, sæuior vicissitudo est.

Dicet aliquis: Quid tu hæc tristia, & inuoluta noctibus?

Estne aliquid, quo tendis, & in quod dirigis arcum?
An passim sequeris coruos?

Et sequor Caluinianos coruos, & certum est, in quod tendo; nec quidquam te celabo. Lugduni Batauorum. Quid? inuigilant siliquis? Aliud volo. An stertunt, laxumque illis

—— caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis vndique malis?

Sed neque hoc volo. Academiæ illius Principes. Quid? anne

Ingeminant tremulos naso crispante cachinnos?
Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus anhelum.
Grande aliquid natat in labris, & nare canina hac.
—— inspice sodes.
—— ecce inter pocula quærunt,
Hallensis DIVÆ *quid dia poemata narrent.*
Est hoc quod pallent? cur quis non prandeat, hoc est?

Est hoc quod bibunt tantum? Heus bone, hoc ipsum est. non vides hanc pellem luteam?

Rancidulum quiddam balba de nare locuta
Eliquat, & tenero supplantat verba palato.

Ita video: sed &

Assensere viri. Nunc non cinis ille poeta
Felix? nunc leuior cippus non imprimit ossa?

Leuior. quin &

Laudant conuiuæ. nunc non e Manibus illis,
Nunc non e tumulo, fortunataque fauilla,
Nascentur violæ?

Nascentur; quas Acca, quas Flora, quas Baubo dabit. Nimis heu, nimis indulges naribus. quid faciam? taceas. an non hic

——cedro digna locutus?

non vides carmina hæc

Nunc demum numero fluere, vt per læue seueros
Effundat iunctura vngues? scit tendere versum,
Non secus ac si oculo rubricam dirigat vno.

Iam video,

Venerit in linguas vnde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia læuis.

Non bellum hoc? bellum. Quid dabis huic cantatori naufrago, qui suos, & ex Itala

——fracta se in trabe pictum
Ex humero portat?

quid darem huic Molosso?

OSSIFRAGIVM.

HEVS *Batane, emacules aurem: quid adhuc adipescit?*
Mundificumne salem, vel mordax poscis acetum?
Iam totos dabimus modios, plenasque diotas.
Quorsum hoc? vepretis latitantem exquire Molossum.
Cerberus est olli proauus; geniumque parentum
Æmulus ostentat: Stygium latrat ipse venenum.
Impune? o mores! nec adhuc incarcerat atram
Dia Themis linguam? Tamne altum sidera stertunt?
Quis Titus Erigonæ torpentem vellicet aurem?
Tum mihi tu scelerum puteal! Sed ad este cachinni:

Nam

Nam tumidam nolo mihi fermentescere bilem:
Splene opus est; quantum nec habet Democritus. Ille,
Cui Brennus vitam in putri meditatus oleto est,
Qui nec amat quemquam, merito nec amatur ab vllo,
Despuit in nostros rabidus conuicia mores.
Rhinoceros elephanta petit, nasoque lacessit;
Frustra: nam contra sannas rabiemque gnathonum
Emicat incoctum generoso pectus honesto.
Tu vetule, atque excors Suffene, age, quid tibi magnum est,
Quo mihi Fata viam Parcarum claue negarunt?
Scilicet in Veneris describere carmina peplo.
Hoc iuuat: hic toto in versus salit impete vena.
O scabies morum! An faceres hæc, siqua pudoris
Scintilla infami saltem tibi fronte micaret?
At pulchrum est iuuenum marcentes scalpere lumbos,
Pruritumque aliquo mulceri carmine: pulchrum est
Inscribenda fibris, in rene, & in inguine metra
Condere, nec scombros, nec thus metuentia: dum nos
Luctamur satyras, molles & radimus aures.
Trossulus has ridet; multumque torosa iuuentus
Sesquipedes linguas exsertat. Quis ferat isthæc
Scripta, supercilio rigidi trutinata Catonis?
Men' moueant scurræ? sed nec conuicia. spumet
Ira Molossæa, & vegrandia verba sagittet,
Fumantemque acuat nasum, dentesque venenet.
Hoc gentilicium virtutis stemma, subire
Inuidiam, atque odium, & rictus perferre malorum.
Sed verum, inquis, amo. Tunc, cum mendacia cunctis
Allineret quondam Cyllenius, excidit olli
Pharmacotheca, istamque tui reperere parentes.
Hinc opulenta fluit possessio. Quid vetat? Eia!
Vtere iure tuo; mentiri te decet. Eia!
Per fas, perque nefas, doctorum scripta cruento
Fige stilo: magno veniet de vulnere fama.
PERERIO *impingas aciem. Stipendia tantum*
Ad bellum deerunt pennæ. Quasi Mercurius te

Non

Sic Marcus, ſic Virgilius, ſic ipſe Catullus.
Quid tandem faciam? nunc agmina tota cachinnorum
Exſiliunt. nolo; ſed ſplen micat. Eia! quis illud
Ferre Heraclitus ſine riſu poſſit, ineptus
Quando Aretalogus ex ſtomacho pingues vomit offas
Verborum? Has ſi conſpiciat Leidana iuuentus,
Subſilit, & lingit vomitum: nil gratius illo eſt:
Non quod Mæonides Ptolemæi eructat in æde.
Tum Canis hic vento pulmonem rumpit, & omnem
Deſpectat turbam; ſolus Deus ille ſophorum eſt:
Diſcipulos cenſet reliquos, linguaque flagellat,
Si quis forte manum ferulæ ſubducere tentet.
Quis feret hæc? Turpe eſt, & luctificabile, tantos
Ducere te rhonchos impunem, & cetera vulgi
Ore Cyclopæo contemnere. ſi cui forte
Tanta Venus non eſt pictæ tectoria linguæ
Iactare in plebem, & bullatas ſpargere nugas;
Anne ideo barbam velles mihi? o ardua virtus,
Eluctanda tribus pulmonibus edere metra!
Nos iuuat interea purgatas inſerere aures
Fruge Cleanthea, & rectos oſtendere cliuos,
Dum titubant iuuenum ramoſa ad compita greſſus.
Hoc eſt, cur palles: hoc eſt, cur ebria penna
Inuidiæ lacrymis in nos conuiuia ructet.
O mera lolligo! hæc ego non agitem? Anne Mathonis
Lectica eiaculet in nos deſcripta veneno
Carmina? Tam patiens taceam? Nihil ipſe reponam?
O vtinam viuas, Flaui! quo Principe quondam
Multata infami ſcelerata calumnia ligno;
Bilbilidæ nouus ornaret iocus amphitheatrum:
In cruce Laureolus iterum lanietur ab vrſa.
Verum impune alitur vitium. Tu, ſiqua ſtetiſſet
Furca inter Batauos, quæ falſo probra ferentes
Obijceret coruis epulas; clam, nec ſcrobe coram
Talia muſſares conuicia. Quid mihi fruſtra
Vitrea turgeſcit bilis? Non ſola probroſæ

Scena sumus linguæ: cunctis res cognita lippis,
Cui rabidus nuper cantauerit ocyma. Quidum?
Inuidet hic superis: mortalibus inuidet: & se
Stirpe Molossæa ostentat, cui stemma Canes sunt;
Totque Canes numerantur aui. At sodes meus Vmber,
Cur nos, cur alios probroso carmine pinsis?
Aurea cur radios oculorum penna retundit?
Cur Lunam contra latrare & meiere Solem
Improbe conaris Cyclops? Strix, noctua, bubo
Ferre diem refugis: cæcis tua, Iuppiter, vmbris,
Iunonisque tuæ stupra inuoluisse laboras.
Infelix curruca! Hinc, quantum ex vngue leonem
Alter ego Phidias consueta emetior arte,
Grata tibi magis est scortum venale Catulli
Lesbia; & infelix, quam cantat Naso, Corinna:
Grata magis spurco notissima Cynthia versu,
Aut aliquis Sodomæ accendens Aubertulus ignem;
Quam cui diuinum calamumque manumque anathema
Deuouisse velit sæclis fax inclyta nostris.
Vsqueadeone iuuat Circæ obbrutescere virga?
Nunc iterum contra Gryllus tricaris Vlyssem:
In citharas asinus rudis: sus fœda Mineruæ
Oggrunnis: cuculus Philomelas voce lacessis:
Anser bella moues Cygnis. Caue Marsya pelli!
Tunc ego te. Ohe Demetri! Num numina credis
Dormire? an frustra Matrem secuisse Tonantis
Infami speras lingua? Tibi cudit in Ætna
Exitium Brontes: pes laneus ille Deorum
Accelerat gressum, vt tandem ferale bidental
In Stygijs iaceas agris; clamesque per vmbras:
Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.
Tunc, vbi ad infernas hospes penetraueris ædes,
Cognatus blandum tibi cauda Cerberus instans.
Assentatores iaculabitur ore latratus;
Vtque solet, tremula posticum nare subibit:
Inde tuam stirpem consulto discet odore;

Inuidia-

Inuidiaque iecur liuens, Venerisque mephiti
Torpentes vbi conspiciet putescere renes,
Ne dubita, agnoscet gentilem; teque canino
Hospitio excipiet, mensaque cibisque caninis.
O quantum est e stirpe Canum deducere stemma!

O quantum! Huic ego Diuæ Virginis Matris vmbram adlatranti sacro hos amicos versus.

I.

ADMIRANDA *canit dum Magnæ Lipsius Vrbis,*
Burdius acclamans plaudit vtraque manu.
Admiranda canit MARIAE *dum Lipsius idem,*
Burdius exclamans stringit vtramque manum.
Altera te, Lipsi, MARIAM *petit altera. pergat,*
Et MARIAE *& LipsI sentiat, oro, manus.*

I I.

HEinsius infelix, volucris pila dulcis amoris,
Qua Russam laudat, cælica penna tibi est.
Lipsius, ætherei foculus bene caldus Amoris,
Qua MARIAM *laudat, ludicra penna tibi est.*
Scilicet inferior MARIA *est Heinseïde Russa,*
Heinsiadeque minor Lipsius. o cerebrum!

III.

DVM MARIAE *Cygnus modulatur gutture carmen,*
Quale nec instanti fundere morte solet;
Sus Batauum grunnit, collatrat Burdo molossus:
Seque melos Cygni vincere posse putant?

IV.

QVICVMQVE *viperino*
Arundinem & papyrum
Intoxicas veneno,
Sub dæmonum maniplis
Stipendiate miles,
Vt improbis MARIAM
Conuicijs lacessas,
Et conspuas MARIA
Dignissimum clientem;
Melioris hæc moneta
Incude doctiori
Procusa cerne metra;
Nouoque amore flagrans
Orco remitte Diras:
Aut pristino in furore
Sis ferculum Charontis,
Sis ferculum Megæræ.
Hoc penna demeretur,
Hoc vita demeretur.

AD DIVAM HALLENSEM ET PVERVM IESVM.

HÆREO *Lac inter meditans, interq; Cruorem;*
Inter delicias Vberis, & Lateris.
Et dico, (si forte oculos super vbera tendo)
Diua Parens, mammæ gaudia posco tuæ.
Sed dico, (si deinde oculos in vulnera verto)
O IESV, *lateris gaudia malo tui.*

Rem

Rem ſcio. Prenſabo, ſi fas erit, vbera dextra:
Laua prenſabo vulnera, ſi dabitur.
Lac Matris miſcere volo cum ſanguine Nati;
Non poſſem Antidoto nobiliore frui.
Vulnera reſtituent turpem vlceribus mendicum,
Teſta cui ſaniem radere ſola poteſt.
Vbera refficient Iſmaelem ſitientem,
Quem Sara non patitur, quẽ neq; nutrit Agar.
Illa mihi ad peſtem procul & procul expungendam:
Iſta mihi ad longas eualitura febres.
Ira vomit flammas, fumatque libidinis Ætna?
Suffocare queo ſanguine, lacte queo.
Liuor inexpleta rubigine ſæuit in artus?
Detergere queo lacte, cruore queo.
Vanus Honos me perpetua prurigine tentat?
Exſaturare queo ſanguine, lacte queo.
Ergo Parens, & Nate, meis aduertite votis;
Lac peto, depereo ſanguinem, vtrumque volo.
Paruule, maternis medius qui ludis in vlnis;
Qui tua iam comples vbera, iam vacuas;
Quid me reſpectas obliqua tuentibus hirquis?
Roboris in cælum nil habet Inuidia.
Sæpe quidem dixti, noxis offenſus iniquis:
Tune meas mammas, improbe, tune meas?
Nolo tuas, o nolo tuas, Puer aureе, mammas;
Non ſum tam duri, tam grauis oris homo:
Sed tantum lateris pluat vnica & vnica ſtilla,
Et ſaltem a dextra vulnere gutta pluat.
Si nihil e dextra vis impluere, implue laua:
Si nihil e laua, de pede ſanguis eat.

Si tibi non placeo, vulnus mihi vulnera danto:
Mercedem danto vulnera, si placeo.
Sæpe mihi Babylon patera propinat & auro,
Ingeminatque meis auribus: Euge, bibe.
Non faciam, vel si Cælum miscebitur Orco;
Non faciam, meretrix impia, non faciam.
O sitio tamen! o vocem sitis intercludit!
Nate, cruore sitim comprime; lacte Parens.
Dic Matri: Meus hic frater sitit, optima Mater;
Vis de fonte tuo promere, deque meo?
Dic Nato: Tuus hic frater, mi mellee Fili,
Captiuus monstrat vincula; lytron habes.
Ergo Redemtorem monstra te iure vocari,
Nobilior reliquis si tibi sanguis inest.
Tuque Parens, monstra Matrem te iure vocari,
Vbera si reliquis diuitiora geris.
O quando lactabor ab vbere, vulnere pascar!
Delicijsque fruar, Mamma, Latusque, tuis!
Parce Deus, magno si te clamore fatigem,
Non potis imperio, non potis arte regi.
Exagitante siti, Patientia perdit habenas;
Clamores si vis tollere, tolle sitim.
Pluris ego clauis: saturasti sanguine clauos,
Lanceaque erubuit sanguine tincta tuo.
Pluris ego pannis: maduerunt vndique panni
Nati a vulneribus, Matris ab vberibus.

IMMO-

IMMOROR his Paſchaſinis, Arnaldinis, Bezaicis, Douſicis, Garamantum Regis, Thraſonis Gallici, Batauici criminationibus ſupra decus verecundæ dictionis, Magnique Veri. quo duce fixi iuſtæ indignationi, fixi immortali tuitioni monumentum,

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poßit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

nam & à lentato valide arcu contorſi in hos omnium libidinum ſeruos non illaudanda iacula, quæ vſque & vſque mecum recenti creſcant laude; cum & calumniatores illos ſcenicos, non in præſens tantum, ſed in omnem ætatem poſthumam mille Veritatum indagine incluſos, innociam proborum vitam dedocui impetere. Quorum ego dum vlciſcar ſcelera, perfidioſasque linguas, non recuſo vitam ponere in honeſtiſſimo facto. Quod ſi me nouus immaniorque a Lemanico lacu

——Sylla premat, ferusque Carbo;
Si triſtes Marij, trucesque Cinnæ;

non ſtabo in eodem vultu? etiam creſcam, cum bono Deo. Quid? in illa ignara veri Numinis gentilitate neſcio quis

——appoſito dextram damnauerit igni,
Plus felix peccante manu; cum forte ſatelles
Palleret, conſtante reo, tormentaque capti
Is fugeret, qui tortor erat:

& in Chriſtiano ſanguine natura nouercabitur? Incurrant dentes, vngues, cornua, pingues Gebennici cædibus gladij, inuidia macri; plumas has ridebunt rupes, & nata

& nata cælo saxa. Non dico, nulla venenarij teli signa referent. nam si

In castris Marathonijs merentem,
Vulnus non habuisse, grande probrum est;

quid erit in hac pugna, in qua *est nobis colluctatio aduersus Principes & Potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum?* integrine referemus pedem; aut intacti coronabimur? Sagda, si qua vetustati fides, supermeantibus nauibus tam tenaciter e profundo adcorporatur, vt non nisi abrasa ligni parte separetur. Quid fiet de Caluiniano Bele? quidquid firmauerit Magnus cæli Deus. Rideant ergo, lacerent, fremant, frendant Colophonij & Castabalensis agminis primi Ductores; sed & viscera propinent Orbi, fune suo implagati, Achitopheli, & Iudæ. Marcellorum monumenta non sublata Verre Prætore? Africanis, Pompeianis, Marianis tropæis æmulumne perpercit ferrum? Quid hæc minuta? in Christi sanguine lusit Iudæa manus. Ludat & in hoc calamo Caluiniana dextera. tantum tu Deus faue. tuque prima Cælitum alma Parens, quam æterna beatam Sobole multijugo meritoque ritu totus veneratur orbis.

CLARI

CLARI BONARSCII IN AMPHITHEATRI HONORIS MYRMILLONES RETIA.

Amico Lectori.



T ille olim ad beſtias Epheſi, ſic nos debellamur ad belluas Caluinianæ preſſuræ. Hinc canicula, inde Heidelbergenſes ſcrophæ, aliunde neſcio quorum de canabe funes tamquam retia Amphitheatrum circumplagant. denique in vnum caput ex vna Caluiniana ſpecu tot chamęleontes ceruices attollunt languidas, ſed venenarias; vt mireris ex vno trunco tot liuentia colla ſurgere. Et vis ſpecum tibi illam totam certo penicillo? quot in ea prope litteriſtica inge-

nia, tot venena; quot linguæ, tot pernicies; quot manus, tot litterariæ rei pestes. vnus enim omnium animus, nocere; virus intimare in mortem; afflatum vice pestis exhalare; calamo, tamquam de corporis posthumo, verberare; ementita pro veris euibrare; *Maledicis simultatibus saginari.* falsa pro certis spargere; βαρυλάλοις ἔχθεσι παίνεσθαι.

Aduersus hęc spicula in vacuum flagellantia, & disquirentia vbi offendant, figant, occidant, in remediis vt plurima sint, mihi tamen præsidium

Incorrupta Fides, nudaque Veritas.

quam cum viderem percuti, premenda putaui aduersariorum vestigia, nec solo calce repellenda. Et tamen quid ego in eos, qui maledicere singulis officium putant boni viri? quid in eos, quibus adeo feruet bullitque bilis, inimica Veritatis, vt iure credas totos illos cacabaceos? tam incerto namque hinc inde motu rapiũtur: tam sursum deorsum miscent omnia, minitando, carpendo, ridendo, mordendo, dolis malis, ementitis calũniis; vt studium videas hoc illis vnicum fuisse, æstuare: in quemcumque tandē æstus se ille profunderet; in vacuum, in solidum; in immerentes, in noxios; modo se profunderet, cacabumque suum onere leuaret. In

quo

quo æſtu vnum me ſolatur, nihil hic nobis euenire a veteri formula, a conſueta ratione, a permiſſu aut imperio ſummi Præſidis. ſtatim enim vt amari Deus, vt coli Veritas cœpit, inuidiam ſortita eſt, quæ

ἄπλετον ἐστὶν ἀεί,
χειρόνεσσι δ᾽ οὐκ ἐρίζει.

Stetit exinde hoc odium in hanc diem, quaſi vno ductu lineæ, in hereditarios diſcipulos vitæ beatioris, in Apoſtolos, in Apoſtolici ſeminis germina; in quæ exſurgit potеſtas tenebrarum harum ab inimicis crucis Chriſti. nam quid aliud loquuntur lapides, cruces, enſes, quam Chriſtianorum ſanguinem? quid hæreticorum, iam inde a ſuperſeminatæ originis ſuæ initio, os blaſphemum, ſacrilegæ manus, impudentes calami, quam piorum dedecorationes?

Arripit bonos perpetuo, nec certat cum peioribus.

Ex hinc iam tradux proficit inceſti huius, ſerpente ſcelere cum augmẽto, generis; dum ex hac ſpelunca adulteri ſtili, noua indies elleborum prouocatura commenta ſparguntur in populum, nouitatis crapula inebriatum. hinc non pauci nocentiſſimis inſtitutionibus circumſcripti, libidinibus, opinionibus, prout cuiuſque mens mala tulerit, exancillantes, in SOCIETATEM fidiſſima ſeptam caſtitate, maiorum terminis, antiqui-

tatis archiuo, valido procumbunt nisu. neque spem video melioris rei, ni Deus potenti dextera detondeat expaletque noxias has in agro suo fruges. in quas an non dictum credas?

Vos ubi contempti rupistis frena pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontes sint reditura caput;
Quam possit vestros quisquā reprehendere cursus,
Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ.

Finio, ne te Lector teneam; calumniasque singulas singulis capitibus eluam, & quidem breuibus: est enim sapor etiam in paucis; & fors gratior, cum copia fere nauseam comitem trahat. & vero

Longa oratione uti non finit me lex, horaq; festinantes.

τὰ μακρὰ δ' ἐξενέπειν
ἐρύκει με τεθμὸς,
ὧραί τ' ἐπειγόμεναι,

quas ipse mihi præfixi.

In

In Calumniatores.

QVID *improborum pullulat anguium*
Demessa ceruix? Num Stygias Hydra
Pertæsa noctes emigrauit,
Pythagoræ fruitura sorte?
Frustrane rursus semineces student,
Antæi adinstar, robora belluæ
Tellure tacta fenerari
Artubus heu toties reuulsis?
An fallor? an me ludit amabilis
Error? Tepenti iam video solum
Portenta conspurcare rictu,
Palladio superata neruo.
Bicepsque bardum Geryonæ canis
Hias, cruentis improbe faucibus:
Extrema tandem plaga mortem
Roboreo meditata telo est.
Quid e vepretis excita Gallicis
Vili ferocis dente nitedula?
Proboscidem subire tentas,
Nec metuis elephantis ora?
Et vos in ollis docti adipalibus
Caluinianæ lustra libidinis,
Ructare probra in purulentis
Desinite hæreseos tabernis.

CAPVT I.

Amphitheatrum Honoris an Sodomiticum.



PASSI *grauiora! —— duæ ſiniſtræ*
Caluini ſcabies, fameſque mundi
Βρύχουσι κερτομίοισιν ἀκριτομύθαι,
Amphitheatrumque hoc proclamant Sodomiticum. Qui ſi ideo velint Sodomiticum, quod Caluinianam retegat Sodomam, habent fatentē reum: non nego. At decebat illam in tenebris & ſpeluncis æternum deliteſcere, in illo fauillacio inrorido ſolo, ne diem contaminaret. & hoc fateor. Sed cum Caluiniſtæ ſcelera domi ſuæ nata, Charmerij, Paſchaſij, Bezę, Lermæi calamis euaporata, ſpargerent in SOCIETATEM; proderentque chartas omnis impudicitiæ auctrices, pudicitię interemtrices, quæ tamen citius erubeſcerent dominis ſuis; Gomorrhæiſque verſibus, non innocentum modo vitam, ſed & ipſum Solem tenebrarent; ego me, manumque hanc tenerem? *Frendent conuiciis elati.*

Verum nec verbulo criminis huius meminerat Burdius. Quaſi interſit, idolum plaſtes effingat, cælator ſculpat, an Phrygio detegat. nam quid refert, cuius calami aut oris venenis innocentes impetantur? Intuere Charmerij Gomorrhæam manum; vt obſtupeſcas igneo non fuiſſe deplutam nimbo. Vide Paſchaſij Sodomæum calamum; an non erubeſcas in meliore ſexu laſciuientem?

—— καὶ τῶν δ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος; *Nec ab his arcent leges.*

Iam

Iam agminis huius primi ductores, Caluinus & Beza, e quo theatro retulerunt lilia, lilia? e qua, ſi non a Gomorrhæa ſpecu, baſiolo tacebunt imo? a qua, inardeſcentes libidine, decurrerunt ad nouum terris lupanarium, ſcenicum, Scauricum Euangelium?

Quid? teſtes quærimus, tabulaſque publicas? denuda tergum: oſtendat Caluinus ſcapulas: vide illum Antiſtitis ſui veſtigia lambentem, genua detinentem, calceos volutando detergentem, ne expiet ignibus vltra naturæ iura impias libidinum ſuarum furias. & hic de maſculo lilio proſiliet Euangelij adſertor nouus; nec retegam ſcelera, quibus ſimplices animas in errorem trahit? Quid? Beza, ille poſt hoſpitis ſui vxorem nouus pugil Cleomachus (æquius Antiſtes deſignandus latrinarum, quam ſacrarum Scripturarum) SOCIETATEM, infami laceret verſu; & ego, tamquam facinoris conſcius, calamum reprimam? Illi quouis Phyſcone impuriores, Sardanapalo molliores, SOCIETATEM, omnem incontinentiæ ſiluam excaudicantem, de maſculo crimine damnabunt; & ego ſilentio firmabo crimen? In nullius non modo SOCIETATIS dorſo deflabellatum hoc fuit vlmea ventilatione; ſed nec extra Caluini ſcholam quiſquam adeo depuduit, vt vel in leuiſſimam ſceleris huius ſuſpicionem vocare quemquam e SOCIETATIS inſtitutione auderet, quæ virginem ſuam Chriſto ſeruat. a veſtro diſciplinatu erogatur illa, prȩeuntibus magnis Dis, in omnem feminam; ac, ſi nolit vxor, in ancillam. Hoc eſt Fidei ſuæ terminum de Epicuri ſchola agnoſcere. nobilis Euangelij noui denuntiatio. Qui Diabolo

bolo antistant, nunc viduitatis, nunc & virginitatis continentiam exhibent. intuere Iunonem, Mineruam, Dianam, Taurum, Cererem. at in Caluino, Luthero, Beza, Charmerio, impudentibus aurigis, inuenit Diabolus post castitatis perditricem luxuriam, noua libidinum monstra. quæ qua factis, qua dictis, editisque in memoriæ subsidium libris, ni illi prodidissent, essent vel ipsa nomina ignota SOCIETATI. Quid facient tales in persecutionibus, nisi vt oblata acerra animam negatione lucrentur, cui per tot libidinum portenta lasciuienti, omnes inuerecundiæ funes laxarunt? nega, si audes, laxasse. Eia!

Sperne fidem, prouolue Deum, mendacia vincant.

Et cum hæc prodo, quæ vestri ordinis in immeritam SOCIETATEM de cortina sua iaculantur, *Sodomiticum Amphitheatrum* audio? Ita vobis, Euangelij vestri libertate, innocentum vitam ementitis calumniis licebit impetere; nobis non licebit fabricata a vobis mendacia in impuritatis incude, retegere? A qua manu hę leges, Magne Induperator?

Non fuit absimilis licentiæ exemplum, quod anno CIↃ. IↃC. de Iesuitarum Guardiano, Madridij in sancti Hieronymi monasterio, die Diuo Ioanni sacro, post largos cyathos de concubinarum prærogatiua, puerorum capitibus trecentis, mutua cæde, impuris nescio quis nebulo, ex perpetuo insulsissimorum mendaciorum contextu conflatum, impudentiore etiam inuerecundia typis mandarat. Cultri, concubinæ, sicæ, saltatrices, puerorum capita, fratres, sorores, ebrietas, non

redolent Iesuitam. forte illa reperies Geneuæ, Rupellę, Leidæ, vbi ille non vltimus caninæ stirpis

—— ἔθ' ὁρᾷ,

Καὶ τοῦτο πᾶσαν ἡμέραν βουλεύεται,

Ὅπως τι χ' ὡς μέγιστον ἔρξειεν κακόν,

hoc spectat, hocque diem meditatur totū, qui vel maximū designet malū.

Accessit alterum paris stoliditatis, quod anno hoc CIↃ.IↃCVI. Roterodamo prodiit, typis Ioannis van Ghelen. Inaudierat nescio quis e Caluini fratribus, inter impudentes tenebras nexus nefandi, Lutherum illum omnium immundiciarum gurgitem, cum Diabolo de variis fidei mysteriis non semel disputasse, non semel manus dedisse; & pro libertate Euangelij quinti, pro Luthero Rectorem substituit Brugensem. Non inferiore licentia, quam anno CIↃ.IↃCI. Charmerius, nequitiæ stabulum, temulentorumque mendaciorum Dædalus, post trita sua pusarum pusionumque in molitoris filio fastidia, cum petulantes in Ganymedes suos flammas Iesuitis vellet affingere, sperassetque ciues omnes Antuerpienses XII. Aprilis anni CIↃ.IↃCI. in oculos cæci nati demigrasse, pro Caluino Sodomita Nouioduni humeros candenti lilio inusto, putauit reponendum Henricum Sodomitam Iesuitam Antuerpiæ igni traditum.

Prodierunt his non imparia, seu mentiendi licentia, seu stupore; quæ longum esset retexere. Ergo finem hic facio huic Capiti, si modo illi signum impressero; carmen nimirum Gomorrhæis his linguis

ANTI-

ANTIDOTVM.

OHE! mimorum ſatis eſt, ſatis eſt laruarum.
Nemo ſua ſtat fronte. Omni iam Roſcius vrbe
Grillat, & in quouis habitas Vertumne ſacello.
Nec ſolum Phariæ mirantur Protea terræ:
Polypodes Gallos, Belgas monſtrabo tarandos.
Qui prius anthracino ſtuprabat metra colore;
Virgine nunc chartam pingit leuis hiſtrio creta,
Cretatuſque ambit cenſuram, ipſumque Catonem
Ore gerit. Caueſis, innupta necubi voce
In Ganymedeum incurrant tua carmina ludum.
Burdius hoc prohibet. Quis Burdius? Ille, canina
Qui Venere, orbe palam, nuper catulibat inultus:
Cuius adhuc Batauum paſſim circumambulat vrbes,
Lenonum dictata, liber. Pro dedecus! Hicne
Scæuola defodiet Veſtales? Maximus hicne
Pontificum ſella ſtabit ſublimis eburna?
O rabulam, & ſcurram! Noſtro ſub pollice vultus
Effingi prohibes animorum, & crimina noſtris
Multari ſcuticis? Ut vitam deinde paluſtrem
Tuto agites cænoſus aper; dum nemo pudendis
Oblatrat vitiis; putridam dum nemo feneſtrat
Dente cutem. Sic eſt. duræ nam pondus habenæ
Conchatis perferre humeris detrecto. Sed heus tu!
Sciri quid agas? vitam meliori dirige amuſſi;
Aut ego, quam vara eſt veſtrorum regula morum,
Oſtendam; & ferreo clamabo Stentoris ore:
Hic ille eſt, hic eſt lutulentus de grege Calui
Porcus Ariſtippi: cui nulla eſt noxa trecentas
Rene vno Sodomas, ſexcentas ferre Gomorrhas:
Dummodo ne contra pugileris. Quo ruis? ohe!
Quo ruis? Infami pathicos ſi carmine pinſas,
Probrorum in rigida ſtatuet te præco cataſta.
Hæcce cachinnonis non rumpant ilia Perſi?

Mene loqui scelus est, mene hiscere; quando cinædo
Beza lupanatur versu, cunctisque, volenti
Nolentique, aperit Capreas? quod Caius olim
Erubuit, quodque ipse Nero, quod Varrius ipse;
Quando palam enubit, fama attestante, Spadoni.
Ne tabulæ desint, dat carmina: ne cui forte
Ægra fides titubet, dat basia. Non opus huic est
Vulcani aucupijs: vltro se prodit. An ergo,
Si media gallus cantet statione diei,
Fercula dat ditis mensæ? vsqueadeone patrare
Quam prohibere scelus præstat? Si Noiodunum,
Gallia si tota in dorso perlegerit olim
Lictoris descripta manu tua crimina, Calue;
Cur mihi Sigaleon pœnas intentet, ea ipsa
Dum digito signem, & versu censore reprendam?
Nempe racematim succrescent crimina; ni quis
Fulminet austera verborum Iupiter aura.
Quot nouus o Corydon, obliqua tuentibus hirquis,
Ωραίους iugules παῖδας; si nulla Lycisca
Excubet? Hoc est cur vigili maledicere fures
Consuerunt, canibusque volunt suffringere crura:
Hoc est, vnde noua herbescit seges indignandi:
Hinc vlmi, hinc betulla, hinc est cur vapulet insons.
Sed nihil illa mouent nos cauponaria verba.
Non secus ac vetula exosso molit ore placentam,
Dum vigilem exagitat fusum, Parcasque lacessit:
Sic quoque nos olim gingiua mandis inermi,
Dentibus o toties fractis. Pro Iupiter! An non
Semihomo Gallus, maledictis nobile lustrum,
Nostram prostituit famam? quem deflagrasse
Carbonatim equidem decuit, dum crimina mendax
Fabricat, & Sodoma Antuerpam traducere tentat.
O miser Amphion, quem nusquam saxa sequuntur!
Iam iugulum tandem meliori præbuit ensi.
Hoc habet, indignus tali gladiator arena,
Et dextra Romane tua. Haud solus tamen ille

Despuit in nostram vapido de pectore vitam.
Quamuis lauta humeris fruticet seges vlmea Calui;
Cuncta tamen citius numeret virgulta Lemanus,
Bardaque tu Burdi citius maledicta notabis,
Queis folium omne scatet; quam si comprendere cunctos
E triuio scurras coneris, quos mala orexis
Tota iubet vomere in nostros hypochondria mores.
Omnibus in libris ardemus: nulla papyrus
Non aliquem immerito Jesuitam adiudicat igni.
Scilicet infanti credunt illudere pupæ,
Et rubra impune solea obiurgare puellos.
Da tabulas. non sunt. Prætorum syngrapha. non sunt.
Da vestem: erubeant inuectia probra. Quasi non
More meo faciam: genius namque hæresis hic est,
Nulla innixa basi mendacia vendere plebi.
Tandem aliquid promas; ne frontem Kappa sigillet.
Quid metuis? solido constat fabricata adamante.
Diutius hæc tolerem? videsis, quam torua tuetur
Grammaticus! prohibet mussare. Papæ! nihil ergo,
Tot venenatis dum feruent vndique linguis
In caput insontum, nihil vlli opponere fas est?
Non clypeum, aut loricam? At contra Aquitanicus oncat.
O laruæ cerebrum! Jam pridem fœda Mephitis,
Lernaque probrorum mentemque auresque cloacat:
Nil satis obscœnum est: gremio de Cypridis imo
Elatebrat voces Paschasius; emicat infra
Bilbilidæ lumbos; &, quo natura negauit,
Peruadit, Calui excudit sub podice libros.
Carminaque ostentat TiberI dignissima sellis.
His famam adspergit nostram. Quid tum? Harpocratæo
Fascinat inuitis digito, atque intoxicat ora.
Ipse minax frendensque vlmos vibrat, & valida vi
Burdo magistellus tergo imminet. O mihi sodes
Fari vnum liceat pædotriba. Non licet. eia,
Anguillas pasce. εἰς κόρακας plagose lanista.
Quod falso cupitis nobis affigere theta,

Verius in vestram liceat transcribere frontem.
Scilicet insontes cum Socrate condemnari
Plebeiis cuperes testis. Si dicere caussam
Est scelus, ipse Cato fur audiet; ipse nefastus
Fiet Aristides. Alibi hæc deliria vende.
O caput! o cerebrum dignum peiore cucullo
Quam Pater exuerit! cuius nisi fama tuorum
Lurorem obtegeret librorum, tressis agaso,
Ludibrium pueris, & vili risus asello,
Vix dignus vero a Censore ærarius inter
Romanos dici scriptores. cui Venus omnis
In neruo est; lolium, tribulique, & carduus, & si
Vilius est aliquid, vestrum impleuere libellum.
Nunc aurem expurga Burdi. Quicumque molossus,
Seu catulus, seu quis vestra de gente catellus
Euomet in nostram stomachosus probra phalangem,
Ille suum linget vomitum. Quid ringeris? Hoc est,
Quod natura canum præscribit: consule stirpem,
Consule stemma patrum: hæc vmbris sanctissima lex est.
Hac ego, non alia, tecum iam lege paciscar.

CAPVT II.

Amphitheatri auctor dederitne epulum infamiæ dapibus instructum.

SI casuum licentiam, si fortunæ ludibria spectemus; quæ creatarum rerum pars non subiacet fortuitis, & fere deterioribus? quin & quo quidque præstantius, eo premitur pluribus. Quot vrbes mare diluit, terra subduxit, gladius messuit? Intuere segetem iam canam; & in illo opulentiæ suę risu, imbre corrumpitur. Vide temulentam vindemiam; & in ipsa diuitis sponsionis

ſionis ſuę maturitate, grandine cæditur. Iam arbores floribus ſuis grauidas, promittenteſque fœcundos partus, vnus demetit Aquilo; credes falce reſectas. Quin terram vide nunc arentem, nunc vdam; nunc æſtu emortuam, ac quaſi emedullatam, nunc imbre luxuriantem. quid cęteri illius ornatus? hic montium vertices decurrunt: ibi fontium venę ebulliunt; alibi imbibuntur, ac per meatus ſubterraneos deliquantur: hic littoribus ſuis flumina ſuperſtant; nec multo poſt, ne vada ſua contegunt: eadem piſcibus fœcundantur, nunc pauperantur.

ἐν χερῷ δ' οὔτ' ὦν μέλαιναι καρπὸν ἔδωκαν ἄρουραι,
δένδρεά τ' οὐκ ἐθέλει πάσαις ἐτέων περιόδοις
ἄνθος εὐῶδες φέρειν, πλούτῳ ἴσον,
ἀλλ' ἐν ἀμείβοντι.

Neque vero nigra arua fructum dant continua ſerie, neque arbores omnibus annorum curſibus, ſed alternis odoratum ferunt florem, diuitiis parem.

Sed & mari fides infamis eſt. de tranquillo furor illi, & decumana indignatio:

—— πολλάκις γὰρ ἀτρεμὴς [θάλασσα]
Ἕστηκ' ἀπήμων, χάρμα ναύτῃσιν μέγα,
Θέρεος ἐν ὥρῃ· πολλάκις δὲ μαίνεται,
Βαρυκτύποισι κύμασιν φορευμένη.

Sæpe enim æſtate immotum ſtetit innoxiũ [mare] magno nautarum gaudio: ſæpe rurſus furit, cũ horriſonis agitatur fluctibus.

hinc ludunt cum vectoribus ſuis nauigia, nec ante periiſſe ſe ſentiunt, quam perierint; ita mors etiam metum præcurrit. Fortuitorum horum aliquid etiam euenit mihi; credo ne excluderer conſortio humanarum rerum; ne eximerer meliorum fortuna: qui, vt alia omnia proſpere caderent, inſidas tamen linguas, maledicoſque calamos numquam effugerunt; quos aut liuore, aut maledicendi ſtudio, aut animi prauitate a vero bonoque deductos, magno niſu proruentes ſenſerunt.

vt

At vos pergite vultures, linguis, tamquam roſtris; calamis, tamquam vngulis; in probatiſſimorum quorumque vitam, ſanguinem, mores ludere. pergite. per mendacia ſuper mendaciis tutum eſt iter omnibus, qui a Gebennenſi ſchola incurrunt in SOCIETATIS Patres; quibus incurſione hac vires creſcunt. vt enim fortitudo infirmitatibus roboratur, & calamitas fere diſciplina virtutis eſt: ita SOCIETAS per mendaciorum veſtrorum cuneos ædificando vacat robori. Sed & ego callum iam per commenta veſtra duxi: & qui terrorem ſperabatis, robur attuliſtis & contemptum. fecit hoc non iam aſſiduitas, ſed mendaciorum quædam perennitas. contemptum namque periculorum iterata frequentatio facit: & ſolidiſſima corporis pars eſt, quam frequens exagitat vſus. quo minus moueor ad has voces: *Amphitheatrum epulum eſt omnis infamiæ dapibus inſtructum ab iis, qui in illud ſymbolas ſuas contulerunt*. Ego non diffiteor inſtructum me dediſſe epulum infamiæ dapibus, a Caluini, Bezæ, Paſchaſij, Charmerij impudenti manu & ſtilo temperatum. dein profiteor non daturum me nunc Moloſſo illi amicorum ſymbolas. vna manu inſtructam breuem dabo cœnulam; ne illi varietate aut multitudine obſeſſus ſtomachus, pergat tam male colata, tam parum purgata propinare nobis ſomnia.

Sed heus! abire hoc caput ſine munere? Quod vis?

Prandium? Cœnam? vtrumque? ita ſpondeo.

NASVTVS iſte Burdius, canum ſtemma,
Diuerſa roſtro ſcripta dum ſagax luſtrat,
Offendit vnus illius liber nares.
Subito renidet: Fætidam o dapem! clamat.
Infamiæ hæc eſt ſatura. Quis coquus ſtruxit?
Dignus flagellis, & cruce, & rota, & flammis.
Magne o magiſter, cur coquum impetas probris?
Caluinus vlmos pelle de ſua donat:
Tum Beza ſpurcos ingerit ſtupris renes:
Non optimum ipſe obſonium in penum aggeſſi,
Pectuſculum liuente turgidum faſtu:
Hæc ille, quanta potuit arte, decoxit.
Sed fruſtra acetum congeras, ſalem fruſtra,
Sapiant vt illa bene, quæ olent male. Aut ergo
Melius habete ſymbolum, aut malam cœnam.

CAPVT III.

SOCIETAS ne, maledicendi amore, Veritatis odio, prima in Burdonem incurrerit.

FRIGORA *perpeſſus, Solem cupit; vſtus ab æſtu,*
Inter hyperboreas mauult algere pruinas.
Iniuſto pluuiam metuit ſub faſce viator,
Quam poſcit voto ſitienti ruſticus agro.

cui hic annuas? figulo, an hortulano? In Honoris Amphitheatro plura etiam luſerunt vota. hic dictionem exoptauit

——teneram, & laxa ceruice legendam:

huic

huic nimis in eo multa ſpumoſa, ac durioris corticis,

Vt ramale vetus vegrandi ſubere coctum.

Quid ergo? vultis me illi adſociem,

——*qui in crepidis Graiorum ludere geſtit?*

Sed blandius erant compellandi ſinguli. nimirum

——αἱ γαλέαι μαλακῶς χρήζοντι καθεύδειν.

Poteram ſine crimine ambitus? etiam inter arma amicas dexteras, nec audirem caſtrorum deſertor?

Feles molliter cubare volunt.

——φίλον εἴη

φιλεῖν· ποτὶ δ' ἐχθρὸν, ἅ-

τ' ἐχθρὸς ἐὼν, λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι.

Amicum amem: sed in inimicū lupi adinſtar irruā.

ſed neque alienas ſcio emere auriculas

——*pulmone & lactibus vnctis.*

Et quid volunt a me tandem? *ſalutari ſicut Seianus?*

Sed quid opus teneras mordaci rodere Vero
Auriculas? videſis, ne maiorum tibi forte
Limina frigeſcant: ſonat hic de nare canina
Littera.

Perſonet etiam de Veronenſium Moloſſo; qui nemora campoſque compleat,

Vt genus e ſiluis Cyclopum, & montibus altis
Excitum ruat.

mecum ipſe hæc non imparatus volutaui

——*ante tubas. Galeatum ſero duelli*

ſciebam pœnitere. at tam longe abeſt ab hoc meo calamo pœnitentia, vt etiam doleam nimis parcitum non paucis. Quid? annon monet tamen amicus: Caue, ne inter hos *Ætneos fratres, cælo capita alta ferentes,* deſperatæ quiſquam mentis. Ha he! quid?

——*qualem Claudius edit?*

an tedã, *Quæ stantes ardent, qui fixo gutture fumant?* Fabulæ post natas fabulas.

—— nulli grauis est percussus Achilles:

Quiduis conando delendus aduersarius.

—— χρὴ δὲ πᾶν ἔρ-
δοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρὸν,

etiam scalpello & igne, vbi induruit malum.

Tu interim intuere aduersarios, quibus

—— frigida mens est
Criminibus; tacita sudant præcordia culpa.

inde iræ, indignationes, mugitus, fremitus; meque cælum terræ miscere, & mare cælo. Quid faciam? ne scribam omnino? optimum erat: sed quis hic se teneat?

—— ah! si fas dicere. sed fas

erit aliquando. nam non vnus illorum, etiamnunc

—— stolidam præbet mihi vellere barbam.

erit tempus, cum faciam potentiore volsella. nunc transeo ad Burdium.

Ait SOCIETATEM primam strinxisse maledicendi ficam.

Nec pueri credent, nisi qui nondum ære lauantur: nota SOCIETATIS modestia est, nota Burdonis insolentia. vide Notas eius in Varronem, Manilium, Festum, Catullum, Tibullum, Propertium. nec a sui quidem ordinis hominibus (ita ἐν ταυτᾷ πυέλῳ τὸν τ' ἀγαθὸν, τόν τε κακὸν λόει) stilum temperat; cum quibus eadem vbera, easdem Caluinianas, tamquam Ephesiæ, suxit mammas. in quos, qua data porta, qua occasione (non nata, sed arrepta) cum ruat insigni petulantia; an non rideam,

In eodem folio probũ lauat & improbum.

Cum fur displiceat Verri, homicida Miloni;

Clodius

Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?
& mirer eius in SOCIETATIS homines temulentiam? mirer inuidentiæ hauſtibus ebrium calamum? monſtrum ſit Caluiniſta, ingenio, moribus, dextera, lingua, dictione compoſitus. Ac ne te diutius verbis detineam Lector, percurre Burdonis de Emēdatione temporum prolegomena: reperies in his Toletum *abſurdum, iocularem, obſtinatum, mendaciis confertum*: Pererium *ineptum, veritatis odio impulſum, impudentem; anili, ridicula, aſinina ſententia*. at ego,

Si parcant animæ fata ſuperſtiti,
oſtendam Thraſoni huic ſingulari volumine, quā orbi toti inemendatam dederit emendationem temporum.

Addit Burdius, SOCIETATEM *maledicendi amore, Veritatis odio, ſycophantica licentia multa deuomere*. addit, *non eſſe hominis bene educati, boni ac bonis prognati, vlli conuicium facere.* Vide Lector, vt veterator hic ſuo ſe gladio iugulet. quod vt intelligas, ac vno oculi iactu, inuerecundiæ mantello reiecto, penitus cognoſcas hominis in maledicendo proteruiam, inuerecundię flammas, inhumanitatis ſpumas; dabo tibi vnius libelli, non magni, ſordes. ex his recogita, quam firmo nexu mendacium & impudentia mutuo colligata, portentoſos excutiant partus, ſuppeditante ſemina inuidentiæ paſſiuitate: & tamen vult videri modeſtus. ita ab omni æuo cæcitatis duæ ſpecies in liuoris domicilio concurrunt, vt cum non videat quæ ſunt, videre ſe cenſeat quæ non ſunt: ſua crimina aliena faciat; extranea bona, domeſtica credat. at ego appello ad lectoris oculos.

TRIHÆRESIVM *Serarius dederat. offendit ea res Burdium, paginasq; pauculas Elenchi sui farciit his sordibus, an iaculis. tu cense: ego ipsissima verba dabo.*

1. Centones stercoreos.
2. Plaustra farraginum.
3. Temulentarum plaustra Furiarum.
4. Pistrino dignas belluas.
5. Lutum stercore maceratum.
6. Dæmoniacum retrimentum.
7. Retrimentum inscitiæ.
8. Sterquilinium calumniarum.
9. Meretriciam impudentiam.
10. Impudentiam plus quam zeloticam.
11. Loyolitas.
12. Zelotas.
13. Veteratores.
14. Sycophantiam zeloticam.
15. Nugas & acumina SOCIETATIS.
16. Maledicentiam SOCIETATIS.
17. Insolentiam.
18. Arrogantiam.
19. Scarabæos.
20. Maledicos.
21. Laruas.
22. Maranos.
23. Imperitissimos homunciones.
24. Iudaicos stupores.
25. Stupores stolidos.
26. Plumbeos stupores.
27. Indices expurgatorios Maranorum.
28. Asinitates meras.
29. Impietates meras.
30. Ludibria Pædagogorum.
31. Grammaticorum ludibria.
32. Piaculares homines.
33. Canes latrantes.
34. Stolidos.
35. Asininos.
36. Castigandos flagris.
37. Iesuiticam inscitiam & confidentiam.
38. Contemptum eruditorum.
39. Sophistica dicta.
40. Pædagogica.
41. Alazonica.
42. Mendacia calidissima.
43. Mendacia asinina.
44. Pecus.
45. Stulta problemata.
46. Problemata anilia.
47. Inciuilitatem.
48. Imperitiam Græcarum litterarum.
49. Zelotica vestigia.
50. Puerilia.
51. Ridicula.
52. Inepta.
53. Non vno flagro castiganda.
54. Temeritatem.
55. Stulta mendacia.
56. Cercopithecis & Cercopibus persuadenda.
57. Nugatoria.
58. Exsibilanda.
59. Putam & putam inscitiam.
60. Fungis probanda.
61. Matulis probanda.
62. Triumphatores syllabarum.
63. Futilitates.
64. Leuitates.
65. Velitationes pædagogicas.

66. Tartara cælo miſcentes.
67. In quibus nec pudor, nec iudicium.
68. In quibus nec mica ſalis.
69. Deliria.
70. Quiſquilias.
71. Stolida commenta.
72. Cum cachinno conſpuenda.
73. Sophiſmata ineptiſſima.
74. Impudens mendacium.
75. Stercus Diaboli.
76. Stipites.
77. Bardos.
78. Imperitos.
79. Omnis iudicij in litteris expertes.
80. Poſtremam beſtiarum.
81. Vaniloquentias.
82. Ineptas diſputationes.
83. Inſanias.
84. Fungos.
85. Stulta & vana.
86. Deliria Loyolitica.
87. Deliria hæretica.
88. Polypos.
89. Syllogiſmos pædagogicos.
90. Syllogiſmos Loyoliticos.
91. Diſquiſitiones aſini.
92. Sellis digna Patroclianis.
93. Infame propudium.
94. Superbiam Magiſtri noſtri.
95. Impudentem Maranum.
96. Maranum ſuperbum & arrogantem.
97. Μορμολυκεῖα Loyolitarum exclamationum.
98. Stultæ plebeculæ occinenda.
99. Hominibus ſtupidis occinenda.
100. Aſinis occinenda.

Plura Paridis huius iacula, ex hac Pentheſilea pharetra Camillæ manu deprompta, ſerius indagator reperies. Qui ſi tantum mordeat, quantum ſpumat; tantum vibret, quantum frendet; ſanguinis tantum hauriat, quantum minatur; tantum denique ſorbeat, quantum ſordium deuomit; nec Augiæ ſtabulum Herculis labor, Polyphemi huius viſcera compleat. Tu interim videſne Lector, totum hunc in conuiciis natare calumnialem natatorem? videſne in perenni ſtercoris volutabro caſtas innocuaſque mentes degrunnientem? At Caluiniana hæc maledicta, palæſtra nobis ſunt; vt ad ſtadium aliquãdo tribunalis, per hæc exercitati, certius feliciuſque perducamur. nam & virtus duritia exſtruitur. atque adeo alios iam diu hoſtes, gladios, ignes, ſecures, funes, vngulas SOCIETAS experta eſt; ſemper

in

in salutē. Ita voluit magnus ille palæstricus speculator: desæuire nimirū in nos aduersarias acies; sed desæuire in vitam. dura hęc, fateor: sed æternitatem spectanti, & illam de puluere, sudore, sanguine, coronam, quid potest esse durum? Intuere medicinam: dices de sęuitia esse. vide scalpellum, cauterium, incendium. & tamen quis ab illa secari, inuri, morderi malum dicat? etiam dolores, qui passus est, pretio comprobat. Ita & ab omni æuo dignissimum creditum per vulnera vires committere, prœmio illice, spectaculo iudice, sententia voluptate. hinc pugni quassant, calces arietant, cæstus dilaniant, flagella dilacerant. Quod vbi videris, ostende athletæ vulnera, obiectabit palmam: vide vibices, proferet coronam: adde commiseratorias voces, ille te mittet ad colum, ad lanam; indignasque viro voces clamabit exilio damnandas, quin & virili toga, sub qua vociferabitur mentitum latere virum. denique vbi nulla cōmissio, nulla prœlia, nulla est gloria. ad quam si animum firmare voles, intuere Deum ex alto prospectantem, educentemque in medium, in vniuersi huius spatium, in spectaculum hominibus & angelis, hinc clauos, sicas, bestias, enses, ignes, Tribunos, Proconsules, Reges, Cæsares, tribunalia; inde palmas, coronas; ad immortalitatem ascensum, Domini vestigiis complanatum; arborem vitæ, mortis veniam secundæ; stellæ matutinæ claritatem, gaudium perenne, felicitatem non morituram, pacem in omnia sæcula perpetuandam; vitam denique omnibus animi bonis, supra quam credi aut cogitari possit, grauidam; idque in omnem æternitatem.

Quæ

Quæ cum ita ſint, perge Burdi, non degener caninæ ſtirpis, hirrire, adlatrare, mordere, miſſilia ſpargere Cloacinæ manibus macerata. ridet hæc SOCIETAS, a teſtudine Fidei, Veritatis, conſcientiæ bonæ valide protecta. & quid vereatur has ſordes matrum indices, cunarum aſſeclas; quam

Nec vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida?

& ipſa ſane generoſius ſuos omnes, magnarum animarum prodigos, quærit erogare;

Non, indecoro hoc puluere, ſordidos;

non in pudendo hoc ſterquilinij lacu: tibi hunc tuiſq; cædit lubens, volens, merito. Fruere; & ſi voles, æternū. Quod vt facias, nomini hoc tuo inſcripſi ęuiternum

Augiæ ſtabulum.

PIERIDVM *impregnent alij clamoribus aures;*
Herculis hic opus eſt, vrget labor Hercule dignus.
Non adeo Augiæ ſtabulum bis mille per annos
Spurcarunt ter mille boues, quam Burdo-moloſſus
Ingenuam infecit chartam. Peneïa non has
Vnda lauet foricas, olido quas gutture in omnes
Vnicus euomuit lurco: non ipſe Bonaſus,
Poſtico eiaculat per tot qui iugera fæcem,
Hunc contra certare queat. Quid victima ceſſet?
Huic Deus ecce ſuam cedit Stercutius aram.
O vomica! An deceat pauonum extollere caudam,
Stemmate quod Brenni ramum milleſime ducas?
Inde ſedet tibi Brennus in ore, in pectore Brennus:
Inde aſini ſtercus, ſtercus cacodæmonis inde eſt,
Stercoris aggeries, dilutum ſtercore cœnum.

Stercoreus cento, vel si quid peius oleret;
Et matulæ, & sellæ labes ipsissima nasorum.
Hæc oua, hæ lactucæ, hæc sunt embammata cœnis
Digna Molosse tuis. Verum non omnibus idem
Est stomachus. Si tale cani, si tale catellis
Leidanis epulum placeat, quibus vna cupido est
Excrementa tuæ hinc atque illinc lingere chartæ;
Non cuiuis datur a canibus deducere stirpem.
Inter haras versare canum. Ne ringere sodes,
Neu dentes acuas, si forsan putre fimetum
Acriter emunctæ moueat fastidia nari,
Et stimulet choleram. O soboles carissima terræ!
Si qua tibi patrum ingenue lippiret imago,
Tun' illa coram sic incestaueris æthram?
Impune? Hæc eadem matri si forte bubulcus
Occinat imprudens, vlmis epuletur opime,
Coccineoque ferox tergoque humeroque triumphet.
Ast aliquid supra vulgus mihi dicere fas est
Alpha Magistrorum. Nihil abnuo (dummodo scurra
Censeri cupias) putridis scortare cachinnis.
Numquam adeo tetri rabiit lolligo cruoris
In plaustro, in scena, tali quæ stercore chartam
Oblineret: vestræ hæc debetur adorea laudi.
Non ea sola tamen libro stabulantur in vno,
Quæcumque erubuit quondam maledicta Lycambes;
Cercopitheci, asini; pecudes, polypi, & scarabei,
Stipesque, & fungus, cum larua μορμολυκεῖον.
Nomenclator opust, qui suggerat omnia; non hic
E vulgo. Latium si norit & Hellada, restat
Barbaries. Quid ais Burdo? Num ferrea tandem
Frons hominem vestit? An semper turpe κυνώπης
Vultu habitat? Nescis vt bestia, bellua caulas
Non aulas redolent? An sic Signorius olim
Latrabat Canis, e cuius tua stemmata nido
Traxerunt titulos? Sed enim nos tela priores
Torsimus, & Martem nostris accendimus armis.

O Bur-

O Burdo! an manes credis dormire Toleti?
An Maldonatum tenebroso instertere luco?
Æacus hæc iudex, & Minos, & Rhadamanthus
Versabunt vrnis mendacia. Tu modo perge,
Perge aliquo saltem mantello obuoluere sordes.
Clauius hasce videt, videt hasce Pererius, & quem
Sæpe soles naso suspendere Posseuinus.
Dic age, si qua horum famam perstrinxit arundo
Ante tuam; si qua in vestros grassata libellos
Sepia; dum rabido cecinisti classica felle;
Dumque viros, librosque simul submergere tentas
Probrorum Oceano. Quamuis se virgine coruus
Expiet in lympha, numquam extersisse nigrorem
Iactitet. O Burdi, quamdiu conuicia demens
Probraque in immeritos graue cornicaris inepte,
Tota tibi Themidos nil prosunt balnea. Quid tum?
Nempe Cloacinam cuperes detrudere templo
Ipse Cloacinus. Numquam sic verna TerentI,
Non Plauti meretrix spumoso sibilat ore,
Vt nouus hic nuper fabricans maledicta Prometheus;
Dignus Caucasea qui pascat rupe volucres,
Seu te Delrio, seu te graueolente Serari
Proluit illuuie verborum. Sed caue Hylactor,
Fumantem nasum viui tentaueris vrsi.
Dum nimis irrequies voluit sua membra Typhæus,
Ætna procelloso meditatur pectore flammas,
Donec se cholera explicuit: tum protinus vndique
Horrifico resonant Vulcani regna tumultu;
Stat pecus omne metu mutum. Tun' talia gratis
Euomuisse putas in nos dicteria Mome?
Tarde obsonatur, qui laute. Symbola restant;
Symbola, quæ stomachus non vno digeret anno.
Non tamen hic cæno, non limo aut stercore mensam
Videris instructam. Nisi si quid forsan ineptus
Cheironomo obtrusit vester Caluinus oleti,
Aut Beza, aut alius ouo prognatus eodem,

Sed satis hic piperis, satis est tibi Burdo sinapis,
Vt rapidum exhales fumum, quo turgidus omnes
Despicis, ipse tua palpans te morio cauda.
Quis canit hæc? num quisquam audet mihi sistere contra?
J lictor: Quantus pro Iuppiter Induperator!

CAPVT IV.

Burdonium genus.

Virum nigri-nubiũ camporum dominum.

MAGNAM hic pugnabimus pugnam aduersus hunc φῶτα κελαινεφέων πεδίων δεσπότα.

Vidisti Lector pauones? qua colla florent, qua terga fulgent, qua caudã iactant, quanti? versicolores, discolores, multicolores, toties mutandi quoties mouendi. Ita euenit huic tauro. spumat, minatur, campum lacessit: & tamen

—— *Exspertæ iam non venit obuius hastæ.*

frendet interim: nec

Dissimulat gemitus; sed vulnera puluere celat,
—— *irasque sui bibit ipse veneni.*

ad Burdoniũ tamen nomen exclamat fremens. Quid?

—— *poteris fulmen meruisse secundum?*

Vis etiam magna iactantem quandoque fefellit. non effugit eam Typho, non Rex gigantum; sed domiti fuerunt fulmine.

βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ. Τυφὼς Κίλιξ πολυκάρανος οὔ μιν ἄλυξεν, οὐδὲ μὰν βασιλεὺς γιγάντων· δμᾶθεν δὲ κεραυνῷ.

Fallar, si te dixero e Diui Francisci familia, e cucullo, nouum prope terris Quirinum Patrem prosiliisse, Leidensis scholæ Principem Magistrum? Quid extrema te colli-

te colligis ira, lethale furens? an non, si proemia desperanda, grata tamen recordatione excucullatum a me magnum retro nomen, recolendum? Plerique naufragio liberati, & exinde repudium naui & mari dicentes, Dei beneficium, salutem scilicet suam, memoria periculi honorant. debuitne imparia Burdius, post cuculli naufragium, in omnium oculorum portu calamo hoc meo constitutus? Aut qua in re a me peccatum? silentio? errorem corrigo, fateorque propalam, Burdonem Leuitici generis, gentis a Deo dilectæ & electæ. addo monachi filium; e rubo nimirum rosam: ni mauis e rosa rubum. potuine maius aliquid, aut sanctius? Quamquam

Ha dolor! & vestros etiamnum excuso furores?

Licetne in libera Republica verum proloqui? an non ille — *nefasto te posuit die,*

quicumque sacrilega manu produxit? non hæc sacrilega, quæ post monachi vestem ausa est mulierẽ tangere?

Sed risi Brenni nomen. risi. quã enim decebat Herculem theristrium; Omphalen leonina pellis; Achillem fusa stola, coma structa, auris foratu effeminata, speculum formę consiliarius; tam tibi Brenni, tam Veronensium nomen & genus. Et rogo vos semper in errorem simplices Bataui, vbi prætextæ, trabeæ, laticlaui, fasces & virgæ, quę præferantur huic Principi? si nulla vobis explicatior ratio, virgas reperietis prælatas in Caluino Magistro; pro fascibus carpite lilia, pro purpura Candidę lectisternia: vt nouus tandem Dionysius, ferula sceptro Batauica deuerrat pulpita;

Et monstret digitus prætereuntium

Leidanę vindicem ſcholę. O Corydon, Corydon! an non *Ancilla natus trabeam, & diadema Quirini,*
Et faſces meruit Regum vltimus ille bonorum!

At tu fors mauis adnumerari inter

Auſos, quod liceat tunica punire moleſta.
Vos humiles, inquis, vulgi pars vltima noſtri.
—— tamen ima plebe Quiritum
Facundum inuenies: ſolet hic defendere cauſſam
Nobilis indocti.

Et quid tam longe petita nomina? vt tumeas

—— alto Brennorum ſanguine, tamquam
Feceris ipſe aliquid, propter quod nobilis eſſes?
—— miſerum eſt aliorum incumbere famæ.
Stratus humi palmes viduas deſiderat vlmos.
Nobilis hic quocumque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis.

Idem accidit in homine.

Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina.

Ede genus, nec te commentis polluе. Quæ te mater effudit vtero?

Quamquam, per me licet,

ἐχθίστοισι μὴ ψαύδεσι
καζαμιάναις εἰπὲ γένναν.
—— τίς ἀνθρω-
πων σε χαμαιγενέων πολιᾶς
ἐξανῆκεν γαστρός;

Denuntia natalium tuorum prærogatiuam omnis modeſtiæ dote deſtitutus: decanta Veronēſes Principes Batauici butyri ſuffragio locupletatus: deructa demum Veronenſes an Gemonias ſcalas, Hollandicis opibus ebrias: ſed &

—— vtroque Iouem de ſanguine ducas,
—— dignus

——*dignus molam verſare Nepotis.*

Attamen, vt te video ſudantem in Veronenſium pannis, inter tot furentes rabidaſque ſcalas, quid dicam? niſi, ——*ah miſer,*

Quanta laboras in Charybdi!
Vix illigatum te triformi
Pegaſus expediet Chimera.

Et quo rogo te hæ cogitationes? quo?

Quamuis Pontica pinus,
Siluæ filia nobilis,
Iactes & genus & nomen inutile;

quid tibi hinc, aut virtutis, aut certæ gloriæ? Vin' te ideo magnum prædicem, quod Diui te Franciſci cucullus Batauis

Tradidit inflatum, plenumq; Nerone propinquo? nam & ad Romanos Imperatores decurris; vt inde trahas aut capillum in vetuſtatem, aut nomen in admirationem, aut genus in nobilitatem. at ego maiora etiam dabo fide integra; Burdonum genus a primo arboris mortiſque delibatore, tamquam a primogenio ſemine & radice, nuſquam interciſa maſcula ſerie, proſiliiſſe palmitem & fruticem. multæ ab iis initiis tenebræ & ſeculorum noctes; ac prout cuiuſque faſtus aut libido tulit, genus & nomina. Hoc certum, ex ſplendidis ſordidiſque, fors & a furca & rota, alternante Fortuna vices, Iulium profluxiſſe. is adoleſcens, ſeu vltima vt vult Ioſephus rerum deſperatione, ſeu egeſtatis impulſu, fors & pietatis ſtudio, æternitatis metu; dedit ſe in Diui Franciſci familiam. ibi vixit; Scoto operam dedit ſine ære ſuo. pertæſus denique vitę, & ordinis, cucullum

lum excussit, monachum exuit, libros valere iussit. incertus deinde animi: hinc egestas, illinc honorum spes, auidum gloriæ iuuenem stimulabant. optimum tandem ratus arma tentare; cum in reliquis præsidij nullam spem videret. & vt erat manu promptus, laborum patiens, ingenio ad quam vellet rem vario, facile consequutus est, vt delectam iuuenum, quos flagitium domo aut religione expulerat, manum cogeret. his pro muro audacia, necessitudo pro robore. sed & æs alienum omnia experiri suadebat. ergo cædes & rapinæ grata fuere. inde priuatim ac publice rapere; sacra prophanaque pro eodem habere; sicubi, veteris ordinis Ducis sui, reperissent, eos vero omnibus exutos risui & ludibrio exponere. Sed cum his artibus contra ac ratus erat, Iulio res succederent, rediit ad libros; addiditque ad priora studia medicinam. in qua, vt erat acri ingenio, magnum breui nomen parauit. sunt qui velint exinde vxorem duxisse.

Et quos hinc natos speras? Saluete Quirites,
Romanum rursus conditur Imperium.

eam vxorem Iosephum illi dedisse, quem Batauici Ordines, Caluinistarum hortatu, e Gallia euocarunt ad Leidensem cathedram. hic ibi nunc sedem fixit.

Hęc, vti dicta factaque sunt, facundissimis in linguatissima Leidensi schola cauponibus, denuntiata volui: vti ne illis excidat Principis sui genus; ac mature dispiciant, quam Diuo Tutelari Academiæ suæ coronam texant. neq. ille dissimulat sibi eam non vno nomine deberi *Vt cui castrensis caligæ cognomen adhæsit,*
Et Nero Romanæ dedecus historiæ.

Serua-

Seruatos etiam ob ciues gestare coronam,
Non veriti: at pestes vrbis & orbis erant.

Maiora etiam fors sperat; & iam ridet, si se a suis sentiat

ἐστεφανωμένον ποίᾳ Παρνασίᾳ.

quare exspectat auidus diem illum, quo media in Batauia

Coronata herba Parnasia.

Τρεῖς μὲν οἱ πολίων ἑκατοντάδες ἐνδέδμηνται,
Τρεῖς δ' ἄρα χιλιάδες τετρασαῖς ἐπὶ μυριάδεσσι,
Δοιαὶ δὲ τριάδες, μετ' δέ σφισιν ἐνδεκάδες τρεῖς·
Τῶν πάντων [Βυρδαῖος] ἀγήνωρ ἐμβασιλεύῃ.

Tres ipsi opidorum centuriæ sint exstructæ, & tria millia supra triginta millia, duo item terniones, ac præter hos ter vndecim: in quibus omnibus a Burden regnum teneat.

Finio. sed pro hoc capite quid dependo? nam nec Reges Parthos potest quisquam salutare sine munere, nec Colophonij agminis ductoribus valedicere gratis. ergo exsoluo debitum

Burdoni.

SI quid pudoris fronte Burdo punicet,
Tun' excucullatum improbè iactes patrem?
Exenteratum dicier me mauelim.
Non tam pudende mœcha discingit togam,
Zonamque virgo publico exuit foro,
Quam constuprata euestit impudens fide
Monachus cucullum. Tripodis amplector metrum,
Ouum malum est corui mali. *At coruo tamen*
Hic peius ouum est, gnatus indignus patre.
Quemque exsecrari iure iam Cæsar velit,
Vt Cham Noëmus. Perge qua incedis via.
Si te parentis fama destituat, miser,
Mox ostiatim Burdo mendices stipem;
Ni te cucullus vestiat rursus patris.

CAPVT V.

Burdonis in SOCIETATEM minæ.

MEN' *mutire nefas? nec clam, nec cum scrobe? nusquam?*
Hic tamen infodiam.

nam Burdius, consuetis iam fastus sui flatibus inebriatus, intentat minas; & concludit maledicentiæ suæ paginam Thrasonico fine, asseritque fore, vt, si non pœnitentiam, saltem indignationem exprimat a SOCIETATIS hominibus.

Vis consilI expers mole ruit sua.

Animosum canem inuenerit oportet, qui apro cædem meditatur.

etenim κάπρῳ βουλεύοντα φόνον, κύνα δεῖ πλήθυμον ἐξελεῖν. Interim aude tantum, aude descendere in hunc litterarium campum.

Virorum nemo vmbrosis in montibus leonem ita timuit, vel pardalin, eum fors bis solus in angusta occurrisset semita.

Οὔπω τις οὕτω δασκίοις ἐν οὔρεσιν
Ἀνὴρ λέοντ' ἔδεισεν, οὐδὲ πάρδαλιν,
Μοῦνος στενηγρῷ συντυχὼν ἐν ἀτραπῷ·

ac tu ad vnius e SOCIETATE vestigium. & inclamas interim. Iacta est alea. eia! adgredere o magnum! quid nudis verbis ——*inertia pectora terres?*

Me, me, adsum. venio: solumq; quod ante vocasti,
Inuideo. ——fors alium tanget Victoria crinem.

Reperies hic vltimum Scæuolarum, qui nec vultum mutet ad Hetruriæ foculum. Meministi Alcidis?

Gaudebat stratus latus accubare leoni.

& spero fore (ita animos mihi Diua Hallensis, Sichemiensis e diuite penu sua suggerit) vt, tarda licet, pœnitudine improbæ loquacitatis impalleas, inuidentiæ febri

febri penissima efferi cordis tui medullarumque secreta depopulante. tantum aufer has linguæ tuæ petulantias, has infrenes scenicas voces, has theatrales fæces. de re congrediamur; nec mihi dilabere Protheu a delecta semel arena. ergo

Descende in campum, vestro qui sanguine pinguis
spiret, pinguisve meo.

Tu modo, si veteres digno depleuimus haustu,
Da fontes mihi Diua nouos, ac fronde serena
Necte comas.

Armoricus hic namque

[a] Ωθῶν κολόκυμα, καὶ ταράττων, καὶ κυκῶν,
Ὡς δὴ καταπιόμενός με μορμὼ θρέττας,
Εβλεψε νάπυ, καὶ τὰ μέτωπ' ἀνέσπασε
[b] ——— παῦε, παῦ
Υπερζέων· ὑφελκέον
Δὲ τῶν ξύλων, ἀπαρυστέον
Τε τῶν ἀπειλῶν ταυτηί·

Magne, a magno Brenni nobilique nomine, Veronæ Princeps. Qui vt omnia coneris,

[c] Τὸν μυθοπλάστην ξυλακτήσας [Κυνα.]

Quod si & veteres audax hic penates, vel a decem passuum millibus supplici adorauerit dextera, a cano illo barbatoque Magistro

[d] Κεραυνίῃ μάστιγι μαστιχθήσεται:

& qui nunc Pseudolus dolos, Anthemonides viscatas legiones, Pyrgopolinices clypeos machærasq; nimium feriatas, animumque iam despondentes, per Gurgustidonios agit campos, magni sitientes femora Cluninstaridysarchidis;

[a] *Audacia larua, tanquam me deuoraturus, surdos impellens fluctus, [resq;] turbans, miscensq; intuetur, corrugatque fronte, vti qui synapi pascitur:*

[b] *Desine, desine efferuescere (subducenda lignorũ pars, minarumq; aliquid hic exhauriendum.)*

[c] *Fictã latrabis fabulam Caninam.*

[d] *Fulmineo vapulabis flagro.*

Non suorũ tantũ graues dorso feret minas castigatus probris: sed & alapis cedet, testarumque iactibus. Neque insolentia [huic] flagra: secundaetiamnum vibex Caluini insculpta adhæret lateri:

—— πλήσεται μὲν οἰκετῶν
Στυγνὰς ἀπειλὰς δ᾽ ὑλόφῳ νώτῳ φέρειν
Δέννοις κολασθεὶς· πλήσεται δὲ καὶ χερῶν
Πληγαῖς ὑπείκειν, καὶ βολαῖσιν ὀστράκων.
Οὐ γὰρ ξέναι μάστιγες· ἀλλὰ δαψιλής·
Σφραγὶς μένει [Καλβίνου] ἐν πλευραῖς ἔτι,
Λύγοισι τετρανθεῖσα·

cuius Burdius hic non postrema progenies est; qui nobis, qui orbi Batauicas inter patinas tam insolentes exhibet argutias,

Magnai reipublicai gratia.

Sed & audi inclamantem, audi cum Grumio prouocantem,

Ego Pol te ruri, si viuam, vlciscar probe.

Tu me, o caluo patre caluum germen? tantum exi;,

Exi, inquam, nidor e culina. quid lates

Leidanas inter ollulas vnctas butyro, alliata inter farcimina, sufflaminata cespite? Quam vereor, ne, vbi retectæ fraudes tuæ, faciant inter terram atque cęlum vt medius sis; aut vt quam mitissime, doceant te, tot ante tuis circumscripti subdolis mendaciis, bubulcitarier. Et hic tamen

Modéste si dehinc nobiscum egerit, modesta vicissim sentiet: iratus iratos experietur, factisque facta paria recipiet:

—— εἰ τὸ λοιπὸν ᾖ
Σώφρων καθ᾽ ἡμᾶς, σώφρων᾽ ἀντιλήψεται·
Θυμούμενος δὲ, τεύξεται θυμουμένων,
Ἔργοισι δ᾽ ἔργα διάδοχ᾽ ἀντιλήψεται·

vt sentiat non degeneres, non inglorios exsurgere hos lacertos; sed vim vi repellere, arma armis, calamos calamis frangere, si velint, posse. Neque id ab hac mortali, sed ab immortali valentiore speret dextera summi Dei.

Ἐχθρῶν

Ἐχθρῶν γὰρ ἀνδρῶν μοῖραν εἰς ἀναστροφὴν
Δαίμων δίδωσι, κοὐκ ἐᾷ φρονεῖν μέγα.

Hostilem namque alternat ſortem Numen; nec elatos perfert animos.

Exempla hoc olim docent: & fere qui minitando, maledicendo, ringendo, ſpumando, arenam, capillos, barbam ſpargendo, vnguiumq; feminina arietatione vulnera mortemque ſpirant, inter has rupeas minas, ad vnius viri radios, celeriore liqueſcentis elementi fuga, campos fluminaque tuta petunt refugia. Ita.

ACERBA *quando feminam lues agit,*
Atrox mouere prælium viro æſtuat.
Sed heu! ſubacta maceratur in flagris
Miſella, lacrymisque fecialibus
Ferire fœdus occupat: vel impotens
Reponit arma, & inuolat ferox minis,
Quibus cluere copiis putat ſua
Abunde caſtra. Bella ſic puer minis,
Minisque bella degener canis gerit.
Flet iſte, & ille latrat. At cui nocet?
Sibi, efferata quando rumpit ilia.
Minare Burdo: femina es, puer, canis.
Minare: putida haud nuce illud æſtimem.
Licet proterua deſpuantur entera,
Amœna funus efferet tuum lyra,
Breue hocce carmen accinente præfica:
DEESSE ROBVR ARGVIT DICACITAS.

CAPVT VI.

Impietatisne ab Amphitheatri auctore damnati omnes, qui cum aliqua laude in litteris versati sunt.

O Cyclops, Cyclops, quo tibi mens euolauit?

Ὦ Κύκλωψ, Κύκλωψ, πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι;

vt ingeniosior est ad excogitandum simulatio veritate; ita est ad inueniendum, adserendum, etiam periurio firmandum, quidquid aut libuerit animo, aut caussæ profuerit: —— τιμῶντες δ' ἀρετὰς
ἐς φανερὰν ὁδὸν ἔρχονται.

At qui virtutes colũt, aperta incedunt via.

Et quos, rogo, impietatis damnaui? Bezam? Paschasium? Arnaldum? Dousam? Lermæum? Bock-horingum? Pareum? Burdium?

Ilicet hic summi resident octo Sapientes.

Persto: & nunc damno; non ego, suo se damnarunt calamo, suo iugularunt.

Intuere Scauricum os Bezę, Iouem Basium, publicantem humano generi; taceo. Vide post Cynthiæ infanda propudia proludentem in exemplis, quæ sola expiet flamma.

Mulieris amore teneatur, an viri, negauit se certo scire.

Κἤ τέ μιν αὖτε γυναικὸς ἔχει πόθος, εἴτε καὶ ἀνδρὸς,
Οὐκ ἔφατ' ἀτρεκὲς ἴδμεν.

Audi canentem:

Sed vtrum, rogo, præferam duorum?
Amplector quoque sic & hunc, & illam,
Vt totus cupiam videre vtrumque,

Inte-

Integerque frui integer duobus.
Præferre attamen alterum necesse est.
O duram nimium necesßitatem!
Sed postquam tamen alterum necesse est,
Priores tibi defero Audeberte.

hinc illa, hausto semel inuerecundo hoc igne, intercisis verba suspiriis:

Nunc ille sæuit nimis
Puer mihi in medullis.

Iam versus illi, quibus Salomonis Cygneam expresßit vocem; an non tibi ludere videntur in Petronij aut Apuleij stabulis, aut in aliqua de Theatris meretricula?

Flecte dehinc oculos ad Paschasij Sodomæam manum, Gomorrhęum calamum. abierant prope hæc portenta vocum; nec erexissent se super suo cinere, ni nouus Apollo Gallicus, completis vesano hoc igne pręcordiis, Orbi, qua patet, infanda cortinæ suæ in meliorem sexum vota, æterno celebrasset versu.

Sequitur Arnaldus, dignum par, Sporus Neronem. Tulitne Gallia monstrum maius? aut inoculauit Deus cælum pluribus sideribus, terram floribus, maria piscibus, quam hic libellos suos mendaciorum plaustris? Et hunc ego credam virum pium, quo neminem vidi propius secundum belluas ineptientem, brutescentem? audi ipsissimas illius tritas delicias:

Τὸ σήμερον μέλει μοι·
Τὸ δ᾽ αὔριον τίς οἶδεν;

Hodierna curo tantū; Quæ cras futura nouit?

Iam Douza & Lermæus, ille in *parißimo Epigrammate*, hic in *Locusta*, an non tibi videntur linguæ & calami intemperantia ebrij? an non ad plenum pro-

dunt

dunt ſcurrilitatem plus quam ſcenicam? & nunc quidem cuniculis SOCIETATEM impetunt clandeſtinæ proditionis, calcaneo illius inſidiantes noxiæ viperæ; nunc machinis apertæ ſimultatis diriſſimæ Harpyiæ. Intuere verſus;

Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid & herbarum Theſſala terra tegit,

ludus eſt ad hos Cerbereos afflatus. quos tamen adſpirant tam plumbee, vt ſtatuas verius arbitrere, quam cochleas venenarias.

Venio ad Bock-horingum. Os illud blaſphemum, piumne tibi? Nimirum

De ſcelere & Fidei violatæ crimine. ſed nec
Tam tenuis ſenſus

illi contigit, vt non perſentiſceret, impiam ſibi mentem ingenti ſcelerum mole oppreſſam. Etenim

——prima eſt hæc vltio, quod ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur; improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

Sceleris ſi quis patrator ſperat latere ſe poſſe Deũ, fallitur.

——εἰ δὲ θεὸν
ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λαθέ-
μεν ἔρδων, ἁμαρτάνει.

Parei vero ſtolidam ferociam, voluentemque mendacia tamquam per Stygias paludes, quis non rideat? Credebat ſe illa mittere in Ægyptiam noctem; miſit in diem medium: nec erubuit nouus Dædalus, mendaci-figulus. cuius exſanguem frontem, os, dexteram, non iam peregrinari; ſed habitare videbis in illis tam crudis, tam impolitis, vt e quercu exciſa credas Pontica ſecuri: quæ non eructat, deuomit pleno ſinu, rara a ſolis mendaciis temulentia.

Claudit

Claudit agmen Burdius. cui darem veniam, si imitatus adsidentium dissidentiumque consilia Medicorum (qui parum docti, nimium etiam seduli, languidos multos officiosissime occidunt) verborum arguta modestia ac quadam acuta lentitudine, quasi sub officiosa nube, aduersarias opiniones perimeret. At quæ aut aures castiores, qui verecundiores oculi, perpetuo luto, stercore, Dæmoniaco excremento inquinatam dictionem perferant; aut quod tam durum os colorem teneat ad hæc lupanaria propudia, inuerecundioremque chartam infami femineo panno? Et ego hunc dicam virum pium, qui in æterno sterquilinij portu anchoras firmauit? qui in Charontico fluuio, defluo Satanæ recremento pasto, naues suas fecit statarias, magnis Dis, Cloacina ac Stercutio præsidibus? apage has sordes; & æternum *Obliuioni* sacremus. Ita sine vllo peculio? ne vereare, aliquid dabo non indignum barbato huic.

Calumniatori.

QVID *immerentes allatras ferox Lacon?*
Vt crura suffringam tibi?
An vt triumphi ferculum Quiritibus
Veharis, iniectus cruci?
Non sic inultus blacteres o Pamphage,
Natus culinæ muniis,
Et Murceæ lentum inter vlnas stertere,
A puluere & campo procul.
Si cum leone velitari inæstuas,
Mox acre surget prælium.

Ee. *Plagis*

Plagis fatiscent viscera; & longum trahens
Suspiriosus ilia
Vitam latebris debitam fatebere,
Gallumque cædes victimam.
An ergo nostris iactitet templum in scholis
Libitina litteraria?
An nos locustas, nos ais sicarios,
Nos imminere funeri?
Nos spiculare in quemlibet stilum arguis,
Cui fama crescit litteris?
Circumforaneum, an propolam te vocem
Mendaciorum? an acutius
Calumniarum caupo celebrari velis?
Conuiciorum vel popa?
Et hoc, & illud; quodlibet nomen capis;
O officina criminum!
Indicta nullos caussa prostituit reos,
Nec sceleris exsortes luunt;
Iugulumque quisquis pollice sinistro dedit,
Hunc improbum titulus probat.
Beza est cinædus. Beza truncatus iacet;
Ferrum recepit debitum.
Sodomæ architectus inuolat Paschasius:
Flagris & igne inuritur.
Arnaldus eius nuper erepens sinu
Non impigras sensit manus.
Ecquis Gomorrhis molliorem, mascula
Donet spadonem laurea?
Lermæus vltro stolidus in ferrum irruit,
Et propriam accersit necem.
Iuuenisque scurra vulneri dedit latus;
Prior mucronem strinxerat.
Antibata Burdo concidit, dum lubricat
Conuiciorum sordibus.
Quisquis lacesses in suo stantem gradu,
Parata cernes spicula.

Caue,

Caue, caue. neque vllus hic ſperet rudem:
Sine miſſione cernitur:
Nec Bockhoringi peſtilens virus tuli,
Quo labra, quo renes tument.
Si calcitrare porro Pareus velit;
Dabo capiſtrum, addam flagra.
An, ſi quis atro felle me perfuderit,
In matris irruam ſinum?
Audire quiſquis iure formidat male,
Is deſinat loqui male:
Et tuta nobis vt ſient commercia,
Etiam patrare deſinat.

CAPVT VII.

Auctorne Amphitheatri melioris litteraturæ perniciem moliatur.

O SOMNIA, nimium ſiniſtro Numine colata! Vbi eras, aut inter quos ahenos fratres;

Miſſi dum volitant per aſtra montes,
Pindus, Pelion, Oſſa, Olympus, Othrys,
Cum ſiluis, gregibus, feris, pruinis,
Saxis, fontibus, oppidis, leuati
Vibrantum ſpatioſiore dextra?

Certiora dares, altiuſque deſoporata. At heus! noſti Aquilonia flumina? durata glacie ingentia bella tergo tranſportant. ego induratus maledicentiæ Caluinianæ perpetuo imbre, callum obduxi aduerſus hęc cōmenta. Quamquam, o ſeculum! in quo in innoxia capita falſa ſpargere glorioſum; vera, periculoſum: in quo

Verſuto mendacio maxima ſunt deſtinata præmia.

——— μέγιστον
αἰόλῳ ψεύδει γέρας ἀντέταται.

in quo extriti pudoris commentitij auctores honestantur, veri denuntiatores decolorantur inuidentiæ flammis. Quis has linguas vncus aut ignis expiabit? Quis hæc, non iam cæca & improuida, sed in certum librata tela nimis quam inuerecunda manu, patiente ferat animo? Et fero tamen. Quamquam ex iis, quos non vna pertica, sed distincte gradatimque tractaui, facile videat Lector, quo apud me loco sint litterarũ amatores: quibus fors non postrema hæc dictio plus addet gloriæ, quam Oriens Occidensque triumphis illustratus. Ex his, quo quisque melior doctiorque est, eo mihi obligatior abibit. Et vero semper eos laudaui, qui memoriam operibus extendunt; quibus nulla mors repentina est, vt quæ semper inchoatum aliquid abrumpat. Nam illos, qui in diem viuunt, cum viuendi caussas quotidie finiant, quis in hominũ numero posuerit?

Vis quid sentiam? eruditorum dies vna plus patet, quam imperiti longissima ætas. quare beatos iudico, quibus Dei munere datum est scribere legenda; (etenim

A Musis laudata venit hominibus gloria.

Ex Μουσᾶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισι)

beatiores, quibus facere scribenda; beatissimos, quibus vtrumque: ita tamen, si prima apud eos cura Dei & salutis. Quod ego non de vno scriptionis genere, de omni mihi sermo. Quin & conatus in his laudo, & illa recentia ac rudia, & nascentibus similia, secundam extremamq; manũ opperientia; immo & abortus, in quibus aut ætatis, aut præproperi caloris intercurrit culpa, ac temerarium quoddam ignorati roboris experimentum. in magnis enim etiam voluisse sat est ad laudem. nam quotus quisque aut in singulis, aut in vno verti-

cem

cem contigit? enituit aliquis in Grammaticis; ſed obſoleuit in Poeſi. alium elegans veſtiit dictio; ſed non firmarunt nerui. admirationem ille copia, laudem alius diligentia captauit. honeſtauit aliquem Attica rotunditas, deſtituit Latia. ille quæſitam gloriam in Tragicis, non reperit in Satyra. hic in Comicis partam, perdidit in Lyricis. fuit alius in Heroicis nobilis, iacuit in Elegiis. in Hiſtoria quanti fuerunt, reliqua nulli? poſtremo, nemo adhuc exſtitit, cuius eruditio nullo inſcitiæ confinio læderetur. Nec eo nomine a ſcriptione deterrẽdos cenſeo. quinimmo nullum arbitror magno viro, immortalitatemque promerituro genus dignius, quam quod erogatur in poſteros. erogatio hęc ſcriptione potiſſimum abſoluitur. Neque hoc in omni genere a ſingulis

(μία δ' οὐχ ἅπαντας ἄμμε θρέψει
μελέτα)

Non enim vnicũ omnes alet ſtudium.

ſuperforanea hæc cura fuerit. quicumque demum conatus acceſſerit; quiſque in quo ſudauit, in eo æternitatis præmia ſperet. Sed neque in vno genere omnes. vt enim terra variis mutatiſque ſeminibus pro conditione cæli & ſoli, ita ingenia, pro habitudine varia, varia commentatione gaudent. Quare conatuum laxandos frenos cenſeo, nec vno gyro impetus refringendos.

Non claudo tamen hic cogitationes meas. Omnem hanc litterariam cognitionem, ancillam ſtatuo magnæ Dominæ Philoſophiæ, Theologiæ. Incomitatæ fors hę procedent, ſi quis illam detraxerit; manebit tamen illis ſplendor ſuus. non iſte adſcititius, ſed domi natus: qui, quo verecũdior, eo etiam magis honeſtabit genas, pro-

 uoca-

uocabitque castos amatores exutus stibio. Ægyptum cogita, non alio solitam aquarum genere pinguescere, quam quas ipsa deuexerat: & tamen tantis segetibus medullatur, vt cum feracissimis terris certarit semper. Accedat aliquid ventorum pulsu a profuga nube; addet semini suo, si non fecunditatem, flori sane fructuique colorem. Eadem videbis in Philosophia & Theologia. Permitte sibi; sine nimirum hoc verborum colore, purpura: succo viuent suo; nec deerit vllo tempore rerum varietas, amplitudo. Adde litteras comites; colorem addes, spectandasque etiam magis dabis: reliqua domi nata sunt, ossa, sanguis, caro, nerui, firma decensque membrorum compositio.

Sed risi Caluinianos admiratores, Disquisitores marmorarios, ærarios, membranarios curiosiores. Factũ fateor. conuenit namque Veritati ridere, tamquam lætabundæ; de æmulis suis ludere, tamquam securæ. Damnabat homo Gallus lingua sua SOCIETATEM totam, & quotquot ex ea; nec dignos putabat, qui vel docentes audirent Caluinianos principes. Cacabulum de Saturno, trullam de Minerua meditabatur.

Non ego nobilium Scriptorum auditor...
Grammaticas ambire tribus & pulpita dignor.

hinc illa in me, in omnes natos e SOCIETATIS schola conuiciorum plaustra.

Hinc ieiunum odium, ... inde virorum
Saltatus nigro tibicine.
O imitatores seruum pecus! vt mihi sæpe
Bilem, sæpe iocum vestri mouere tumultus!

Quid volebas? mittere SOCIETATEM totam, nosque omnes

omnes ad ætatis prolapſæ fragmina? Ætneas incudes? furentis Circi rudera? Tibi has partes cedimus lubentes, volentes. Tu

Argentum ac aurum, marmor vetus, æraq; & arteis
Suſpice, cum gemmis Tyrios mirare colores:

nos iuuat, iuuabitque

—— immemorata ferentes
Ingenuis oculiſque tegi, manibuſque teneri.

Magnus ille, magnus, qui

Libera per vacuum poſuit veſtigia princeps,
Nec aliena ſuo preſſit pede.

Hæc tibi, hęc tuis. Quod ſi verum agnoſcis,

Dede manus; aut ſi falſum eſt, accingere contra;

non inſtitutione ſua degeneres reperies. Neque ego vnum dabo, qualem

—— preſſerunt millia ſolum
Multa virum, pendente via:

millia dabo, qui hunc

Leto cruento mirionem ſimium
Sternent, trifaci ſaucium longurio.

Πιθηκοφό-φον πότμον αἰτωλῷ φθό-ρῳ Τεύξει τριό-φυει φονίῳ τετμημένον.

& in ſingulis ſingulos, non animis, non viribus impares. addam, non trecentos; millia, ſi voles, Scæuolarum; diſtillantis, non dexteræ, ſed ceruicis contemtores: quibus pro Veritate plus ſemper pectoris (vt pro qua ſanguinem non dubitent erogare) quam toti Gebennenſium ſcholę contra eam. in qua cum plurimos viderim

Grammaticos humiles, qui ſolo cortice gaudent,
Quos non admittit intus pinguedo medullæ;

tum ſat multos linguatos, loquentiæque caupones expertus

Sed nimirũ versutiloquentia olim quoque erat blandorũ verborũ comes, doli cogitatrix, maleficũ opprobriũ: qua, quod splendet, violenter deprimit; at obscurorum marcidam attollit gloriã. numquam mihi sint tales, Deus, mores: sed vita viis simplicibus insistam.

pertus sum. ——— πάρφασις ἦν
καὶ πάλαι αἱμύλων μύθων ὁμόφοιτος, δολοφραδής, κακοποιὸν ὄνειδος·
ἃ τὸ μὲν λαμπρὸν βιᾶται,
τῶν δ᾽ ἀφανέων κῦδος ἀντείνει σαθρόν.
εἴη μή ποτέ μοι τοιοῦτον ἦθος, Ζεῦ πάτερ, ἀλλὰ κελεύθοις
ἁπλόαις ζωᾶς ἐφαπτοίμαν.

quin & in eadem ſchola nimis etiam multos vulturum more vidi ludentes in humano ſanguine; nimis multas infidas dexteras, linguas periuras, quibus per crudiſſima mendacia inſontium vitam, eruditionem, mores impetunt. At Sapientiæ & Pietatis magna ſolitudo eſt; quæ fugiunt hæc vbera, tamquam externa; cubilia, tamquam ignota: SOCIETATEM vero amplexantur, tamquam filiam; ſtringunt, tamquam certam heredem magni huius boni. In qua, licet non omnes ex omnium Scientiarum, quaſi oliuis & vinetis, plenam colligant autumnitatem; exprimunt tamen non ignobilem palmitis rorem, qui ſatis ſit ad inuidiam.

Sed iam claudo hoc caput. Sine ſolemni adnumeratione? quin reddis, quod debes? Bene mones. en tibi

Perſpicilia.

VSQVE adeone iuuat Lernæo tincta veneno
Spicula in inſontes mendaci ſpargere dextra,
O genus Abrhami! vix vt lallantia probra
Digna crepundiolis in nos inſurgere cogas?
An puerum turma Troiam te ludere credis;
Atque exangue putas ſimulacrum pingere Martis,
Magne o Dictator! Cuius proſcriptio nuper

Scylla-

Scyllanas vicit tabulas; dum protinus vno
Totus ad exitium programmate poſcitur ordo.
Quod ſcelus vrna probat? Nullum. belle Hercule, belle
Offundis Soli nebulas! Quaſi nemo taberna
Dignum Mulciberi librum perlegerit. Jlle eſt,
Qui bilem in naſum exciuit mihi. Pro ſacer anguis!
Et naſum emunge, & cerebrum. Tun' ſannio, nondum
Hocce ſupercilij nemus, & Parnaſſidos hoſce
Attonitus metuas lucos, queis frons recutiti
Diuinum ſpirat, critica ſi quando choragum
Exhibet orcheſtra? Quid agam? ſplen ſubſilit. eia,
Quis ferat has feces, queis pectus turget inane
Vilis Ariſtarchi? Mene ergo ſcribere crimen?
Mene adeo Titan auerſo conſpicit axe?
Verum aconita vomis, loquerisq; abſynthia, & vndiq;
Auſtero exundas ſ[illegible]o; rubigine plena
Labra procelloſis fundunt conuicia riuis.
Deliciæ o Themidos! tun' iſthæc iudice coram,
Funus vbi haſta minax intentat, farier auſis?
Anne ego doctorum maſtix? vos ſidera teſtor.
Euelli infeſtas nuper Stymphalidos alas,
Queis meritæ traxit radios ſubliuio famæ,
Submiſſis inimica viris. Quot nomina per me
Inuidiæ purgata luto? importunior o quis
Jnfeſto pupugit calamo præcordia? Nempe
Beza, inquit, veſtro dente excoriatur & vngue;
Victimaque in veſtris ardet Paſchaſius aris.
Quid reliquos narrem, penna quos præpete ſurſum
Fama vehit, ſæua quos omnes grandine geſtis
Verborum appetere, & Lerna merſare probrorum?
Quid ſi quis proprio accerſat ſibi damna vehiclo,
Solus ego flagris vrar? ſi mœchus, adulter,
Fur, latro, ſacrilegus, defixo guttare fumet
Pone Tigillinum; quorſum cauteria noſtræ
Jntentes fronti? Nulla eſt poſſeſſio famæ,
Quem ſcelus infamat. Furem ſi nomino furem,

Si Verrem appello Verrem; ius obtinet. An te
Si quisquam indigitet genuina voce Thrasonem,
Vapulet hoc titulo? Tota hoc respublica nouit
Doctorum. Papæ! Vt egregie Suffenus haberi
Nuper ineptisti! quando indignante papyro
Nos labem, & pestem, & studiorum Acheronta vocares:
Quæ pridem è Stygiis per nos educta latebris,
Solem habitant. Quis tu de plebe es litterionum,
Vt puncto reprobes vno, si forte palato
Desipiant mea scripta tuo? At venosa videntur,
Verrucisque repleta: quibus vel sesquipede exstat
Pinguis aqualiculus. Pro tempora! pro quibus oris
Degimus! An solido videat hunc Phœbus in auro,
Mollia qui tenero supplantat verba palato
Femineus Rhetor? dignus qui pensa volucri
Agglomeret fuso. Frustra nerui atque lacerti,
Carnea mollicies placet, & quæ nata cubili est,
Quo noua nupta iacet. Quænam hæc vrtica loquendi,
Pruritum irritare sciens? Meretricia pridem
Martius erubuit cernens pigmenta Latinus.
Scilicet ipsa suum mulceri pumice corpus
Mascula Suada cupit! Lorica atque ægide Pallas
Et galea exsultat. Nobis placet illa venustas;
Qualis in arma iuuat. Talis tibi dura striblígo est,
O popa verborum! Sedenim nec inhospita fœdæ
Barbariei est charta mihi. Quo deuius erras?
Tecum habita; inque tua cernes consultius æde,
Vt calamus varo tibi cespitet vndique talo.
Et nos ante manum ferulæ subduximus. Ite
Grammatici! Anguineam pueris ferte insulam: abunde
Mobile cum fixo *nostras pridem impulit aures.*
Per labyrintheos ambit sinuosior orbes,
Quando rete fugit myrmillo. At fuscina tandem
Imminet, & valido collidit dente cerebrum.
Iam submitte arma, & populi exorato fauorem;
Aut mox in nostro iugulaberis Amphitheatro.

CAPVT

CAPVT IIX.

Stenij e Petronio & Apuleio ſtabula.

PROFLVXIT ab Heidelbergenſi ſolo neſcio quod reptile monſtrum, quod paucis verbis improbiſſimi temperamenti impingeret in Amphitheatri gradus. Quid dicam? Gurges eſt, de ſutoribus fabularum, de concinnatoribus criminationum, de mentientium duplicatoribus: quem ſi videas proſaicantem, credas de alaparum procellis putidum ſcurram nomen voluiſſe parare de Dianę templo. Secula! Et quid ego huic Midæ, qui

Ἀείδων, βάτραχος ποτὶ ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδει; *Modulando instar ranæ cum cicadis certat?*

Arcadica organa. Heidelbergenſes hydraulica ſonabũt ſub Polyphemo nobili phonaſco, ſub Caluinianis Cyclopibus. Omnis hic lyriſtes, tympaniſtria, pſaltria canat, quale olim carmen erutus e furaci ſpecu cecinit Cacus: quale intonarunt Satyris poſt prodacta pocula Arcadici choraulæ. O diẽ ſacrũ Theſſalico Deo, immo Fletui, magno numini! An nõ exſpectas tot modis cantatas Phaëthontiadas, aut arboreas illuſtres lacrymas, quibus hæc Cadmea, inimica bonis rudera, æternum damnes? O Battum Stenium! o caput plũbeum, calamũ bubalũ! Ego in Petronij, aut Apuleij ſchola? Non ſum ex cõchatis fornicatiſq; Nouiodunẽſibus: non ſum ex vlmeo diſciplinatu Gomorrhęa labruſca: non ſum ex Sodomæa ſilua & radice frutex, ſurculus: non a lilidemiatis vberibus lupanarius mammator. Caluiniſtarum

rum hæc decora. a Petronianis & Apuleianis ſtabulis prima illis gloria. Teſtes mihi Nouiodunenſes vlmi: teſtes lilia, lilia: teſtes Gebennenſes ſcholæ, in quibus Beza duce ſine puerperiis per ſordes ambulatur. Atquis tu Steni?

Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων,
Δάφνις ὁ τὼς ταύρως καὶ πόρτιας ὧδε ποτίσδων.

Heidelbergæ nimirum. & tu e bubulo ſtercore mihi Scripturæ ſacræ ignorationem?

Ὦ σχέτλι', ὥς σοι κρεῖσσον ἦν μίμνειν πάτρᾳ
Βοηλατοῦντι, καὶ τὸν ἐργάτην μύκλον
Κλώθων' ὑπὸ ζεύγλῃσι μεσσαβοῦν ἔπι,
Πλασσαῖσι λύσσης μηχαναῖς οἰστρημένῳ.
Ἢ τηλικῶνδε πεῖραν ὀτλῆσαι κακῶν.

Daphnis (ait) ego ille, qui boues hic paſcebam: Daphnis ego, qui tauros, qui vitulos hic potabam.

O quã tibi præſtabat eſſe in patria, Miſelle, tauros, vel colonum ruſtico Iugare aſellum ſub cobo cantherium, Ficti furoris inſoleſcenti dolis, quam tot ſubire luctuum diſcrimina.

Tamen quia ita vis, aude pedem pedi, inueterate dierum malorum: aude in illuſtri hoc campo, Arcadicum pecus: aude in Patrum nobili arena gladiator decurrere. Non ſatis erat toties tibi a magno Gretſero defrictam meretriciam frontem, toties cum rubore calami deterſam ignauam verborum ſpumam; niſi & ſtabula tua deuomeres in Amphitheatri gradus?

ποτὶ κέντρον δέ τι
λακτιζέμεν, τελέθει
ὀλισθηρὸς οἶμος.

Contra ſtimulũ calcitrare prona ad lapſum via eſt.

Apage inglorium pectus, cui nulla Latialis eloquij proprietas placet: cui barbarũ eſt, quidquid ignoras: ſolœciſmus eſt, quidquid nõ fluxit a ſcala, a fune: cuius denique proſtitutis ſermonibus habenas nullas, nulla permittit pudor repagula. vt nõ ſit, quod miretur quiſquã, qui ab inquinatiſſimis conſcientiis ſciat non poſſe aliud

ſperaui,

ſperari, quam infrenes linguas, pollutos calamos. nam quis inter equimulgos Gelonas, inter rigidiſſimarũ nationum corda cornea, inter Aquilonias glaciales fibras, aut ineptit tantum aut bruteſcit, vt tuo more veterem Latinitatem rideat; nouam damnet; vtramque ignoret; nec quidquam probum cenſeat, quod non venerit ab ore Delphino, aut Agennenſi culice perfoſſo: quod non fluxerit a ronchante calamo, inter bubſequas ruſticanos, inter ſubulcos ſtertentes: quod non perpetua eloquentiæ macie pauperatum, exſuccidas imitetur porcas. Eſt, bone,

Eſt prope te ignotus digito qui tangat, & acres
Deſpuat in mores;

in arentem dictionem, natam inter ſtridentes funes, ex infami Normannico ligno; natam inter carioſas ſcalas ſulphuratorum licitatione iaminde a Brenno nobiles. Digniſſima Caluino dictio, cuius ni calidis mendaciis manus farcias, frigidior es mari Baltico; ni ex Nouiodunenſi lilidemia labruſcas oſtentaueris, vuas mentitus, conuicio donatus abibis.

Quid agas? Vera depromas? mentieris. Falſa? o tripodem! o cortinam! Bellum factum; cum homines conſuti e mendaciis, & a prima ætate tamquam in perpetuo maléloquentiæ paſtillo decocti, Veri denuntiatoribus obiectant fidem nõ bonam. Audeant tantum, & oſtendant vel veſtigio me ab illius ſemita deuiaſſe, immo vel latum crinem declinaſſe; prodantque, non iam mendacium, ſed vel tenuem huius a decem paſſuum millibus vmbram. Ego Caluiniſtarum decem millia citius retexero, quam illi in Amphitheatro, ca-

lamo hoc meo metato, vel vnius ementiti commenti crinale verramentum. Sed ita prope comparatum eſt, vt, quos ſcelera nutriunt, mendacia veſtiunt, falſa exornant; Veritatem huiuſque cultores maledictis impetant, conuiciis onerent, criminationibus circumretiant: & quo improbior quiſque, hoc audacior; cum ſola impudentia, tamquam inuerecundię mantello, ſe ſceleraque contegat; ſola maledicentia, tamquam valido arcu, crimina domi ſuæ nata in innoxia contorqueat pectora: quaſi hæc nuda fuco ictibus pateant. Fabulæ: nimis certa lorica Veritas, quæ firmius etiam excutit, quam emiſſa fuerint iacula.

Tollo hic manum; ſed non ſine portorio, quod dependo in

Phaleras Apuleianas Stenio.

NVPER *capiſtrum dædala factum manu*
Sternaci aſello eſt inditum. vt munus videt,
Inuidit olli Stenius; & virum exuit,
Atque arte doctus Lucij, mulum induit.
Quemcumque pulſat obuium: omnes illius
In corde Erynneis hoſpitarier putes.
Nec nomine tenus ferre Ieſitas poteſt.
Hos rodit, atque hos mandit: hic ſtomachum vomit,
Cerebrumque prorſus exſpuit. Iam denique
Iures ceritum, iam eſſe lymphatum æſtimes,
Vel Mænadum e grege marcido afflatum Deo.
Quin entheatus Delphico vates ſpecu
E tripode ſtertit carmina, Ædepol meras
Peſtes lieni. & virgulam tamen arripit:
Pingit obeliſcos: metra condemnat cruci

Gretſe-

Gretseriana; cuius haud dignum reor
Schola Magistri. Neu quid intactum sinat,
Nostrum in theatrum putido impingit pede.
Molem prophano marmore exstructam arguit,
Petronia e fodina & Appuleia.
O mule asello insulsior! Non hoc tuo
Epulum palato conuenit: cui nil sapit,
Nisi carduus vepresque: quem embamma optimum
Ex vlmo, & ex betulla, & ex ferula decet.
Si quid venustis nosceres in litteris;
Si visa Patrum sacra canicies foret,
Tun' ista ruderes? Noctua incusat ferox,
Diserta quod lucinia modulatur melos.
Apage locusta; stridulos inter choros
Protrita pedibus verba strigosus canas.

CAPVT IX.

Georgij Caluisij Hedui cucurbita.

VENIO ad Heidelbergicam cucurbitam: quam, nescio quę manus Pontica, coniecerit in Amphitheatri gradus. & cum fidem præferat de plenitudine tituli, tum —— *turpiter atrum*
Desinit in piscem mulier formosa superne.
Spectatum admissi risum teneatis amici,
cum pepo hic etiam versus dederit. vultis quales? qui eguerint marginali hac tessera: *Nota Lector, versus hi sunt: ne erres.* hoc saltem edico, auctorem voluisse esse versus. ita vouerat Neptuno Norico. ex voto ergo hi versus. *Bonum factum.*

ἀλλὰ καὶ τόδ᾽ ἔγωγε θαυ-
μάζω τῆς ὑομουσίας
τούτου.

Verum miror & hoc ego, Quanã hac Musa suilla sit.

O in-

O infelicem poetam, tam pauculis, tamque malis qui ſe perdidit verſibus! O carmen, quod Gemoniæ excipiant ſcalæ! Vt mentiebatur meretricia frons, cicadam ſperaueram, ficedulam, philomelam: reperi coruum crocitantẽ, ranam blacterantem, prognen minurientẽ.

Darem veniam, ſi vel inſomnes imitatus Tityros, inter tinnibulatos greges per depaſta buceta reboantes, interlinguium neſcio quod infrenderet. at quis ferat hæc portenta vocum? quis non aures modo, ſed &

—— *claudat geminas ſubinde nares*

ad hanc purulentam ſpurco Caluiſio ore, Heduoque calamo ructatam ſaniem? O caput cerebro vacuum! Tu te litterariis ingeras bellis? tu?

Ha! rudis armorum, tantum noua gloria ſuadet?
Tu telas, non tela pati; tu ſtamina noſſe,

non docta iacula. Et tamen quid a manu mea ſperas? vt

—— κατὰ μὲν χεῖρα πάντ᾽ ὀνύχεσσι
Δακνόμενος κνάσαιο, καὶ ἐν κνίδαισι καθεύδοις;

aut quo pretio vis me verſus tuos emere?

Ἑπτὰ δραχμῶν κυνάδας, γραιᾶν ἀποτίλματα πηνῶν;

Vnguibus exareris totus, atq; in vrticis dormias?

Septem drachmis pilos caninos, veterum auulſiones pensarum?

Lana, Fuſo, Colo?
Nihil dabo.

ROGAS *quid iſtud adferat carmen? Nihil.*
Quæ cauſſa, quorſum lumen adfectet? Nihil.
Nihil obſtupeſcas occini toties Nihil:
Caluiſius homo nihili eſt, & omnino Nihil.
Numquid theatrum funditus delet? Nihil.
Gradum-ve ſaltem commouet aliquem? Nihil.
Quid in Architectum blacterat vitij? Nihil.

Num-

Numquid lubente Apolline hæc ſcripſit? Nihil.
Quid ergo ineptum hunc compulit ſcurram? Nihil.
Numquid leporis continet multum? Nihil.
Igiturne mentis attulit parum? Nihil.
Nec artis ille poſſidet micam? Nihil.
Pro vappa! quid tibi imprecer mali? Nihil.
Nihil merenti quid rependemus? Nihil.
Caluiſius homo nihili eſt, & omnino Nihil.
Nihilne prorſus? vereor vt reſtem apparet.
Lanam miſello dabimus, & fuſum, & colum;
Vt dein moleſtus eſſe deſinat viris.
Hoc munus illi conuenit, aliud Nihil.

CAPVT X.

Paulli Toſſani Cornicula.

NEC linguam Deus ad maliloquium, nec calamum dedit ad maleloquij expreſſionem: & tamen a Caluiniano ore & manu nihil video præter conuiciandi licentiam. credas, quot capita, tot maledicentiæ pluuios Ioues. vt facile adducar, veram eſſe amici de hac Schola mentem: *Quis ſanctior apud Caluiniſtas? qui criminandi frequentior.* Ex his Toſſanus

Iam noua progenies cælo demittitur alto,

calumniator, ſycophanta, nobilis plagiarius.

Sed quo inſane ruis? quo?

Οὐ θεμιτὸν [τυοσαὶν] ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδεν,
Οὐδ' ἔποπας κύκνοισι.

Nefas eſt picas certare cum luſciniis, cum cygnis vpupas.

Quid tibi vis? calido ſub pectore maſcula bilis
Intumuit?

quid exinde? deuomere hanc debuiſti? non potuiſti in Parei ſinum;

 —*Chry-*

——— Chrysidis vdas
Ebrius ante fores extincta cum face cantas?
Quod si te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit scelesta culpam,
Vt nostrum insidiis caput lacessas;
Ah tum te miserum, maliq; fati!

nam quod cum illo in Satyra Principe exclamas:

——— egregium cum me vicinia dicat,
Non credam?

quis risum teneat? An tu, cum

Treis tantum ad numeros satyri moueare Bathylli,

inania hæc appendis fumo pondera? magnumque te, longumque virum arbitraris,

——— bullatis si tibi nugis
Pagina turgescat?
Quod si venalis domina ponare sub hasta,
Vix tribus emptores assibus inuenias.

Nam si ego te hodie alienis depilauero, adsciticiis defloccauero, quis te non rideat coruum implumem, vpupam glabram? Atque interim fide bona, quis tu Tossane? qua domo? quibus in hanc diem rebus ætatem traxisti? nam tu mihi

[a] ——— ἀνὴρ ἔδοξας εἶναι τἀλλότριον ἀμῶν θέρος.

Imo, ait, iam inde a prima ætate

[b] Εξηπάτων μὲν τοὺς μαγείρους ἐπιλέγων τοιαυτί.
Σκέψασθε παῖδες· οὐχ ὁρᾶθ'; ὥρα νέα, χελιδών.
Οἱ δ' ἔβλεπον· κἀγὼ 'ν τοσούτῳ τῶν κρεῶν ἔκλεπτον.
Ωστ' εἶπ' ἀνὴρ τῶν ῥητόρων, ἰδών με τοῦτο δρῶντα·
Οὐκ ἔσθ' ὅπως ὅδ' οὐ τὸν δῆμον ἐπιτροπεύσει.
Εὖ γε ξυνέβαλεν αὐτά.

[a] *Vir esse visus es alienam messem demetens.*

[b] *Coquos fefelli, & addidi. Spectate pueri. non videtis? ver nouum, hirundo noua. Videbant illi: at ego interim carnes furabar. Quod cum vidisset Orator quispiam: Fieri, aiebat, non potest, quin puer hic populum regat. Euge rem ipsam tetigit.*

si enim

ſi enim impudentia certandum eſt, nouorum Orbe portentorum eiaculaberis plena dolia:

—— [illegible] δὲ χρεὼν
φεύγειν δάκος ἀδινὸν, κακαγορεῖν.

At me decet fugere omnem maledicentiæ morſum.

pro qua rara tua in probiſſimos quoſque virulentia

μαζίσκας γε διαμεμαγμένας
σοι ποιῶ,

Ego maceratas offas tibi dabo,

ne in poſterum

Τὰ κυνικὰ μιγνὺς τοῖς ὀνείοις πράγμασι,

Canina miſcens aſininis negotiis,

tam bubulo chartam inquines verſu. Quid ſi te nunc alienis nudauero; quid extra ſtipulas dabis, vrticas, & infelix lolium? in quo tamen inſigni ſtupore tuo, quem non —— *moueat cornicula riſum,*
Furtiuis nudata coloribus?

TOSSANE, *noſtra cui cauea bilem mouet,*
Spectare ſi periculi exſortem iuuat,
Spectare fas eſt; dummodo a ferro abſtines.
At verò, ſi te vulneri ſponte induas,
Plorabis eheu matris in ſinu puer.
Etiamne verſo pollice populariter
Noſtram trucidare impotens famam cupis?
Eia plagiarie! quid tibi hic negotij eſt?
Cum carnifice res expedi prius tuas:
Ad puteal apage lurco, & inde ad culeum.
Aut ſi lubeſcit, Anglicæ potius lupæ
Adi lupanar: nam tuum hoc cælum vocas,
Quod Solis expers perpetem nutrit rogum.
Dignum patella operculum! Quis inuidet?
At interim arma deſere; aut faxo, vt breui
Diſcas batuere rudibus indignus rude.

 CAPVT

CAPVT XI.

Philippi Parei Cunæ.

QVID quæris Heroſtrate?

Vt aquila fiam in nubibus.

Ὡς ἐν νεφέλῃσιν ἀετὸς γενήσομαι.

nimirum in illis, in quibus olim

- aures expandebatur tuæ, & complicabantur, quaſiquodam umbraculum.

—— τὰ ὦτά σου ἐξεπετάννυτο

Ὥσπερ σκιάδιον, καὶ πάλιν ξυνήγετο.

- ſtupentes fruſtra tundes nervias, Egentia & ieiuna fundens carmina.

In his — ψαλάξεις εἰς κενὸν νεύρας κτύπον,

Ἄσιτα καὶ δώρητα φορμίζων μέλη.

Sed vt mollius tecum agam, currantque mitiora vota mea: —— *cur non potius, teneroque palumbo,*

Et ſimilis Regum pueris, pappare minutim

Poſcis?

Nam quis omnibus retro ſeculis,

Priuſquam opem mulgeret infans lacteam, Et obſtetricis rore corpus tingeret,

—— πρὶν λαφύξασθαι γάλα,

Πρὶν ἐν λοχείας γυῖα χυτλῶσαι δρόσῳ,

audiit deſpumaſſe verſus? & tu ille es, magnum a cunis, a faſciis, Heidelbergicum nomen? Tu, cui nutricula etiamnum caligas diſcingat; deque gerulæ tuæ tantum non collo, pannis armatus, pulte ſtipendiatus, Amphitheatri petas vertices? tu? An non meminiſti diei illius,

Cum tibi nates ferirem; tu dolereſ?

Ἀνίκ' ἐπύγιζόν τυ, τὺ δ' ἄλγεες;

Vnge puer caules: tibi feſta luce coquetur

Vrtica;

quæ & aures tibi, & illud os, omnis impudentiæ ſtabulum, perfricet. Vis interim audire ſanum monitorem? parce,

Parce

Parce puer quæso; ne turbis fabula fias,
Cum tua ridebunt vana magisteria.

parce calamo, dentifricio volui: nam sub hoc verius, quam sub illo, versus tui sudarunt.

Sed quid feci ego, quidve sum loquutus,
Cur me tot male perderes poetis?
Secli incommoda pessimi poetæ.

Displicuit fors Amphitheatrum, & vbera in eo tibi, tuisque nimium mordaci lota aceto; vt iam

——— *iratus mammæ, lallare recuses.*

ergo voluisti calcibus rem gerere. hoc est non degenerem esse maioribus. Heidelbergæ

Auriculas asini quis non habet?

O κλειζὰς ὄνων ἑκατόμβας!

Pareus calces habet: caue, quisquis tibias amas. nam hic prioribus tam inuerecunde pugillatur vngulis, posterioribus tam inuenuste velitatur calcibus, quin & denudatis dẽtibus tam inamœna omnes basiatione commorsicat; vt, ni caueas, damna referas, & pro basiis liuores, vulnera, cicatrices. Reliquum ergo est, vt bellum hunc basiatorem bicubitali compiles fuste; tergaque, ex offali Heidelbergica pastinatione pulposis obesa torulis, crebris ictibus dedolata, dedoceas insolentem hanc amicationem. cui rite, & *More Maiorum*

Inclytas asinorum hecatombas.

Lumbifragium hoc dico, voueoque.

NVMQVAMNE *cesses Arcadicum pecus*
Oncare in omnes? Nec tibi cardui
Abunde iam ventrem saburrant?
Nec patrium prohibet capistrum?

Turi scurra, dignus sorte Apuleia,
Tantamne contra perditus audeas
Frustra recalcitrare molem?
Nec ferulam metuis magistri?
Heu! quam pudendo proruit impete,
Si quando frontem perfricat impudens?
Nil frena possunt, nil lupatum;
Non homines metuit, Deosque.
Cum prima necdum scita poesios
Commissa menti possideas tuæ,
An innocentem constuprare
Non puduit vitiis papyrum?
O quis merentes Grammaticus flagris
Nates saginet! quis puero cutem
Signet petulco, lautiore
Pædotriba asperior flagello!
Te sanguisuga temporis audiam?
Non digna nostris tu calamis mora.
Hæc panditur viris arena:
Lude alibi nucibus puelle.
Tu, si qua mentis mica foret tibi,
Germana dum te laurea detinet,
Exorbitares ad Brabantos,
O asini soboles aselle?
Clignete demens, quisquis adoream
Hinc laudis optas tradere posteris,
Si vilis in nos excrearit
Horrea cantherius probrorum.
Inanis, eheu! gloriæ eras seges,
Et insolenti exesa rubigine,
Calumniæ cum debuerunt
Melpomenen saturare vestram.
Te, te Magistri nomine turgidum
Clignete, noster barbitus admonet,
Vt improbum domi puellum
Dedoceas furiare virgis:

Ne

Ne purulentas lurco calumnias
Fœda deinceps è vomica spuat;
Mendaciorum ne putrenti
Nos oneret carie immerentes.
Ætate fessum iam silicernia
Conuicium adfert, quod toties fuit
De ponte deiectum, vt cadendo
Contuderit caput & cerebrum;
Effronsque & amens audit ab omnibus.
Rident puelli, dum piperis togæ
Inscripta semper indolatis
Versibus hæc eadem relambunt.
Quisquis feroci Mænade percitus
Calumniarum congerit aggeres,
Vt lumini obstruat proborum,
Ille suæ nocet ipse famæ.
Quam sæpe pennam prodit adulteram,
Quæ tecta pridem fornice sederat,
Conuiciandi dum libido
Publicitus cupit helluari.
Non semper atras pascere sepias
Iuuat, malignus quas furor educat.
Quamuis benignus balet agnus;
Sæpe tamen rabie coniscat.
Audin' Magister? vel melius domi
Frenes asellos, aut iterum nouum,
Sed cannabe ex seueriori,
Texere iam meditor capistrum.

CAPVT XII.

Bezæ morientis olorina vox in SOCIETATEM, & Clementem Puteanum.

FAYVS neſcio quis, deliciarum fors & poculorum cuſtos, de vita & obitu Bezæ magnas dedit fabulas; ac in iis verſus calumniarum ſentinam, in Ieſu nomen, in SOCIETATEM. quæ ſi ex Bezæ ingenio turpia modo facere, modo pati didiciſſet; non abiiſſet in calumniam nomen innocuum. at cum caſta corpore, mente etiam caſtiore, perpetua caſtimonia fruatur potius quam glorietur, totamq; incontinentiæ belluam ſub æterno teneat freno; quæ non paſſa eſt fulmina, clauas, tela, a non vno Lemanici Euangelij Ioue, Hercule, Apolline? quid inuidetis? cedit SOCIETAS vobis ſquamas, cornua, plumas, aurum, Candidam, Audebertulumque; ſed & vniuerſam de laſciuiæ flamma coronam. permittite tantum SOCIETATI continentiæ frondes, pudicitiæ flores (in quibus honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, pietatis, modeſtiæ, verecundiæ, ſanctimonię fundamentum eſt) ac in vno magno IESV nomine gloriari; in eo ſpem, nomenque ſuum ponere.

Interim, ne indotatus abeat Beza, pro carmine carmen voueo.

BEZA

BEZA, ohe scelerum Gomorrha! Beza
In quæuis stupra nundinale scortum,
Beza perfidiæ catasta, Beza
Merum prostibulum calumniarum,
Iesitas ait excitos ab Orco
Incendi facibus tuis Megæra,
Omne ad flagitium & nefas patrandum.
O bellum Hercule fraudis architectum!
Qui IESVM *& Furias inire tandem*
Cogit fœdera fœda nuptiarum.
Tu lacum prius ebibes Lemanum,
Et totam comedes prius Gebennam;
Atque imum licet incolas barathrum,
Tu summam citius voles ad æthram;
Quam isthoc connubium iugare possis,
Cælum inter paranymphus, inter Orcum.
Sed vestris Hymenæus ille templis
Tedas ventilat: & toros adornat
In vestris Hecate benigna tectis;
Aptum hic Eumenidum inuenit cubile,
Et magnæ thalamum eligit Megæræ.
Alecto anguinea, & ferox Enyo
Dignos iudicat hic sibi penates.
Hic, vbi scelus hospitatur omne,
Quouis (pro pudor!) insolens Priapus
Prostat limine; ciuitasque tota
Lustrum, prostibulum, patensque fornix.
Hic Venus pater est, Cupido mater;
Gebennam vocitant, sed est Gehenna.

Et sane non capio, quid impurus nebulo ludat in IESV nomine: cui, si quid iudico, ante extremum vale dixerit, quam Candidæ, Audebertuloque. nam qui non erubuit ad has voces:

Et vale Pater, & valete fratres.
Namque Vezeliis carere possum,


Et carere parente, & his & illis:
At non Candidula, Audebertuloque.

an non pari occinet licentia?

Vale relligio, valete templa,
Lustrales simul & valete thermæ,
Queis primogenia est piata noxa.
Vota quid fidei moror paternæ?
O vota immemori exarata lymphæ!
Iam frustra mihi vellicatis aurem.
Et vale Deus, & valete Diui.
Cælo namque tuo carere possum,
Cælitum lare contubernioque;
Et possum Maria, & carere IESV:
Sed non Candidula, Audebertuloque.

Addit Fayus, Bezæ Iouis sui carmen in Clementem Puteanum. mirum huic olorino versui Gebennensis Prætoris edictum non assuisse, cui asscriberet, *Bonum factum.* Ac ne tam nobilis versus exspectatione diutius Lectorem teneam, dabo illum a calamo Fayi, cygnæam nimirum Bezaicæ senilis & desinentis Musæ modulationem.

PVTERE *tibi qui, Puteane, dicitur*
Beza, abnegata veritate perfidus,
Velut tumulo iam suo putris iacens,
Et viuit, & valet, vltimum iam septima
Istius aui decadis annum metiens,
Idemq; semper olim qui fuit manens.
At putido tu fœtidus mendacio,
Et factus ex Clemente dementissimus,
Putes vel ipsis iam tuis sodalibus,
Vel putet istis iam nihil, quos nil pudet.



Hinc

Hinc ipse vero Beza vt euolauerit,
Mille vnius mox prodeuntibus loco,
Quam vestra vana fuerit exspectatio,
Exosa vobis vos docebit veritas.

At quid ego reponam improbo huic pulsatori? quid importuno immurmuratori? risum, an suffragium? an claudicanti manum? Voueo scipionem; proque veteri Musa, recentem, tumultuariis fidibus carminantem.

PVTEANE, *Beza an naribus putet tuis?*
Quid ni? vel ipsis naribus putet Stygis.
Larualis ante vita putebat capri:
Doctrinæ oletum putet, & stomachum mouet:
Et scripta putent, tabidi putent libri:
Putent Gomorrhæ metra, quæ excudit typis,
Et quæ taberna Veneris ostentat palam:
Putetque Beza totus ad fastidium:
Viuensque putet, mortuus putet magis:
Putetque in vrna corpus, in Styge spiritus:
Putet vel ipsis iam suis sodalibus;
Aut putet ipsis iam nihil, quos nil pudet.
Quod si vnius iam mille prodeant loco,
O quanta strages naribus nunc imminet!
Tot inter olidas quando versandum est canes,
Mero in fimeto, in sterquilinio ipsissimo.
Tunc nostra certa quam sit exspectatio,
Dilecta nobis nos docebit Veritas.

FINIS.

ELENCHVS.

LIBRI I. CAPITA XV.

in quibus Caluinistarum de SOCIETATIS IESV moribus criminationes refelluntur.

XII. SO-

LIBRI II. CAPITA XIII.

in quibus Caluinistarum de SOCIETATIS IESV litteraria eruditione mendacia reteguntur.

LIBRI III. CAPITA IIX.

in quibus varia in SOCIETATEM IESV versu a Caluinistis decantata in auctores retorquentur.

LIBRI

LIBRI IV. CAPITA XII.

in Amphitheatri Honoris Myrmillones

RETIA.



FINE